Universidad de Deusto
Biblioteca

Universidad de Deusto
Biblioteca

Ex Libris Dñi Antonij Sanpere

Universidad de Deusto
Biblioteca

LAVR.

IOVBERTI DELPHINATIS,

apud Monſpelienſes artis Medicæ profeſſoris.

PARADOXORVM DECAS

PRIMA ATQVE ALTERA.

AD

PRVDENTISS. ET INTEGERRIMVM D. MICH. HOSPITALIVM GALLIÆ CANCELLARIVM.

Prior decas, inſcio autore dudũ excuſa, nunc prodit recognita, adeò multiplici animaduerſione illuſtrata, & variis additionibus locupletata, vt tota propemodum retexta videri poſſit.

Quid præterea noui acceſſerit, proximè ſequentes paginæ indicabunt.

LVGDVNI,
Ad Salamandræ, in via Mercuriali.

M. D. LXVI.
Cum priuilegio Regis.

10488 Sanpere.

Universidad de Deusto
Biblioteca

COPIE DV
Priuilege.

CHARLES par la grace de Dieu Roy de France, à tous nos Bailifs, Seneschaux, Iusticiers & officiers, leurs Lieutenans, & à chacun d'eux comme il appartiendra, salut. Nostre cher & bien-amé, M. LAVRENS IOVBERT, Docteur regent en la faculté de Medecine, en nostre ville & fameuse Vniuersité de Mompelier, nous a fait remonstrer, qu'auec grand labeur & trauail d'esprit, il auroit composé diuers commentaires sur les œuures de Galien, principalement *In tres libros de facultatibus naturalibus*, en forme d'annotations: *In librum De vsu pulsuum & Isagogen ad Teuthram: In librum quintum de facultatibus simplicium medicamentorum*, & autres. Plus, certaines œuures par luy composées de diuerses matieres, dont les aucunes sont en lumiere fort incorrectes, les autres sont à imprimer: sçauoir est, deux liures *De risu*, tant en Latin, qu'en François. *Paradoxorum decas prima & secun-*

Universidad de Deusto
Biblioteca

da, ad prudentissimum & integerrimum Dominum Michaelem Hospitalium Gallia Cancellarium: De calculo tractatus, ad eundem: De peste, libellus: Erreurs du populaire en fait de Medecine, & conseruation de la santé: auec plusieurs autres, qu'il desire en peu de iours (auec l'aide de Dieu) mettre en lumiere, & faire imprimer: d'autant qu'ils peuuent de beaucoup seruir & apporter profit au public. Mais il doute qu'aucuns Imprimeurs, ou autres que ceux à qui il auroit donné charge ce faire, se vousissent ingerer d'iceux liures imprimer, contre le gré de l'auteur, & le priuer de son intention, s'il n'auoit sur ce nos lettres de permission ou priuilege: nous humblement requerant icelles luy ottroyer, pour tel temps qu'il nous plaira. Pource est-il, que nous inclinans liberalement à la supplication & requeste dudit IOVBERT suppliant, à iceluy, pour ces causes & autres à ce nous mouuans, auons de nostre grace speciale, pleine puissance, & autorité royal, donné, & donnons priuilege, congé, licence, & permission, & à l'imprimeur ou libraire ayant charge de luy, d'imprimer, ou faire imprimer, mettre en vante & distribuer tous & chacuns lesdits liures cy dessus mentionnez: defendant tres-expressément à tous libraires, & autres, ne les imprimer, ni faire imprimer en quelque sorte que ce soit, ni en apporter vendre d'autres imprimez

autre

autre part, ni en debiter & distribuer d'autres que ceux imprimez par celuy qui aura charge dudit suppliant, iusques au temps & terme de dix ans, à conter du iour & datte que la premiere impression desdits liures sera parachevée d'imprimer. Et ce sur peine de confiscation desdits liures, d'amende arbitraire, & de tous despens, dommages, & interests enuers les parties. Si voulons, vous mandons, & à chacun de vous qu'il appartiendra, tres-expressément commettõs par ces presentes, que de nos presens permission, vouloir, intention, & contenu en icelles, vous faites, souffrez, & laissez ledit suppliant, ensemble ledit Imprimeur & libraire qui aura charge de luy, comme dit est, iouyr & vser plainement & paisiblement: contraignans à ce faire, souffrir, & obeir, tous ceux qu'il appartiendra, & pource seront à contraindre par toutes voyes & manieres deuës & raisonnables: nonobstant oppositions, ou appellations quelconques, & sans preiudice d'icelles, pour lesquelles ne voulons estre differé. Car tel est nostre plaisir, nonobstant comme dessus, & quelconques ordõnances, mandemens, restrictions, & defenses, ou lettres à ce contraires.

Donné à Mompelier le 29. iour de Decembre, l'an de grace 1564. & de nostre regne le cinquiesme.

Par le Roy en son conseil,

CAMVS.

MICHAELI HOSPITALIO, prudentissimo ac integerrimo Galliarum ἀρχιγραμματεῖ, LAVR. IOVBERTVS Delphinas, apud Monspelienses artis Medicæ professor, ὑγιαίνειν καὶ εὐπραττεῖν.

LICEBAT mihi procul ab omni contentione, literaria tranquilitate perfrui, animúmque continere in ea veritatis arce, quam tot támque strenui ipsius assertores maximis operibus nobis exædificassent. Nam vel numerosa eorum qui veritatis patrocinium profitentur multitudo, vel nominis splẽdor, ac denique augusta apud plerósque omnes autoritas, cuiuslibet contradicendi studium, καὶ τὸν τῶν ἀλλοτρίων κακῶν φιλομαθίαν reiicere potis erat. Tantum abest vt me mea ingenij ruditas, & in studiis tarditas, ad exactiorem disquisitionem vnquam excitassent: nisi mihi subinde veniret in mentem quod ab Aristotele proditum est, τὸν τῆς ἀληθείας θεωρίαν χαλεπὸν ἔναι, διὰ τὸ μήτε ἀξίως μηδένα δύνασθαι τυχεῖν αὐτῆς. Quæ sententia, quum mihi atrocior videretur, animum meum verberauit scisciandi cupiditate, eoqua tandem huiusce ἀδυναμίας esse posset occasio. Vix enim verisimile putes, viros tanta virtutum antegressione insignes, ac in tãtum eruditionis fastigium euectos, quod adeò constanti dexteritate, diligentia, sedu-

Lib. 2. metaph. cap. 1.

litate, & improbo labore inuestigassent, assequi non potuisse: eos potissimum, quibus non defuit ingenij vigor, iudicium accerrimum, vitáque longæua, & impetratum à rebus priuatis ocium. Hæc dum cogito, & cum Aristotelis sententia comparo, stupidum me aliquandiu detinuerunt. Meo tamen animo in eo dubio constituto haud quaquam euenit, vt (quemadmodum illa aiebat) paulo momento huc vel illuc impelleretur: quin porro perrexi ad inquirendas rationes, quibus factum fuerit, vt tam diuturna seculorum successione perseuerauerit τῆς τῆς ἀληθείας τυχεῖν impedimentum. Atque huius causas, præter eas quas Aristoteles ibidem statuit, eorum quæ quotidie experimur exempla me docuerunt. Quis etenim nescit, per innumeras hominum ætates in nostra hæc tempora vsque peruenisse, laudis alienæ obtrectationem, quæ & priscis seculis, & nostris, eam τῆς ἀληθείας ἀτυχίαν produxerit? Quippe, vt de nostrate primum agam, ipse haud ignoras, Ἀρχιγραμματεῦ præstantissime, quàm cæcum & atrox hodie sui amantissimis non modo veritas odium pariat, sed etiam quam inuidiosa & τῶν διαβολῶν nequitiei obnoxia sit veritatis indagatio. Exemplorum enim quæ nostra viderunt secula, etsi animus meminisse horreat, recens tamen horrendæ speciei φάντασμα nos eorum obliuisci non sinit. Quid aliud (quaso) iampridem moliuntur cœlitus emissæ veritatis hostes, quàm vt ipsam assertitium nomina cum monimentis in perpetuam obliuionem relegent? At tam detestanda calamitas (inquies) τῆς παιδείας artes illæsas prætergressa

Terētius in Andria.

est. Nihil minus, vt ex veterum philosophorum, & nostrorum quoque medicorum exemplis facile colligimus. Nam vt præteream in Socratem planè insontem latum iudicium, mortísque mulctam, quod ille plures Deos reiicere putaretur. Quid Platonis de Idæis dissertatio? quantam nomini illius ignominiam apud posteros inusit, quod eas aliquando ambitiosa forte insectatione persequutus fuerit Aristoteles. Pythagoreorum verò præstantissima quæque dogmata de numeris, quos rerum omnium primordia ἀναλογικῶς esse volebant, quid aliud æterno addixit exilio, nobisq, ea de re veritatis ἀτυχίαν intulit, quàm aliena laudis obruẽdæ immodicum studium? Eandem iniuriam nostro graui incommodo experti sunt, Thales Milesius, Anaximander, Democritus, Heraclitus, Empedocles, Anaxagoras, Parmenides, Melissus, Ctesippus, Mnesitheus, Leucippus, Epicurus, & quicunque rerum naturæ interpretationem aggressi sunt: qui indicta causa è philosophorum numero penè sublati, nobis, quibus suos labores deuouerant, si vitæ restituerentur exprobrarent, sua monumenta iampridem à blattis exesa. Ast eiusmodi expostulationem plaroſque videas susque déque ferre, aut etiam nihil curare: vt pote quum à nunquam gustatis soleat facilis esse defectus. Ego verò contrà, iandudum mihi persuasi, non pauca ex iis si extarent, nobis valde profutura, quæ iniustè oppressit hominum ἐπιχαιρεκακία, vt sua in eorum locum sufficeret. Hinc res eò miseriæ tandem redacta fuit, vt quum maximo philosophantium damno aliorum

Universidad de Deusto
Biblioteca

rum commenteria periissent, in iis nullo refragante posteritas tenacissimè inhaserit, ea tantum vera esse sibi persuadens, quæ sine controuersia proponerẽtur. Idcirco mirandum non esse arbitror, si nos quoque eam veritatis ἀπεντυχίαν, in omnes grassatam ætates, experiamur. Melioribus enim sublatis, τῶν παρόντων commoditas, etsi deteriora fuerint, non probari nequit. Porrò si quis hic excipiat, ex veterum dictis quæ à probatis autoribus confutantur, facile coniecturam fieri, qualia essent reliqua, & quanti facienda si ad nos vsque venissent: obsecro vt circunspecta animi attentione diligentius perpendat, quatenus quid à quoque dicatur. Nam quas ex illorum commentariis citatas sententias audimus, vt plurimum adeò frigidè ac nudè recensentur, vt qui illas asseruere prorsus philosophi nuncupatione indigni iudicentur. Idem vitium in medicos non parum sæuiit, exagitatis hinc inde opinionibus ab Herophilo, Chrysippo, Euryphone, Prodico, Diocle, Praxagora, Erasistrato, Asclepiade, nec non Themisone, ac Thessalo, aliisq; non paucis, quorum libri si haberentur, non dubito quin plaraque in iis minus inepta possent annotari. At quia patrocinio fuerunt destituta, cœpere negligi primum, tandem verò nunquam recuperanda perierunt: vt in his verum esse deprehendamus, quod ille ait, quæ à plarisque inhonorantur, inculta iacere. Neque verò similem effugissent cladem diuini Hippocratis opera, nisi propitium assertorem Galenum sortita fuissent, qui obscurius dicta benignè interpretatus, nihil ab Hippocrate aut falsò aut temere pronunciatum

Cic. tusc. prima.

tum fuisse, omnibus iam persuasit. Si quæ autem huius δόγματα parum reliquis consentanea, in iis qui Hippocratis nomine prostant libris, occurrant, ea ilico vel Polibij, vel Thessali filij, aut alterius cuiusquam esse, excusat: licet hos quoque peritissimos, & Hippocraticæ doctrinæ sequaces diligentissimos agnoscat. Equidem si quis paulo attentius atque penitius à Galeno ipso neglecta discutiat, plurima obseruabit in quibus non tam veritatis amans, quàm principiorum quæ alibi constituisset, peruicax assertor esse deprehenditur. Quod enim de febrium omnium materia & communi sede non obscurè tradit Hippocrates, hucvsque ignoratum fuisse videtur, quia minime à Galeno vsurpatum iamdiu obsoleuit. Quid de pinguedinis generatione? Aristotelis verissimam opinionem Galenus reprehensione minime dignatus, aliam interim (&, meo quidem iudicio, falsam) astruit. Nescio quis ex veteribus τῶν ἀιμάτων venis attribuit. hoc enim tantũ recensęt Galenus, & leuissimis confutat rationibus. nos autem illud verum esse agnoscimus. Eiusmodi permulta esse suspicor, quæ ab antiquioribus rectè asserta, deinceps patrocinio destituta, cum autoribus suis sepulta, à nobis desiderantur: quibus si plaraque à posterioribus tradita conferri possent, hæc magis verisimilia quàm vera, accurato examine facto iudicarentur. Eos verò à quibus sua desumpsit Galenus, in non paucis aliam sententiam habuisse, quam illis affingat, ex eo manifestum esse puto, quod ipsius Hippocratis scripta excutiẽs, plarunque cereum nasum, quem in quam

velit

velit partem flectat, appinxisse videatur. An verò mirum est eundem ab aliis dissentire, qui secum consentiens non esse deprehenditur vsquequaque? Huic sane quadrat sapientis illius sententia.

Cato. Conueniet nulli qui secum dissidet ipse.

Quid enim in Galeni scriptis frequentius occurrit, quam ipsum plærunque videre, quod alibi multis rationibus fuerat demolitus, id constantissimè asseuerare? Sectator enim Platonis dum esset immodicus, & eius virtutum admirator penè scurrillis, Academicorum ἀμφισβ qui probabilia duntaxat tanquam aues consectabantur, omninò extergere non potuit. Ita quacunque probabilitate percellebatur, in eam sententiam totus ferebatur, nihil aut parum sollicitus quid ipse alibi statuisset: nec æqualium rationum pondera iudicij statera appendere, vnquam sustinuit. Ita enim vsque adeo desultorium Galenum plærunque esse videmus, vt liceat ex eiusdem sententia prorsus dissentanea confirmare. Hæc dum animaduerto, non possum nõ illius quoque dicta exactius perpendere, & de plærisque dubitare, vt diligentiore facta inquisitione, veritas tandem (absit inuidia dicto) eluceſcat. Id quod omnes sapientiæ studiosos præstare debere, nos admonet communis vtilitas, ac insuper eorum exempla qui nos vt ætatis, sic eruditionis antegressione longe post se relinquunt: quorum catalogum ne longius arcessere videar, eorum meminero tantum, qui in arte medica tractanda, se eo studio duci, suis operibus testatum proximè reliquerunt, vt suæ laudis eam duntaxat rationem habuerint, quam aliorum postularet vtilitas. Inter quos IO. ARGENTERIVS insignis philosophus, & medicæ artis professor clarissimus in Galeno plæraque reprehendit, animaduersione dignissima, IOANNES verò FERNELIVS nostri temporis medicus omnium clarissimus in suis de re medica illustrissimis commentationibus, non pauca veterum decreta euertit, & contra vulgarem opinionem plæraque statuit. Ast præcateris omnibus quos hactenus noui, in docendi & veri indagandi libertate, facile primas concedo GVLIELMO RONDELETIO huius nostræ Mõspelienſis scholæ ἀρχιγραμματεῖ dignissimo. Is enim, quò de omnibus certior habeatur sententia, nemini parcens omnium scripta ad amussim probat, & nulla dicentium autoritatis habita ratione, singula perpendit atque librat: quàm plurima antea inaudita certis veriſque demonstrationibus persuadens. Eiusdem exemplo quantum ex eius familiaritate (qua iam per multos annos mihi liberè ac iucundè perfrui licuit, atque vtinam liceat multò diutius) cum in omni Medicinæ parte, tum in ea docendi libertate profecerim, mihi ipsi conscius, ingenuè ac palam profiteor. Sed enim illius graviores sententias, quarum pars maxima ἐν τῇ θεραπευτικῇ, artis totius præcipua parte, locum habent, nulla ratione imitari queo. ἐν τοῖς φυσιολογουμένοις καὶ τῇ παθολογίᾳ (quandoquidem in his error minus grauis, eiusque emendandi facilis cuique relinquitur occasio) me exercere soleo. Itaque inter profitendum è mediis artis nostræ penetralibus

erutas

erutas quæstiones παραδοξὰς exagitare interdum iuuat, vt hac via meorum ingenia excitem, ac tandem veritatis exquirendæ stimulus eorum infigatur animis. Quod meum consilium successus haud sane pœnitendus excepit, nedum vt laboris me aliquando pigere possit: nisi quod ad paucos ea peruenire videbam, quæ nouisse quàm plurimorum referre arbitrabar. Quinetiam illud perspectum habebam, ex tam numerosa eorum qui Medicæ artis sunt candidati, cum pluribus vel non expedire, vel non licere nostras hasce σχολὰς frequentare: omnium tamen interesse illa habere cognita, quorum ignoratio nulli rei quàm stolidæ pertinaciæ confirmandæ, prodesse potest. Vel si qua in re sit profutura, ad id solum inscitia illa valet: asserendos nempe in maiorem seruitutem, quos vel ingenij imbecillitas, atque ignauia, vel paucæ lectionis conscientia, alienæ libidinis mancipia reddidit. Itaque consilium inire cœpi, vt quæ nonnullis haud parum profuisse expertus eram, ea ad quàm plurimos pertinerent. Res nanque natura bonæ amplificationem communicatione sortiuntur. Porrò, quum in animum iam induxissem literis mandare nonnulla ex iis quæ indefesso labore abstrusa erueram ex rerum recessu penitissimo, institutum arrisit primum: & aditus qui se mihi per initia facilem dare videbatur, cuiuscunque periculi reformidationem fœlicis exitus candore obuelabat. At verò postquam ex rerum progressu sensi me in ea pericula induere, vnde pedem refer

referre non liceret quoties liberet, sui conscia imbecillitas mea me reuocare cœpit. Hinc studium in partes varias sæpenumero scissum fuit. Interdum enim pudebat audaciæ, aliàs tædebat laborum, quandóque progressionis pigebat, tandem exitus vt plurimum sese mihi offerebat pœnitendus. Tandiu verò licuit perplexo esse meo animo, donec ipsum subierit tuæ (ὁ ἀρχιγραμματεὺς illustrissime) humanitatis recordatio. Ea enim, præter quàm quod virtutum caterarum exaggeratione in tam excellentis dignitatis fastigium bene merentem euexit, ita te etiam affectum erga φιλομάθους reddidit, vt neque peculij, neque molestiæ eui tædæ rationem aliam habere videaris, quàm ipsorum postulat commoditas. Hæc de te persuasione confirmatus animus mihi creuit cum periculis: adeò vt quarumcunque reprehensionum (in quas varias & graues incursurum me præuidebam (reformidationem deposuerim, modo sub tuis auspiciis viam capessere meis conatibus ac instituto concessum esset. Taceo plæraque alia confirmandæ huius meæ sententiæ argumenta haud leuia: quibus omnibus incitato mihi nihil satius esse posse visum fuit, quàm vt me meósque labores, futuríque nominis specimen hoc primulum tuo dicarem fauori. Literæ sunt, fateor, & easdem apud plæroſque vilescere. at eædem à φιλολόγῳ suo ἀρχιγραμματεῖ in munus offerũtur. Illæ enim, etsi speciei pusillitate contemnendæ videantur, apud te tamen non magni æstimãdæ non sunt, per quas talis ac tantus euaseris.

Quam

Universidad de Deusto
Biblioteca

Quamobrem, qui videas illas sese in clientelam tuam dedere, spero non committes vt vel animi mei candorem negligas, vel literis καὶ τῇ παιδείᾳ patrocinio deneges, quibus apud te vnũ asylum est constitutũ.

SVMMA

SVMMA CAPITA RERVM PRIMA Decade explicandarum.

MEdicamenta esse actu & perpetuo, non potentia vel in futuro tempore, qualia dicuntur: & nos calidissimis quibúsque longè calidiores esse: ad clarissimum & doctissimum D. PETRVM EPINACVM, Paradoxum I. pag. 1.

Primi παραδόξου ἐξήγησις, in gratiam studiosi iuuenis DIONYSII DVBOEI Saginensis. pag. 25

Rationi consonum esse quosdam ἀσίτους, hoc est à cibo abstinentes, per multos non sólum dies, sed & annos viuere posse: ad celeberrimum Iurisconsultum. D. IOANNEM PAPON, Forensis Prouinciæ suppræfectum, & Iudicem æquissimum. Parad. II. pag. 33

Quòd frigeamus à pastu, id non accidere externarum partium calore ad ventriculum (vt melius concoquat) refugientem ad clarissimum. I. V. Do-

Universidad de Deusto
Biblioteca

ctorem, D. FRANC. IOVBERTVM fratrem charissimum. Parad. III. pag. 54

Galenum multis in locis ἀμιάτωσιν venis tribuisse, & venas esse proprium sanguinis gignendi instrumentum: ad clarissimum & omni doctrinæ genere ornatissimum Iureconsultum, D. NICOLAVM STILBTHERIVM. Paradoxum IIII. pag. 72

Aquarum saluberrimam esse pluuialem, & omnium aliarum vitia coctione non emendari: ad celeberrimum legum interpretem, D. IO. PAPON, Forensis Galliæ suppræfectū dignissimum. Parad. V. pag. 110

Serum lactis seniori febre quartana & pruritu infestissimo laboranti, omnium maximè conferre: idque frigidum non esse, quamuis refrigeret, contra idiotarum medicorum sententiam: ad egregium D. LVDOVICVM PAPON Monsbrisonium. Parad. VI. pag. 148

ENIMVNDI BONEFIDII ad D. LAVR. IOVBERTVM epistola. pag. 172

Adipem, qui igneo calore dissoluitur, in corporibus animalium frigore non concrescere: ad doctissimum & omni doctrinæ & linguæ genere absolutissimum iuuenem, D. ENIMVNDVM BONEFIDIVM iuris prudentiæ professorem clarissimum. Parad. VII. pag. 174

HIER. CHAMBONIS epistola ad Bibliopolam. pag. 215

De Naturæ prouidentia, quæ sit, & quomodo expli

explicanda veniat, tum medicis, tum philosophis: ex prælectionibus D. LAVR. IOVBETI enarratio. pag. 218

Ventriculi concoctionem, quæ omnium prima statuitur, citius ac perfectius interdiu & vigilantibus, quàm noctu & dormientibus absolui: nec vllam esse caloris proprietatem qua Struthiocamelus ferrum concoquat, sed id ex manifesta causa pendere: ad clarissimum & prudentissimum D. IOANNEM CAMVSIVM secretoris Regii consilii Scribam fidiss. Paradoxum. VIII. pag. 235

Ad reuulsionem faciendam inutilem esse fibrarum rectarum in venis obseruationem: ad D. D. MICHAELEM HEROARDVM illustrissimi Principis Condensis, & GELIBERTVM CASANOVVM, inuictissimi Regis Galliarum & Serenissimi Principis Nauarræ, præstantissimos Chirurgos apud Monspelienses sua arte clarissimos. Paradoxum IX. pag. 248

De Reuulsionis natura non esse vt ad maximè distantia loca fiat, nec semper quàm longissimè sanguinem inde vbi ladit mitti debere: ad M. Antonium CHALMETEVM Chirurgum præstantissimum. Paradoxum X. pag. 271

Paradoxæ conclusiones. pag. 283

IACOBI PENOTII ad LVDOVICVM fratrem Bibliopolam, epistola. pag. 290

Declamatio, qua illud parad oxè interpretatur, Nutritionem vincere Naturam. pag. 292

NIC. STILBTERII ad recondita rum rerum naturalium studiosos, exhortatio. pag. 303

Universidad de Deusto
Biblioteca



Εἰς τὸν εἰκόνα ΛΑΥΡ. ΙΟΥΒΕΡΤΟΥ
τοῦ ἰατρικωτάτου.

Τίς, πόθεν, ἢ τίς ἀλικίης χρόνος, ἔργον, ἐκοντὶ
Δέχνυσ' ἀναγωγῆς ἅσσι θελγομένοις.
Οὔνομ' ΙΟΥΒΕΡΤΟΣ. πατρὶς φιλελεύθερος αἶα,
Ἣ τὶν' ἀγακλειτὸν θῆκεν ἐπωνυμίην
Δελφίνων ἐλαχυπτερύγων, θεμιτοῖσιν ἐμφρὰς
Πίσιν ἐχων βρέντης ἀμναμονος ἰθύλικος
Νόσιμον ἐξαγαγών ποτ' ἀπὸ Πλειστοῖο ῥοάων
Εὐπολέμων Κελτῶν πλῆθος ἀρειομανές.
Ἑλραμεν, ἐξότ' ἐγωγε μογοστόκον ἑλρακον ἠῶ,
Τρῖς ἑπτέων δεκάδες, καὶ δύο κύκλα πάλιν
Ἰαῦῃ λύσαμαι πεπεδημένα γύατα νόσῳ,
Τειρομένων τε βίοιο ῥᾶστον ἄκεσμα φέρειν.

Ιω. Βαρολάτου.

Universidad de Deusto
Biblioteca

Εἰς τὸ αὐτὸ.

Οππότ' ἐν ὀφθαλμοῖσι βλέπω σὸν ἄνυσλον ἄγαλμα,
Μέσσον πανιοίλου πληθομένων σοφίης.
Δὴ τότ' ἐσαθρήσειτε, λέγω, πολυΐδριν ἀνδρὸς
Εἰς ὅσσον ἥκει κράτος παντοσαμοσίων.
Ητις ἔχει τ' ὄντως μάκη σθένος ἀθανατίζειν
Ιερέων αὐτῆς κηρετρεφεῖς γενεάς.
Συμβολόν ὄσσιν, ἐπεὶ σὺν ἐν' ἐν χθονὶ λερκομένοιο
Σὸν τιέθσι τύπον πάντες ἐπεσυμένως,
Ως σε ταχυφθιμένην μέλα γῦαν ἐμέφρονι θυμῷ
Αὐτίκα γναρκὸς εἶνεκ' ἀκεσορίας,
Ευρυέπὴ λαμπροῖσι Διὸς πελάσσασι μελάθροις
Τίμιον ἀμβροσίοις ἔνθα πάρεδρον ἔσῃ.

Ιω. Βαρδάτου.

NICOLAVS STILBTHERIVS Lagopagita Iurisc. ad Autorem.

Te tua laudabat, LAVRENTI, Gallia nuper
Cum risus causas, materiámque dares.
Scilicet ex leni risu, tremuloque cachinno
Pensábat vires ingeniúmque tuum.
At nunc, compressis leuibus dum seria tractas,
Te laudat quicquid relliquus orbis habet.
Miratur Latium, miratur & Hesperus acer,
Germaníque sagax hac tua scripta probat.
Macte igitur, IOVBERTE, animo, Sic itur ad astra.
Ingenio vtinas tempus in omne precor.

ΕΝΙΜΟΥΝΔΟΥ ΕΥΠΙΣΤΙΟΥ ΚΑΒΕΩΛΕΩΣ, περὶ παραλογολόγου καὶ παραλογοποιοῦ ΛΑΥΡ. ΙΟΥΒΕΡΤΟΥ, ἐξαιχόν.

Ψευδέα περὶ πάμπολλ' ἐγενήσατο λογμαῖ' ἰατροῖς,
Οἷσπερ ὅλη τεχνὴ σωτετάραιτ' ἐπίπαν.
Τάυτῃ Γαληνὸς τὸ πάρος φοιβήσατο, πάντων
Καὶ παρὰ τῖὼ γνώμῃσι κάλλιον ἐκπέτηκε.
Ως παραλογολόγου ΛΑΥΡΕΝΤΙΟΣ ἔξοχον ἀμῖν
Ἐξελάων πλακίας νῖῶν παράλογα ποιεῖ.

GASPARIS SALIANI VALENTINI Delphinatis, Epigramma in eundem sensum.

Dogmata falsa priùs medicis complura fuere.
Queis male tractatum constitit artis opus.
Hanc extra vulgi terserunt Pergama sensus,
Antiquúmque decus restituere suum.
Sic miranda loquens, LAVRENTI clare, subactis
Errorum tenebris, iam Paradoxa facis.

ΟΛΙΒΑΡΙΟΣ Ο ΚΑΛΛΙΑΤΡΟΣ Αλεγκονικὸς, εἰς τὸν λαμπρότατον ΙΟΥΒΕΡΤΟΝ.

Ἔργον ΙΟΥΒΕΡΤΟΣ πολλῶν παρὰ γέγραφε δόξαν.
Μνημεῖς καὶ κύδος ἄξιον ἀθανάτου.

Τὸ αὐτὸ, εἰς τὸν αὐτὸν.

Ἄξιος ἀθανάτου γέρατος πολύμητις ἰητὴρ,
Ος πάντων πρῶτος πολλὰ δίδασκε βροτούς.

Idem OLIVARIVS CAILLARTIVS Alenconicus, in clariss. IOVBERTVM, præceptorem suum.

LAVRENTI *Paradoxa facis dignissima lauro.*
Laurea téque decus non peritura manent.

Universidad de Deusto
Biblioteca

Eiusdem in eundem.

Quæ IOVBERTE *facis, faciunt vt sis παρὰ δόξαν.*
Ecquid enim maius secula nostra dabunt?

Inscriptionis δικαιολογία.

Non ante expertis mirandus fulgor ocellis,
Detinet attonitum vox noua sæpe animum.
Stupet & aduena miratus dum conspicit vrbes,
Insuetas horret rusticus illecebras.
Sic quibus abdita non patent miracula rerum,
Hærent intuitu, nec iuuat alta sequi.
IOVBERTVS *sic auitum referens voce iubar,*
Θαυμαστῶς loquitur, καὶ παράδοξα λέγει.

Hier. Chamboni.

Εἰς ἀναγραμματισμὸν ΛΑΥΡ. ΙΟΥΒΕΡΤΟΥ.

Οὐδεὶς ἐπιχθονίων, πρὶν μόρσιμον ἦμαρ ἐπελθεῖν,
Δεινὸς εἰπεῖν Σόλων ὀλβιόμοιρον ἔμεν.
Τὸν δ' ἔμπης, θεὸς ὃς διὰ Μωσέως ὤπασε λαῷ
Ισραὴλ ἁγίων βιβλία θεῖα νόμων.
Πᾶσιν ἐν ἀνθρώποις ὀλυμπιον ἐξαγόρευε
Θεσπεσίοισιν ἐπὶ ἄνδρα πιθόντα λόγοις.
Αὐτὸ γενεθλὴς ἐπιὼν μόνῳ ἐπέτελλεν ἑαυτῷ
Λατρεύειν μερόπας οἰκία θέντας ἄλυς.
Ορθροφόρον πρὸς ἑῶ καὶ πρὸς φάος Αφροδίτης,
Πρὸς νότον, καὶ Θρήικης αἰθαλόεντα κύκλα.
Τόν τε ὃς ΟΥ ΛΑΤΡΕΥΣΕ ΒΡΟΤΟΙΣΙΝ
ἐφήμερος ἀνὴρ
Ηλαθεν εἰς ἀκρίτου ὀλβιοδαιμονίης.
Οἷα φύλαξ τις ἐὼν μεγάλου βασιλῆος ἐφετμῶν,
Καὶ μάλα τοσθήμων θεσπεσίοισι λόγοις.

Ιω. Βαρολάτου.

Ad

Ad clariss. Doct. LAVRENTIVM IOVBERTVM, *Præceptorem suum doctiss. Antonij Aubery* Επίγραμμα.

Hippocratis famam virtutis seruat alumnam
Nec tacuit partas arte Galenus opes,
Inuoluens sic tu libros Ioberte Galeni
Has prater dotes plurima mira refers
Rumpe moras fœlix validum deprome talentum
Non manet ingenij fama sepulta tui.

Εἰς τὰ λαμπροτάτου ἰατροῦ Λαυρεντίου τοῦ Ιουβέρτου παράδοξα, ἰάτρου Αντωνίου τοῦ Σαραζηνοῦ δωδεκάστιχον.

Οστις ἀληθείαν τε καὶ ὄντων αἴτια πολλῶν
Ἰμείρεις καθαρᾶς πίδακος ἐξαρύσαι,
Οὐχὶ σὲ τᾶς πλήθος γνώμης προσὶ χεσθαι ἀπείρως,
Δεῦρ' ἴθι θαρσαλέως, καὶ παράδοξα τάδε·
Ευνοϊκῶς ξὺν ἐμοὶ ἀνέλιασσε. Τάχιστα νοήσεις
Ως παράδοξα κἀλῶν πλῆθος ἐσω' ἀλώσεις.
Οσάπερ ὐκ ἐθέλει ὅπως ἐμὸν παράδοξα.
Τοίνυν ἴσχε χάριν τροικα χαιζομένῳ
Εργον Ιουβέρτῳ τοῦν πάγχυ παράδοξον
Γνησῆς ἀγλαΐας. Αλλά γε τί πλεόνως;
Ουκέτι σὲ βολιῶ κιαστὸν περὶ φθάσει βάλλειν,
Εἴγε σωιζάει ἔργον ἑωυτὸν ἄλις.

Π. ΛΟΥ.

Universidad de Deusto
Biblioteca

Π. ΑΟΓ. εἰς λαμπρότατον καὶ ἰατρικώτατον
ΙΟΥΒΕΡΤΟΝ.

Ημεῖς μαθηταὶ ἤρχεμ Ιούβερτος ἰατρῶν
Μνημεῖα τῶν πάλαι, ξυνήψατε φρενὶ
Λόγων ὑποθήκας καὶ παραγγέλματα βαλεῖν
Ημῖν ἀμύμοσιν ἀμύμων Ιπποκράτει τε
Ομήλησεν καὶ Γαλήνῳ, παρ' ἐλπίδας
Πάνυ ἔτυχεν, κἀν πᾶσι τοῖς αὐτὸν πέρι
Πρωτεύων. Ημῖν ἀσθενοῦντας ὠφελεῖν
Θυμῷ ἐῷ ἐβάλετ', ἢ καὶ ἐρμήνευεν
Ἰὸς πάντας, ὧν, παλαιῶν ὃ δὲ ἐς ἅπαντο,
Πάνυ παρὰ δόξαν γένετο καὶ παρ' ἐλπίδας.
Οσις δ' νῦν κατόψεται γεγραμμένους
Λόγους ὑπὸ τοῦδε, καὶ νιν ὄφεται ἐμοῦ
Πέρα μ' τῶν θαυμάτων, καὶ παράδοξον πάνυ.

Fr. Vlmus, de Paradoxis illustriss. D. IOVBERTI, *praeceptoris sui, ad Lectores.*

Plurima pro veris maiores falsa docebant.
Doctorum nimium credula turba λόγοις.
Clarus at ingenio Ioubertus, clarus & arte,
Rimatur propriis singula quaque modis.
Hinc παράδοξα profert priscis ignota, ἀνέκδοτα
Quae firmat, veterum nobilior placitis.
Illius ergo aequâ libremus scripta bilance,
Damnosúmque atauis sit procul αὐτὸς ἔφα.

IACOBI

IACOBI PARADISII PHIliatri, in D. IOVBERTI Valentini Delphinatis Doctoris Medici, & apud Montem pessulum eiusdem artis professoris eximij, paradoxa, Επίγραμμα.

Phœbus stans medio in choro sororum
Musarum Charitúmque, pauca fatur.
Quamuis tempora doctiora quondam,
Et Gracas dederint sat & Latinas
Insignes animas, virósque dignos
Quos cantent Oriens, tepénsque vesper,
Quos cantet regio calore feruens,
Et Septentrio frigoris cauerna:
Nunc multò vberior tamen reluxit
Doctorum numerus, segésque lata,
Hac in decrepita poli senecta,
Iam Mundo pheretrum parante claudo
Ætna præside feruidi camini.
Nunc in militia fugax Achilles,
Nunc vis indomita Herculis iocosa
Quando Hector puerum timet procacem
Bombarda horribili eminus minantem.
Nunc & sydera denegante nocte
Nautæ cœrulea vehuntur vnda.
Nunc terras, mare, fluminúmque ripas,
Et nunquam populos prius repertos,
In picta referunt tibi papyro.
Astrorum quoque, syderúmque motus,

Fato

Universidad de Deusto
Biblioteca

Fatorúmque vices pater ſupremus
Haud nouit meliúſve, certiúſve,
Quàm nunc terram habitans genus virorum.
Non ſiluis animal tenetur vllum,
Non terra tegitur cauis latebris,
Non cœlo leuibus refertur alis,
Non amnis rapidi vadit per vndas,
Aut fluctus ſecat æquoris marini:
Tellus præterea, benigna nutrix,
Non herbas, frutices quoque, arboréſque
Ingenti in gremio fouet: ſagax quin
Id totum artificum manus decore
Effinxit tabulis, & ære preſſum
Vulgauit, proprióque iam colore
Oſtendit. Sophiæ bonum virorum
Non vnquam ſtudium tot occupauit
Mentes. Iuridicos probos nec vnquam
Tot ſummo aſpiciens notaui olympo.
Veſtri quin etiam chori poëtæ
Curarum vacui, innocénſque turba,
(Diuæ Pierides) comas reuincti
Lauro, non aliàs patris Homeri
Tam denſo agmine ſigna ſunt ſecuti.
Et iam Pœonij, videte, noſtras
Artes quanti agitent, virúmque letho
Quàm multos rapiant, Potentiores
Vires Omnipotens chaos reſóluens
Si paulò pater addidiſſet herbis,
Mortales, animas ſuas docerent
Corpus perpetua fouere vita.
Aut ſi fors animus domo relicta

Terre

Terrena, in vacuas abiſſet auras,
In corpus cogerent rediro notum
Præſtantes medici, parémque diuis
Mortales agerent beatitatem.
Quod cum fata vetent, tamen laborant
Certatim medici recentiores
Anteire ingenio, eruditione
Priſcos, Pergameum, ſenémque Coum,
Et claros Arabes ab arte viros.
Sed nullus tetrico magis labore
Isberto. Paradoxa nanque prodit
Haud quaquam ſtudio nouo petita,
Sed Phœbi exaditis, libríſque doctis,
Aut rerum experientia. Ille nanque eſt
Valens ingenio, valens labore,
Valens eloquio, valens & arte,
Valens & patria, valens iuuenta.
Euge ergo mea cura perge, vinces,
Et te munere Phœbus hoc beabit,
Tu ſolus pater vt iugis vocari
Τῶν παίδων ἰατρῶν recentiorum
Poſſis. Concilium deinde ſoluit
Phœbus ſic medio in choro ſororum
Muſarum, Charitúmque pauca fatus.

Ad clariſſ. virum D. LAVR. IOVBERTVM, artis medicæ Doctorem & profeſſorem apud Montempeſulum digniſſ. Antonij Iunckeri Germani, carmen acclamatorium.

Promere quæ vulgo παράδοξα putentur inerti,
Non eſt difficilis grande laboris opus.

Nam

Universidad de Deusto
Biblioteca

Nam de plebe rudi quis credat, ad astra relatam
Terram quàm punctum, si legat, esse nihil?
Aut mininos ignes, quibus aptus fulget Olympus,
Terrea multiplici vincere regna vice?
Scilicet excedunt vulgarem talia captum:
Et quæ non didicit nemo probare potest.
At si doctorum quis inexpectata caterua
Inueniat, laudem quo mereatur habet.
Nã quò mira magis, magis atque inopina reuelat,
Hoc superat reliquos mente sagace magis.
Discentisque iuuat cursum studiumque iuuenta,
Dum bona, nec tumido corde profecta, docet.
Hinc παραδοξόλογον se prædicat ipse vocatum
In medica primas arte Galenus habens.
Hinc paradoxorum placuit tibi sumere nomen
Fœtibus ingenij, magne IOBERTE, *tui.*
Quippe Machaoniæ studiosior artis alumnus,
Hos vbi percurret visu animóque libros,
Contuitu primo veterum contraria scriptis
Sentiet hæc, certa nec fore digna fide.
Ast simul ad normam rationis cuncta vocabit,
Ac vsum statuet testis habere loco:
Sat scio quod vero iam consona singula dicet,
Ingenij dotes suspiciétque tui.
Ac alios inter quibus illustrata medendi
Ars fuit, eximia te quoque laude vehet.
Pœonij pulchram studij quia tangere metam
Qui cupit, & medicæ dicta probare scholæ,
Is certe veniat methodo comitatus oportet,
Marte nec expertus pauca sit ante suo.
Nam duo diuino sunt hæc celebrata Galeno
Crura, quibus medicum fulcit vtrisque bonum.
Quorum qui neutro, vel non meat vsiu vtróque,
Claudicat, optato non fruitúrque scopo.
Isque IOBERTE *tuos euoluens forte labores,*
Quam παραδοξα illis dicet inesse nihil.
Cum reliqui gemino nixi qui crure feruntur,
Quæ παραδοξα vocas, hæc καλοδοξα putent.
Et tibi non vanos aurea popularis honores
Captanti, laudum præmia digna ferant.
His igitur quoniam prodes (vir docte) placésque,
His similes alios edere perge libros.
Vna prius variis de rebus opinio surget.
Nunc ferme propriam quã sibi quisque tenet:
Quàm tua succumbat reliquis sententia, quamq;
Dogmate non viuas clarius vbique tuo.

In Paradoxa

Clariss. viri. D. Lavrentii Ivberti, Doctoris Medici Mompessulensis. Epigram. Iohan. Posthij Germershemij.

A Medicis Phœbus male cum neglecta videret
Plurima, & indignis plurima scripta modis:
Ore suum placido compellans ipse Iubertum,
Exhibuit doctis oscula chara genis.
Et capita ostendens: hæc, inquit, acumine mentis,
Hæc sunt eloquio discutienda tuo.
Quæ tibi, si placeat, paradoxa vocare licebit,
Vix etenim primùm sunt habitura fidem.
Paruit ille Deo: Medicisque probantibus artem,
Noluit ista sua clausa tenere domo.

Que

Universidad de Deusto
Biblioteca

Qua ſi compererit iucunda fuiſſe legenti,
Ipſe (fauente Deo) plura legenda dabit.

Aliud eiuſdem.

Res eſt credulitas periculoſa,
In primis Medico, locis vt ipſe
Sexcentis pater aſſerit Galenus.
Nam torpore premit, ſitúque mentes,
Errorúmque malos facit patronos.
Ergo aſcendere veritatis arcem
Qui contendit, & aſſequi perennem
Doctrinæ venerabilis coronam:
Nil credat temerè: ſed ipſe rerum
Cauſas ingenij ſagacitate
Perquirat, ſtudióque pertinaci:
Nec non experientia fideli.
Hanc viam in Medica ſecutus arte
Iubertus, generis ſui, ſimúlque
Æternum patriæ decus futurum,
Multa induſtrius annotauit, annis
Quæ neglecta prioribus fuerunt:
E quibus dedit iſta iam, daturus
In lucem quoque digniora, lucem
Ipſi dent modò fata longiorem.

PARA

PARADOXORVM

LAVR. IOVBERTI DELphinatis, apud Monſpelienſes Medicæ artis profeſſoris.

DECAS PRIMA.

Medicamenta eſſe actu & perpetuò, non ſola potentia, vel in futuro tempore, qualia dicuntur: & nos calidiſſimis quibúſque longè calidiores eſſe: Ad Clariſs. & Doctiſs. D. PETRVM EPINACVM.

PARADOXVM PRIMVM.

ARISTOTELIS ἀκροαματικὰ in lucem prodiiſſe, Alexandrum regem diſcipulum ægrè tuliſſe ferunt (Vir ornatiſſime) & eo nomine de præceptore cõqueſtum, quòd vulgo communem doctrinam feciſſet, qua cæteris hominibus præſtare

mallebat, quàm regnorum multorum possessio ne. Quippè dignius esse putabat, scientiâ quàm copiis atque opulentia reliquis anteire. Id testãtur literæ, quarum exempla Aul. Gellius ex Androni co philosopho retinuit, ad hunc modum: Lib. 10. cap. 4.

ὃκ ὀρθῶς ἐποίησας ἐκβὰς τὰς ἀκροαματικὰς τῶν λόγων. Τίνι γὰρ ἔτι διοίσομεν ἡμεῖς τῶν ἄλλων, εἰ καθ' ἃς ἐπαιδεύθημεν λόγους, ὅτοι πάντων ἐσόντα κοινοί; ἐγὼ δὲ βδελύσσομαι ἂν τὰς περὶ τὰ ἄριστα ἐμπειρίας, ἢ ταῖς δυνάμεσι διαφέρειν. Huius sententiam cùm ex Galliæ nobilitate permulti, nõ ante FRANCISCI Regis eius nominis primi tempora, fuerint insequuti, iã vix dici potest qua re magis nobiles viros commendemus, literatúmne varia & diligenti professione, an forti, dextero, & frequenti armorum exercitio, quo nationibus aliis excellere creduntur. Sed cùm omnibus ex æquo hominibus placere debeat. Musarum studium, & excolendi bonis artibus animi cura: attamen plæroſque videas in rebus religionis primas tenentes, tanta inscitiæ stupiditate rigidos, vt stipites verius quàm antistites, aut etiam homines dicas, qui prauis voluptatibus atque otio tota vita indulgentes, ne vnum quidem virum literatum comitem habere volunt. Ab horũ ingenio quantum ipse differas, hesternum colloquium, non minus elegans quàm doctum & varium, quo audientium animos rapiebas, & attentissimos velut ex ore pendentes retinebas, abundè probauit. Nam in omni disciplinarum genere non mediocriter exercitatum, & optimæ spei adolescentem modestúmque, ornatè de rerũ naturalium causis differentem, omnes suspiciebant: sed tunc maximè attenti, cùm inter nos de medicamẽtorum viribus nata fuisset disceptatio. Atqui non mihi satis admirabantur alii, quia rei difficultatem minus assequebãtur: ego magis stupebam, vt qui non modò acutum ingenium & acre iudicium in te meliùs contemplarer, sed etiam accuratissimè theorematum medicorum difficillimum à te tractari, solus agnoscerem. Id enim tã explicatè, támque exactè docebas, & Galenicis demonstrationibus confirmabas, vt plurimum mihi laborandum in soluendis argumentis fuisset (& tandem forsitan manus victas dedissem) ni Paradoxi nostri tutandi gloriâ accensus, nouas rationes in promptu excogitassem. Eas cum multis aliis tibi mittere sum pollicitus, vt quæ præ temporis angustia audire non potuisti, ad omnes obiectiones, responsa nostra legas. Sed ne id per transennam fiat, obsecro: quamuis elegantiam, quæ sæpius relegentes oculos oblectet, hic possis desiderare. Cogita me non rhetorum more, verisimilitudine quadam & fuco, rem persuadere velle: sed euidentissimis & à sensu petitis rationibus (quibus non sunt aliæ certiores) atque ἀναλυτικῶς, nullo verborum lenocinio contendere. Vbi hæc attentiùs perlegeris, tum demum rectè iudicabis, vtra potior est sententia, meáne, an aliorum medicorum, qui contra sentiunt.

QVVM IN COMPONENDIS

corporibus elementa suas retinere formas necesse habuerint, ne ipsa perirent, atque generari non misceri viderentur: illis satis fuit, si sub præcipua (quæ totius compositi est vnica) latitarent, & inuiolatæ seruarentur. nam plures vnius corporis formas esse simul agentes, philosophia nō recipit. At qualitates non modò superstites esse oportuit, sed & ἐνεργείας continuò sese prodere, cum hæ tanquam instrumenta à forma primaria, ceu artifice, in opus dirigantur, & exerceantur. Porrò ex quatuor primis & omnium efficacissimis qualitatibus, vna non est aliis euidentior, dum ad pondus & æquilibrium fit elementorum, quo ad vires, proportio. In alia quæ ad iustitiam vocari solet, & diuersorum mixtorum diuersis actionibus conuenientissima est, vna vel ad summum duæ excellentes sunt qualitates, reliquis minus euidentibus superiores. Hinc variæ temperamentorum differentiæ ducuntur, appellationes ab iis qualitatibus sortitæ, quæ in elementorum miscella emicant: vt ea sola nominentur calida, quibus igneæ substantiæ plus quàm reliquarum obtigit: omnibus tamen pro singulorum efficaciis, non quantitate, æstimatis, vt decet. Sic frigida, humida, aut sicca dici merentur, quibus aëris, aquæ, aut terræ portiones maiores fuerint. Atque ea verè dicuntur calefacientia, frigefacientia, humectantia, & siccantia, quū in his qualitates expeditæ & ad actiones promptæ sint. Nostram hanc opinionem confirmat

In generatione prima mixti, elementa corrumpuntur, nō quidem corruptione tollēte formæ essentiā, sed informationem & denominationem concretam. Quia nulla est pars mixti quæ sit ignis, vel aqua, licet in qualibet parte mixti sit ignis & aqua. Niphus in lib. 1. de ortu & interitu.

Galenus, inquiens. Cùm volumus calefacere, talem eligimus medicinam, in qua major sit portio ignis, quàm contrarij elementi: vbi verò frigefacere, vice versa. Nam in pipere plus ignis quàm reliquorum elementorū contineri oportet (non quidem ad molem, sed ad vires potentiores, vt prænouī, æstimatione facta; atque id nobis perpetuò subaudiendum.) quod quia iam inest, non solâ potentiâ, vel in futuro tempore, sed actu quoque piper calidum esse credimus. Ligna verò quæ aduruntur (in quibus frigidum elementum prædominari certum est) vt quercina, populea: prius calida fuisse, nemo dicet, nisi merâ potentiâ quod scilicet flammam concipere, & in substantiam calidissimam verti queant. Sic lactuca sanguis futurus est, per varias transmutationes nouam adeptura formam. Verùm, ob id lignum flammam esse, aut lactucam sanguinem, non dices: vel ad eorum sententiam accedes, qui rerum essentias naturâ distinctas sic confundunt, vt omnia vnum esse velint. Illos siquidem imitari videntur, qui piper, & huiusmodi calefacientia medicamenta, non ex propria & natiua temperie excellentem calorem habere, sed in nostris corporibus accipere, discusso (vt aiunt) quod excessum impediebat frigore, atque nostro egere auxilio, vt tandem superior euadat caliditas, affirmant. Nam si licet calida, priusquam actu talia sint, aliqua vocare, quid obstat quo minus etiam appellemus sanguinem & carnem legumina ipsa, vel nondum

Lib. 1. de elem. sec. Hippoc.

Nostra opinio

Peripat.

assumpta in ventriculum, quia scilicet aliquando illud futura sunt: perinde ac piper calidum esse nunc dico, quamuis nondum tale sit? Præterea, si actum à nobis medicamenta adipiscuntur, omnia nos æquali gradu calefaciant oportet, cum nullo delectu rationis expers calor noster in cuncta simili modo agat, vt non plus ab eo pyrethrum quàm opium caliditatis accipiat. Nam quemadmodum ignis omnia ligna indiscriminatim adurit & in flammam conuertit, seu sint naturâ & ex sua temperie calida, vt cinnamomum, seu frigida vt santalus: ruber & albus: sic natiuus calor animalium omnia quæ tangit, quantum in se est, ex æquo calefacit: sed remanent calidiora, quæ plus caliditatis prius habuerant. Id (scio) non admittent, qui reductionem illam de potentiâ in actum mordicùs retinere volunt: at facilè est ex illorum-met loquendi forma & sententia confirmare hoc modo paradoxum. Dicunt in medicamentis quæ calida vocantur, nondum superiorem esse calorem, sed parum abesse quin superior euadat: id autem fieri caloris nostri auxilio, cui pro tanto collato beneficio longè potentior qualitas rependitur. Quid? si parum abest, & in eo discrimine res est, opem ferente nostro calore medicamentis, protinus omnia euadent calidiora, quæ iam nunc calida vocant, sed solâ potentiâ. Nam melilotum, maioranam, absynthium, costum, & pyrethrum idcirco potentiâ calida esse dicunt, quia paulò post talia futura sunt, nunc ab

ab ea conditione nonnihil absunt. Atqui hoc loquendi genere in eodem gradu potentiam illam constituere videntur, quæ scilicet non multum ab energiâ differt. Sit discrimen, per hypothesin, vnius grani æstimatione. Dum quæ noster calor attingit (simili ad omnia vtens operâ) ad dictum excessum ea perduxerit, quomodo non erit eadem omnium caliditas, nec maior pyrethri quàm maioranæ? Respondebunt, ni fallor, ab eodem agente diuersam plærunque fieri mutationem ex patientis natura: siquidem ignis lutum indurat, ceram contrà liquefacit: & rursus, niuem citissimè, tardiùs plumbum, omnium difficillimè æs fundit atque dissoluit. adhæc accensi lapidis aut ferri, quàm lignorum vel paleæ caliditas maior & longè acrior sentitur. Illa omnia effectis differentia, idem agens efficit: quod sanè recipio & approbo, sed non video variam in medicamentis calidis naturam aut sortem à medicis nostris constitui, quin potius omninò similem, quum asserant omnia parum abesse à caloris excessu, & modico tantùm accepto auxilio mox talia euadere, non prius extitisse, qualia sentiuntur. Si de omnibus potestate calidis (vt vocant) cuiuscunque gradus illa fuerint, ita pronunciandum existiment, vt certè existimant: cùm sit omnium par conditio, nunquam fiet pro materiæ dispositione maior in hoc quàm in illo caloris excessus, si benè conijcio: sed is erit ex natura & iniqua elementorum proportione comparatus. Aliud multò ab

Universidad de Deusto

surdius illorum sententiam sequi videbit, qui rem attentius animaduerter. Cùm enim dicũt, Gal. lib. 3. de temper. cap. 2. in potestate calidis, vt pyrethro, calidum frigido nondum præpollere, sed in propinquo esse vt præpolleat, adeo vt breuem opem quo vincat extrinsecus requirat: aperte significant, in ijs prius quàm vel assumantur vel admoueantur corporibus, frigidi plus esse quàm calidi elementi. Quòd si est, & contrariorum eadem ratio statui debeat, quæ narcotica vocitantur, (quum neque hæcnisi potentia dicantur esse frigida) nondum calido frigidum superius habent, sed vt hoc vincat breuem opem extrinsecus requirit. Vnde colligas, narcotica suapte natura, & priusquam immutentur, plus caloris quam frigoris esse sortita: caustica verò, aliquãtum plus frigoris habere quàm caloris. Adeo vt si natiua illorum temperies sola & per se æstimetur, caustica verius frigida (ex prædominanti qualitate scilicet) aut temperata saltem (quam caliditas frigiditatem non superet) dici mereantur: & narcotica itidem, vel calidiora, vel temperata iudicabuntur. At cùm ignis propria sit excellens caliditas, quæcunque mixtorum euidentem calorem proferunt, eum totum igni debent: cumque nos manifestè calfaciant, necesse est prius in illis fuisse, non nunc primùm in corporibus nostris calorem accipere. Alioqui, cur non omnia dicentur calida, quę nostri caloris contactum patiuntur? Assumptum opium à nobis tantum incalescit, quantum vel piper, vel euphor

euphorbium: quum noster calor ignis more indifferenter omnia suâ qualitate afficiat. Nonne calefit oris tepore mansa cicuta? non minus sanè quàm Zingiber, quantum ad nostri caloris actionem pertinet: illa tamen non calefacit. Quamobrem, ea sola propriè nos calefacere dicuntur, quæ natura calidi plus quàm frigidi sortita sunt, non à nobis accepère: cùm si mutuatum calorem habeant, non iam ex propria natura, sed per accidens calefacere, vt aqua ex igne calens, videantur. Sed quare (dicet quispiam) tangentibus calida non percipiuntur piper, pyrethrum, cantharis, & similia, si re vera, per se, actu, & ex propria temperie talia verè sunt? An partium quidem internarum, vt magis sensilium & delicatarum, tactu calida sentiuntur, externarum verò minimè, quod densior cutis eas inuoluens ad tutelam, iudicium obscuret: perinde ac si quis pelle aut panno manu implicatâ, vellet qualitates rerum tangendarum æstimare. Nam cutis longè densior & obtusior est membranis & tunicis internas partes vestientibus, quas facilè vel remissior qualitas afficere potest. Cuticula verò (ἐπιδερμίδα Græci vocant) cuti veræ superposita, ex variarum rerum contrectatione veluti callum contraxit, præsertim in manibus. Vnde fit vt acriorem sine noxa aut dolore qualitatem externa sustineant, quàm vel os, vel ventriculus, vel aliqua partium internarum. Manus verò non tam perspicuè sentit, vt de qualitatibus iudicet, quàm

Universidad de Deusto
Biblioteca

aliæ exteriores. nam balnei aqua non valdè calida manus iudicio, pedibus & reliquo corpori grauis esse solet. Cùm igitur cutis vniuersa veluti callo obduruerit, & ea maximè quæ manú internam contegit: mirum esse non debet quod dicimus, interna sensum exquisitú magis quàm externa obtinere, & à manibus qualitates medicamentorum dignosci non posse. Nam eorum vis languidior nequit densam cutem penetrare, quę acriora multò innocuè sustinet. Quosdam enim videas nuda manu ardentem carbonem aliquandiu ferre. Ergò, piperis acrimoniam primò contactu sentiet lingua, manus nō deprehendet: quia illius quàm huius longè tenuius est tangendi medium: vndè fit sensus valdè exquisitus. Quòd si velis experientiâ discere, non aliud quam cutis densitatem medicamenti actionem remorari: eam detrahe, & excoriatæ parti piper admoue. id sanè protinùs, non aliter quàm in ore calorem, vel acriorem, excitabit. Quippe, vt Galenus ipse docet, cutis duritas densitásque excludit, resistit, prohibétque quominus foris incidentium facultates intrò in carnem ipsam penetrent. Porrò, vt faciliùs penetret agátque vis medicamenti, id in tenues partes comminutum esse præstat: at non (vt vulgò existimant) quo citiùs à nostro calore patiatur & immutetur: imò quia ad actionem tùm faciliorem tùm euidentiorem, tritura multum confert: quod hac ratione demonstro. Quæ per contactum agere debent, multò plus efficaciæ habere

Cap. 1. lib. 4. simpl. med.

habere videntur, cum pluribus particulis rem afficiendam attingunt. Piper integrum ore vel ventriculo contentum, vix calefacit, quia extima tantùm superficie opus suum exercet. Atqui ea est sæpius ab ambiente refrigerata, & veluti crustâ quadam superinducta internam vim fouet, ipsa hebetior est. Si piper frangas & comminuas, interioribus etiam partibus aget, nec vlla erit quæ tangendo non calefaciat. nam tunc liberæ, dissolutæ, ac sui iuris singulæ suam qualitatem explicabunt. Hinc fit, vt comminuta citius multò & acutiùs calefaciant, quia omnibus veluti atomis rem calefaciendam attingunt: vix dum mansa, protinùs calida sentiuntur piper, pyrethrum, & similia, quæ integra nil aut parũ calefaciebant. Itaque medicamentorum crassities, dum manent integra, & cutis spissitudo penetranda, faciunt quominus illorum calor, qui actu & re vera insidet, à nobis tangentibus percipiatur. Veruntamen, cutis densitas magis obstat quàm medicamenti crassior substantia. nam euidenter non calefacit etiam redactum in puluerem piper, si cuti admoueatur: quia nondum potest ἐπιδιέρμισθαι nullo sensu præditam, sua vi traiicere, vt cutim veram & sensilem afficiat. Si frictione illam rarefacias, vt poris patentioribus liberior sit medicamento aditus, subiectam partem haud dubiè, nec multò post, nec obscurè, calefaciet. Quid quod ore diu masticatum medicamentum, vel calidissimum & fauces penè adurens (id iam de potentia in actum esse reductum

Universidad de Deusto
Biblioteca

ctum recipient, opinor) si in manum inspuas, calorem nullum senties? Respondebis, ab ambiente statim ac expuitur refrigerari, atque ea ratione vim eius extingui, sed immitte digitum in os pipere masticato plenum, vt eo totus obruatur: num calorem sentiet digitus? Teporé quidem ex ore percipiet, non acrem, mordacem, & igneam illam caliditatem que buccas & guttur adurit. Proindè, cutis spissitudo omnium præcipuè causa est, cur externo tactu non percipiamus medicamentorum caliditatem, saltem protinus (nam aliquando paulò post calefaciũt euidentissimè, vt ex illis apparet quæ vesicatoria & causticа vocant) cùm vel integra ore contenta nonnihil tandem calida sentiantur, manibus nunquam. Non tamen ex eo inferre potes, à nostro calore interim & per moram actum excitari, vt illi putant. nam comminuta subitò calefaciunt: crassa verò, & quæcunque suapte natura tardius agunt, non egent spatio temporis vt demum operari incipiant, sed vt eorum actio sentiatur. Ergo nulla percipitur mora, dum est acerrimum medicamen. nam deuorantis os statim inflammat, nullo à nostro calore (vt est verisimile) implorato fauore. At medici omnia quantum possunt, sensu diiudicant: & quod imperceptile est, nullum esse dicũt. Quid? si multum etiam temporis intercederet, nec subito atque sumptum est medicamen calefaceret, num id calorem aliundè mutuatum esse cõuincere à non opinor. Nam multum refrigerati ad

ad luculentum ignem accedentes, non statim calorem sentiunt: paulò post, eandem quàm prius ignis viciniam non ferunt: postremò, si tantus perseueret, vruntur nisi retrocedant. Vnde hoc? ignis perpetuò magnitudine fuit æqualis: attamen nec acris, nec adurens, imò ne calidus quidem initio videbatur. An primum frigidior, per moram à nobis vicinis potuit calorem mutuari, vt nos posteà recalefaceret, atque longè maiorem reponeret caliditatem? Quid hoc absurdius esset? Paulò minus ineptè eos sentire puto, qui contendunt morâ opus esse medicamentis, vt nostri caloris auxilio eorum vis sopita excitetur. Nam fieri non potest, vt protinus talia percipiantur, qualia sunt re vera: sed per moram quam in corporibus trahunt, illorum facultas & ἐνέργεια magis ac magis innotescit, quàmdiu scilicet vis integra manet: vt ignis nos semper calefacit, donec extinguatur. Nonnulla verò tardissimè agunt, vel quia nos multum sumus refrigerati, vel ipsa parum calida, vel minus exactè læuigata sunt: perpetuò tamen agunt eodem tenore, & eodem caloris gradu, sed vix tandem sentiuntur. Sic ignis ex palea accensus parum acris est aut vehemens, atque ob id tardissimè furnum calefacit. Cùm verò ex eius frequentia iam calere incipit, non est quod dicamus nunc maiorem quàm prius esse flammæ calorem: nam initio talis & tanta fuit, atque in eodem caloris gradu perseuerauit: sed tunc nondum sentiebatur, nunc ex assiduitate furnus

Universidad de Deusto
Biblioteca

nus calorem manifestum obtinet. Imò vel ex acerrimo igne, non subitò locus incalescit, sed paulò post, quamuis flamma sensim minuatur. Ex hac comparatione & analogiâ infero, medicamenta calida temporis spatium requirere, vt eorum actio languidior & obscurior sentiatur, non vt ipsa agere incipiant. Agunt siquidem nõ minus primo cõtactu quàm nouissimo: & æquè citò calefacit melilotus atque euphorbiũ, quãuis illius qualitas tardiùs percipiatur, ob actionis infirmitatem. Cæterùm, quòd possint aliquæ affectiones in corpore consistere adeò exiguæ vt non appareant, (inquit Galenus) argumento est gutta longo temporis tractu saxa excauans: de qua rectè carmen hoc proditum est:

Lib. 1. de loc. affect.

Mollior assiduis saxum cauat ictibus vnda.

Nam si post millesimum ictum sensibilis videatur in saxo cõcauitas, ad singulos ictus affectus nunc primùm sensibiliter in saxo apparentis, millesima pars referenda est: cùm nulla sit gutta quæ non æquè ac alia saxum affecerit. Nil est igitur quod possint medicamenta à nobis pro sua actione mutuari, præter attritionem quæ fit masticatione: cuius operâ citius & melius agere videntur. nam hinc accidit, vt quauis sui portiuncula medicamẽta agant, & quam naturâ vim habent, commodè exerceant. Nos omnibus vel calidissimis longè calidiores sumus: nihilo minus tamen ex illis nonnulla sic calefaciunt, vt etiam adurant. id qua ratione accidat, iam docere aggredior. Ignis omnium

Pars altera paradoxi.

quæ

quæ cœli circumflexu continentur, calidissimus esse putatur. Ab hoc Solem vehementius calefacere, & actu & perpetuò, experimur, siue is calidus, siue non, fuerit: nam de ea re hic nulla contentio. Sed quis nos ista docuit? Tactus, qui in rerum natura præter ignem & igneas aquas, Solem, & animalium sanguineorum corpora, nil calidum esse percipit, si manibus committatur examen. Atqui tactus de calore sententiam bene ferre potest, quia est de primis qualitatibus vna. neque fides illi est abroganda, de proprio obiecto ferenti iudicium. Hæc si vera sunt, & oprimè à physicis demonstrata, quid obstat quo minus pipere, pyrethro, & aliis quibusque calidissimis medicamentis nos calidiores esse dicamus, cùm manibus calidi euidentissimè deprehendamur, etiam exterius: medicamenta verò, nequaquam? Oportet enim insignem esse caliditatem, quum primo manus appulsu percipi possit: tantam videlicet, vt cuticulæ densitas illam penetrare non impediat. Adeò verò multam caloris quantitatem animalibus fuisse necessariam constat ex actionibus, quarum præcipuę motu perficiuntur. Nam mobilitatem calor efficit: ideóque multò plus caliditatis animalia, quàm metalla vel stirpes habuerunt, quod illa motu indigeant, hæc sint immobilia. Attamen ex inanimatis nonnulla, quæ & calida vocitamus, calorem actu frigore superiorem obtinent, sed non tanto excessu, vt is manus cuticulam penetrare valeat: quod animalium

Universidad de Deusto
Biblioteca

lium sanguineorum calor egregiè præstat. Galenus quædam medicamenta actu calida dici posse fatetur, & à quibusdam animalibus (vt sanguine expertis & frigidioribus) fortè calida sentiri recipit: nobis verò talia non apparere dicit, quia nos illis calidiores sumus. Verisimile est (inquit) pleráque etiam actu esse calida, sed idcirco nos fugere, quoniam aut ipsi plurimum habemus caloris, aut crassa eorum essentia est. Redigamus enim in memoriam quòd in balneo frigida videatur vrina. Et paulò post: Quin & aqua fontium tempore hyberno quibus manus algent, tepida apparet, cùm aliis minimè videatur eiusmodi. Illud quidem admitto, & iam prius demonstraui, nos quouis medicamẽto esse calidiores: at non sufficit, vel potissima non est ea ratio, quare calida à nobis non sentiantur medicamenta. Nam ore inclusum piper citiùs calidum deprehenditur, quàm manu. atqui os multò amplius quàm manus calidum est. Et ventriculus, & hepar, visceráque alia manibus longè calidiora, qualitatem quæ manus latet, protinùs agnoscunt. Sola igitur cuticulæ spissitudo obstaculum est: cùm si hanc (quę nihil sentit, & citra dolorem scinditur) auferas, pars ei subiecta vim medicamenti statim percipiat. Porrò à medicamentis quę minus quàm nos caloris habent, nos adeò calefieri vt vri videamur, nil mirum est: cùm illorum caliditas nostræ superaddita, pro suis gradibus nostram adaugeat: vt cyathus aquę decem amphoris

Lib. 3 de simpl. med. facultat.

super

superinfusus, molem facit maiorem. Calor animalium certâ mensurâ & proportione sibi aduersam qualitatem superat: quę est temperies actionibus vitę conuenientissima. Iam si parum is augeatur, vt addito calore medicamẽti (exempli gratia) ad vnum gradum calefacientis: intemperatus iam, sed nondum satis euidenter, fiet animalis calor, & vno gradu suam excedet proportionem. Sin medicamentum duobus gradibus calidum vocarum fuerit, natiuus animalis calor conspicuè intemperatus esse incipiet: hoc verò ampliùs, si ad tertium vel quartum gradũ calidum est pharmacum: nam tunc eò quoque excessus perueniet animalis caliditas suauis. Quemadmodum igitur minor quantitas maiorem adaugere potest, sic minor qualitas maiorem acuit. neque propterea sunt inepta medicamenta ad nos calefaciendum, quòd etiam calidissimis longè calidiores simus. Fatemur equidem medicamina fieri nostro contactu calidiora, quemadmodum & ipsa nos calefaciunt: sed id illis esse necessarium ad suam vim exercẽdam aut exerendam, omninò reiicimus. Nos illa calefaciunt facta caloris sui (quantuscunque is fuerit) ad nostrum additione, donec eorum vis prorsus exoluatur. nam post mutuam actionem & passionem, alteratio tota penes calorem nostrum remanet: vis medicamenti euanescit, vt minor à maiore flammâ absorbetur. Hactenus satis abundè monstrauimus, quod initio propositum fuit, medicamenta calida

Id qua ratione fiat, explicauit Aristot. lib. de iuuent. & senect. cap. 3.

b vocata

Universidad de Deusto
Biblioteca

vocata esse actu & perpetuò, non solùm potentiâ vel in futuro tempore, qualia dici solent: idque ex elementorum certa proportione, & proprio temperamento: & nos iis multò calidiores esse. Demonstratorum summam, vice epilogi, in conclusiones colligere placet, hoc modo.

Quum in componendis corporibus elementa suas retinere formas oporteat, sat illis est sub præcipua (quæ totius est vnica) latitare atque inuiolatas seruari. Qualitates verò non modò superstites remanent, sed & ἐπιφάνειαν sese continuò produnt, maximè quæ in mixtione superiores euaserint. Hinc fit vt meritò ea sola vocentur calida, quibus igneæ substantiæ quàm reliquarum plus obtigit.

Ob id ligna quæ aduruntur, prius calida fuisse non dices, nisi metâ potentiâ, vt & lactuca sanguis futurus est: quo genere loquendi rerum essentia confundi videtur, eorúmque probari sententia qui omnia vnũ esse dicebant.

Proinde medicamenta quæ calida vocant, ex suæ temperie calorem excedentem sortita sunt, non in nostris corporibus acceperunt: neque vllo egent auxilio, vt discusso quod excessum impediebat frigore, superior euadat caliditas. Sic enim omnia æquali gradu nos calefacerent, cùm nullo delectu calor in omnia similiter agat, neque plus ab eo pyrethrum quàm opium caloris accipiat.

Verùm

Verùm comminuta acriùs citiúsque multò videntur calfacere: & quæ tardiùs id faciunt, non egent temporis spatio vt demum operari incipiant, sed vt eorum actio sentiatur. Agunt enim non minus primo contactu quàm nouissimo: & æquè citò calfacit melilotus, atque euphorbium.

Cæterùm nos medicamentis omnibus etiam calidissimis longè calidiores esse, tactus rectè iudicat. Manui siquidem primo attactu noster sentitur calor euidens & multus: medicamentorum verò caliditas, illius cuticulam penetrare non potest præ imbecillitate. Neque satis est dicere non sentiri à nobis calida, quòd nos illis calidiores simus: nam corporis nostri calidiores partes citiùs multò & amplius illorum qualitatem percipiunt, dummodo sensus exquisitus fuerit.

Calidiorum verò medicamentorum vsu calidiores simus, quia post mutuam actionem & passionem, alteratio tota penes calorem nostrum, vi medicamenti euanescente, remanet: atque nos calefaciunt euidentissimè, quòd illorum calor (tantus ex elementorum proportione, non nunc primùm in corpore excitatus) nostro superaddatur,

Igitur, medicamenta quæ calida dicuntur, talia sunt actu priusquàm à nobis assumantur.

Superest vt dubiis quæ hîc possent adferri, respondeamus.

Universidad de Deusto
Biblioteca

APHORISMATA.

I. Si medicamenta non egent nostro calore, cur in cadauer non agunt? cur ligneę capsulę & pixides non calent, vel etiam aduruntur, ex calidissimis medicamentis quę continent, præsertim ab iis quę sunt minutissimè trita? An statim nos calefacit euphorbium, quia eius calor nostro superaditus facit incendium: in cadauere autem & capsulis, nullus est calor qui frigori prędominetur, quod cum nulla vi medicamentorum superari queat, perpetuò maius est calore. Frigiditatem à cadauere & pixidibus, ignis quidem excutere potest, medica vis non potest.

II. Piper non sentiri calidum tangentibus, quia vis eius cuticulam non penetrat, recipimus: sed cur ipsam cuticulam non calefacit? Vtrum eam quidem calefacit, at quia non sentit, nos latet calefactio. Non esse prędita sensu, hoc docet, quòd absque dolore secari possit. An quia est natura frigidissima, neque magis potest à medicamentis incalescere, quàm vel lignũ vel cadauer.

III. Qui fit vt calor noster longè maior non vlceret, medicamentosus verò (quem minorem esse dicimus) vt auripigmenti, exulceret? An quòd animalium calor humidus, mitis, & tẽperatus sit: vnde nec humores reddit mordaces, nisi quum ipse quoque fit acrior. Tunc verò medicamentorum operâ vlceratio causatur, cũ humorum calor auctus acrimoniam habet. Sic enim bilis suo calore sicco arrodens est. An potius dicendum, non medicamenti, sed animantis

tis esse calorem eum, qui causticis adiutus exulcerat, & supercrescẽtem carnem arrodit? Quippe idem calor à medicamentis variè alteratus, non solum humores crudos coquere, sed etiam obstructiones aperire valet, & flatus discutere, humores attenuatos in aëra dissoluere, vlcerare atque superfluam carnem absumere, nihilq; nõ ad animalis salutem perficere: vt ei vni (tanquã præcipuo animę instrumento) omnia referantur accepta, quę quouis modo ad corporis salubritatem conferre posse videntur. Huic enim fere idem accidit quod igni appositu lignorum, quę ipse depascitur, adaucto & multò voraciore euadente. Siquidem medicamenta caloris nostri velut pabulum, tandem ab eo cõsumpta exoluuntur, vt post aliquod tempus ablata suas vires amisisse videantur. Est verò calor noster ab iis adauctus, cui effectus omnes sunt referendi accepti: quemadmodum ignem lignorum adiectione augmentatum, non ipsa ligna, vehementius vrere dicimus.

IIII. Sed quomodo possunt medicamenta, si minus quàm nos calida fuerint, nostrum calorem adaugere, cùm aqua tepida feruente refrigerer, & minus calidum calidiori sit velut contrarium? An tepida feruenti addita non solum caloris gradum intendit, sed & quantitatem substantię auget, cúmque sit per maiorem molem parum aucta qualitas prorsus distributa, minor certè in qualibet portione sentitur. At medicamenta substantiæ nostrę, in qua est calor, molem non

Universidad de Deusto
Biblioteca

adaugent, sed solam qualitatem intendunt. Ob id nihil mirum si à medicamẽto, quod nobis minus est calidum, calor noster augeatur.

V. Cur alimenta quędam, vt allium & similia, calefacere dicuntur, cùm tamen substantiam nostram adaugeant, si illa minus quàm nos calida sunt, & hîc saltem idem fieri videatur quod aquâ minus calidâ feruenti additâ? An quia interim dum à ventriculo, hepate, & aliis partibus immutantur, ea quidem nos calefaciunt, neque tunc alimenta sunt, sed tantum medicamenta: vbi verò iam nutriunt actu, copiam substantię augent, non gradum caloris intendunt. Id voluisse videtur Galenus dum inquit: Alimenta *Lib. 3. de temperam.*

« omninò percocta & mutata, ac iam in sanguinem versa, naturalis in animali caloris substantiam augent, non qualitatem intendunt. In totum enim siue calidus, siue frigidus potestate est cibus, postquàm cõuersus est in sanguinem, naturalem calorem similiter augebit. Quo ad autem ad sanguinis formam tendit, necdum planè sanguis est redditus, refrigerat excalfacit ve animal medicamentorum ritu.

VI. Quid sibi vult Galenus dum ait: Siquid nondum adeò calidum est vt nos, neque admotum tale redditur, id temperie humana frigidius est, quantuncunque in eo caliditas exuperet. Etenim admotum calorem qui in nobis prędat auferet detrahétque. Quippe si datis duabus aquis calidis, quarum altera plus, altera minus caleat, misceas minus calentem magis calenti, huius *Lib. 3. de simp. med. facultat. capit. 7.*

huius certè feruorem extinxeris. Sic si in caliditatem rosacei, quę tepida est vt ad temperiem humanam, caliditatem indideris humanam, prorsus ab hac quid detrahes & refrigerabis, &c. Tepida vocamus, non solum quę natura sua talia sunt, sed etiam quę calorem nostrum actiorem factum retundentia illum ad mediocritatem reducunt, cuiusmodi sunt frigida in eo gradu in quo est remittenda caliditas. Porrò, quum Galenus (qui ad hominem omnia comparat, non in propria natura considerat) calidum dicit aut frigidum, ea significat à quibus corpus nostrum manifestè calefit aut refrigeratur. Sic tepida illi sunt omnia, quæ feruentem calorem temperant. At verò talia sunt modicè frigida, non (vt ille putat) suâ naturâ calida. Nam si vel minimum calida essent, caloris nostri gradum necessariò intenderent. Sed re vera aliud non est, homini collata medicamenta examinare, aliud in sua natura contemplari: quod tamen philosophorum naturalium non medicorum, proprium esse Galenus affirmat. Nam quum ad hominem temperatum omnia comparet, huius verò cutis regula sit omnium quę de primis qualitatibus dicuntur, in vnum redit (vt ipsemet vult) si quod per excessum ad totam substantiam dicitur, ad hominem sic appellites: quandoquidem medium quoddam in natura est tactus noster. *Lib. 1. simpli. cap. 40 Lib. 5. simpli. cap. 4.*

VII. Quomodo aliud non est, ad hominem temperatum conferre medicamẽta, & aliud in pro-

Universidad de Deusto
Biblioteca

pria natura contemplari, quum acetum, muria, & huiusmodi alia corpus humanum exiccent, quamuis humida sensibus dijudicentur, atque plus humidi elementi quam sicci habeant? An copiâ quidem superat humiditas, vnde & liquida talia apparent: efficaciâ verò siccitas excellit, atque ob id exiccandi, non humectandi, vim habent. Prius enim docuimus, non mole, sed viribus æstimandas esse elementorum proportiones. Siquidem in calidissimis medicamentis, multò plus terræ quàm ignis reperire est: valentior tamen sentitur ignea qualitas. De vino (quod vt medicamentum exiccat appositum, tametsi liquidum appareat) eadem fere ratio est. Quinetiam id præstare potest caliditatis nomine, atque adeo per accidens. nam calore adaucto superuenit siccitas. Dum enim calidum (inquit Galenus) humiditates semper consumit, parit siccitatem.

Lib. 1. de temper & lib. 6. san. tu.

Habes, vir humanissime, de medicamentorum viribus, & actu illis insidente facultate, absolutam tractationem. Nam facile est expositas demonstrationes ad alia medicaminum genera, frigida, humida, & sicca, accommodare. In iis quæ plus egere reductione de potentia in actum videntur, calidis videlicet, nullam fieri docuimus. Ergo multò minus vt frigefaciant nostro calore indigebunt narcotica. Sicca & humida priusquam assumantur, plæraque talia sensibus apparent. In catharcticis verò, seu purgantibus medicamentis, agendi facultas (quæ attractrix

Paral. 9. dec. 2.

ctrix vulgo, nobis expultrix statuitur) actu perpetuóque inest. Quo fit vt id in quod vim exerere debeant, ex certa distantia subito afficiant. In mortui enim animalis cadauer nihil agere possunt, tum quia omnibus concidentibus non patet exitus humori expellendo: tum quia facultas naturàlis sublata est, quæ in viuente opus medicamenti plurimum iuuat. Nam illo fugante, & hac simul extrudente (quod sit irritata vel excitata medicamenti certa qualitate) commodissima & facillima fit humorum excretio.

PRIMI ΠΑΡΑΔΟΞΟΥ ΕΞΗΓΗΣΙΣ, in gratiam studiosi iuuenis, D. DIONYSII DVBOEI Saginensis.

HAVDQVAQVAM me latuit, DIONYSI amantissime, quum ad hanc inscriptionem accingerer, plæraque ex iis quæ hîc afferebam, fore mihi apud plebeiam hominum sententiam calumniosa. Intelligebam enim mortalium ingenia variis, ac plærunque euanidis occupationibus ita distracta esse à seria rerum cogitatione, vt de ista cognoscenda & æstimanda non vacet caput attollere. Hos nanque inanis gloriæ amor transuersos agit, illos inexplebilis habendi cupiditas animo esse quieto non sinit. Sunt quos seruilis parcimonia peculij ad impensas his rebus percipiendis faciendas, restrictos fecerit. Alios conflictæ pecuniæque voluptates, luxus, scorta, alea reddit egenos. Quosdam fa-

Universidad de Deusto
Biblioteca

ctus ac rerum affluentia efficit vecordes. Nec desunt quos Gnatonis schola ab his studiis & disciplinis abdicit. Paucis quos æquus amauit Iuppiter, licuit, libuit, & expediuit in rerum bonarum, quantumuis laboriosa, contemplatione se continere. Quod qui facere aggrediuntur nihil mirum si sui conatus irrisores quàm plurimos, admiratores paucos, imitatores nullos fere sortiantur. Quum itaque hęc commentarer, expertum habebam nihil esse facilius quâ ea publico prędiudicio ridicula facere, perpetuóque interitui addicere. Quamobrem consilium fuit, vt his quę rationi consentanea videbantur propositis, dogmatum quorundam varios & ancipites significandi ambitus diligentiori recensione circunscriberem, ne impune liceret eorum qui res leuiter attingunt (nil nisi populare sapientes ac sentientes) sententiam super his sectantibus, ijs quę à nobis in alium sensum dicta fuerunt, oblatrare. Nullis enim, nisi ignotis, oblatrant canes. Eia igitur: ex dogmatibus quorum sententię varietas in sœdos errores vulgo homines prępcipitat, est hoc, τὸ δυνάμει ὄντα τι. Item & hoc, τὸ ἐνεργείᾳ ὄντα τὶ. Adeo vt non vnus, neque simplex habeatur sensus, quoties dicitur, Medicamentum quodpiam esse calidum, frigidum, humidum, aut siccum. Et vulgaris quidem plebeiáque sententia, statuit medicamentum illud calidum esse potentia, quod adhuc sensibus apparet nihil differre à frigido: nec in eo errat, sed inde tamen in errorem pellicitur

licitur vulgus. Etenim ex eo ipso dogmate illud consectarium pendere nemo non agnoscit, quod explicauit Philoponus in hęc verba: Ὅτιερ μὴ δυνάμει ἐστί, παρὸς τινες τὴν ἀπεσίαν δυνάμει εἶναι λέγεται. Quod vt verum est, ita solerti diligentiq; sententia est adiuuandum. Nam nisi rite statuatur quid, & quotuplex sit illud, cuius absentia efficit vt alterum δυνάμει tantum esse dicatur, in immensas latebras nos induemus. Quid igitur de eo habes dicere, inquies? Nempe idipsum cuius de absentia hic agitur, esse geminum ac diuersi generis. Nam aliâs πρᾶξις sola, aliâs verò prętер hanc id quod abest, ἕξις καὶ πρᾶξις est. Ex qua tandem absentis rei varietate factum fuit, vt quod potentia quicquam esse dicitur, vario sit audiendum sensu. Sed ne quis hic cauilletur me minutias scrupulosius confictas duntaxat distribuere, de eo referamus ad Aristotelem. Ille enim quum statuisset potentiam duplicem esse, vtranque ab altera distinguit proposito exemplo de eo qui adhuc tâtum est διδακτικὸς, & alio qui artem iam assequutus quidem, in prędentia tamen ea non vtitur. Atq; eos ambos scientes & literatos esse potentia, dicit, sed vario modo. Quam varietatem his verbis explicat: Ἑκάτερος δὲ τούτων ὁ τὸν ἀντὸν τρόπον δυνατός ἐστιν. ἀλλ' ὁ μὲν ὅτι τὸ γένος τοιοῦτον καὶ ὕλην, ὅδε, ὅτι βουληθεὶς δυνατὸς θεωρεῖν. Et paulò post. Ἀμφότεροι μὲν οὖν οἱ πρῶτοι κατὰ δύναμιν ἐπιστήμονες. ἀλλ' ὁ μὲν διὰ μαθήσεως ἀλλοιωθεὶς, ὃς ἐκ τοῦ ἐναντίου ἕξιν τὴν γραμματικὴν, μὴ ἐνεργῶν δέ. Quorum verborum sent

In lib. 2. de anima.

Lib. 2. de anima capit. 5.

Universidad de Deusto
Biblioteca

sententiam illustrare volens Philoponus, subiungit: Aristotelem duos τῆς ἀπουσίας modos cõstituisse: quorum prior est, quum quod potentia dicitur, πρὸς τὴν ἕξεως καὶ πράξεως τὴν ἀπουσίαν λέγεται. Alter vero, quum quod potentia dicitur, πρὸς τὴν τῆς πράξεως ἀπουσίαν λέγεται. Ex quibus satis fit perspicua τοῦ ἄνευ δυνάμει varia significatio. Aliquando enim habitus & actus priuatio intelligitur: alias sola actus absentia. Illo vero modo propositam quæstionem vulgaris intelligentia excipit. Ego autem medicamenta calida, frigida, humida, & sicca esse potentia, secundo modo sumendum contendo, atque res ipsa docet. Sicque statuo medicamenta esse potentia qualia dicuntur, vt suarum qualitatum actiones exerant, quoties loci temporis, & subiecti commoditas sese offeret, ὃν ἀλλοιωθέντα tamen: quod in altero modo eius quod potentia esse dicitur, necessariò haberi ex Aristotele didicimus. Quòd si verum est, quid prohibet quominus medicamenta quoque actu (saltem primo) calida, frigida, humida, vel sicca dici possint? Quum enim agere in ipsis situm sit, vt actu sint hoc ex quo actio prodit, necesse est. Nam omne agens actu esse oportet. Ideóque si medicamentum quodpiam calefaciat, actu calidum esse decet.

Hactenus de his quę ex rei natura petita nostram confirmant sententiam. Nunc idem ostẽdamus ex nostrorum, & præsertim Galeni, commentariis. Scribit verò ille: τὰς δυνάμεις quasdam

Lib. 1 simpli. cap. 1.

dam esse κατ' ἐνέργειαν, alias ἐν τῷ μέλλειν. Et actu quidem, calefaciendi facultatem igni insidentem. In futuro vero tempore, qualis est in pyretho. In hoc enim calidum frigido nondum præpollet, ex ipsius Galeni sententia. Proinde etiam δυνάμει calidum κατὰ τὸ μέλλειν esse censetur. Porrò quum varias significationes eius quod δυνάμει tale vel tale dicitur, idem explicet, quęnam ad institutum nostrum pertineat, agedum inquiramus. Primùm maximèque proprie δυνάμει esse docet, quod nondum est tale, sed παιδάριον τοιοῦτον γένεσθαι. vt puerulus potentia λογικὸς ἄνθρωπος dicitur, quod ex Naturę instituto talis sit futurus, modo extrinsecus nihil prohibeat. Secundò, id Galeno δυνάμει tale dicitur, vel tale, quicquid eius rei cuius absentia esse intelligitur, materia est proxima: veluti sanguis dicitur esse δυνάμει caro, quia leui alteratione ipse sanguis potest effici caro. Tertiò, δυνάμει esse dicitur, quod opponitur ei quod est κατὰ συμβεβηκός: veluti aqua δυνάμει frigida censetur, licet nonnunquam accidat vt ipsa caloris adaucti sit causa, remotior videlicet. Quibus ita propositis, mox quærit Galenus, sub quo istorum modorum comprehendantur medicamenta, quum omnia δυνάμει esse dicantur, calida, frigida, humida, vel sicca. Sanè verò primi esse nequeant, seu Galeni, seu nostram sequaris sententiam. Nam, vt ille putat, medicamenta non à seipsis τὴν ἐνέργειαν proferunt, sed quod aliquando ἐνεργείᾳ sint talia, id à nobis accipiunt. Nos verò

Lib. 3. de temp. cap. 1.

Ibidem.

Lib. 1 simpli. cap. 11.

Universidad de Deusto
Biblioteca

verò propriam δύναμιν καὶ ἐνέργειαν singulis
2 ineſſe defendimus. Ad ſecundum verò modum medicamenta referre, placet Galeno: quod qui in animantibus eſt calor, medicamentis quaſi alimento quodam vtatur: ſitque horum eadem
« ratio, quę eſt lignorum & ignis. Quod enim
« ἐνέργεια quędam calida ſint, id à noſtro calore
« accipiunt, inquit, velut ſicci calami ab igne. Et
« quemadmodum ligna, ex ſui quidem natura fri
« gida, ſi tamen ſicciora ſint & gracilia, facile mu-
« tantur in ignem: ſic medicamenta primum qui-
« dem in parua ac tenuia frangi poſtulant, deinde
« noſtro corpori, quò calida fiant, admoueri.
Quę ſi vera eſſent, non agendi, ſed tantum patiendi vim haberent medicamenta: neque hac ratione ab alimentis diſtinguerentur, quę paſſiua eſſe ſtatuit Galenus. Eſt enim facultas, ſeu potentia, ſeu poteſtas, vel ἡ δύναμις bifariam (vt Ariſtoteles annotauit) ſpectanda: aliàs in agendo ſcilicet, aliàs in patiendo. Hanc Ariſtoteles vocat δύναμιν τὴν ὑφ' ἑτέρου: illam verò δύναμιν τὴν ἐν ἑτέρῳ. Atque hanc poſteriorem definit eſſe, ἀρχὴν κινήσεως ἢ μεταβολῆς ἐν ἑτέρῳ, ἢ ᾗ ἕτερον. De qua quidem facultate nos loquimur, quoties de vi medicamentorum diſputatio eſt, non autem περὶ δυνάμεως ὑφ' ἑτέρου dictę. Supereſt tertius modus eorum quę δυνάμει eſſe dicuntur à Galeno conſtitutus, qui ſolus (meo iudicio) medicamentorum naturam continet: vtpote quę qualia dicuntur, talia verè ſint, & per ſe, & ex propria natura, ἃ κατὰ συμβεβηκὸς, vt enim aqua frigida

Cap. 12. libro 4. metaph. latinis vero. 5.

frigida eſt propria natura, ſic euphorbium & thapſia plus calidi quàm frigidi elementi ſortita ſunt. Ideóque in ſeſe habent δύναμιν, id eſt ἀρχὴν τῆς κινήσεως καὶ μεταβολῆς ἐν ἑτέρῳ, calefaciendi videlicet. Quòd verò attenuatione, propinquitate, & mora indigeant ad eam μεταβολὴν ἐν ἑτέρῳ efficiendam, id cum omnibus τοῖς δυνάμεσι ἐν ἑτέρῳ, hoc eſt omnibus agendi facultatibus, commune habent. Quod facturum quippiam eſt, ait Galenus, eget tempore, magnitudine, & vt proxima ſit ei res quę ſuapte natura prompte affici poſſit. Equidem facultates omnes ita habent, vt agant preſente, atque ſic ſe habente paſſiuo, inquit Ariſtoteles. Ob id ſane videntur ab obiectis moueri, & incitari, quum tamen ab ipſis nihil patiantur (non enim in ſubiecto conueniunt) nec in actum ducantur, ſed ipſę à ſeipſis (vel potius à forma cuius proprietates, illę ſunt) principium mutationis quę ex earum actione exiſtit, exerunt atque cient. Quemadmodum enim magnetem à ferro vicino vim ſuam mutuari, aut eius δύναμιν in ἐνέργειαν reduci ratione ferri, abſurdum eſſet dicere: ſic etiam medicamenta ſuam actionem à nobis accipere, minime fatendum eſt. Quin potius affirmandum, illorum ἐνέργειαν non aliter de potentia elici, quàm actum ex habitu. Citharœdus enim dormiens ciſthariſticę habitum non minus habet quam vigilans, tametſi eam nili vigilans, & data cithara, exercere poſſit. vnde recte dixeris, opinor, medicamenta

Lib. de cau ſa. morb. cap. 2.

Lib. 9. primæ philoſ. cap. 5.

Universidad de Deusto
Biblioteca

ta quę corporibus noſtris accommodantur, de potentia operandi ad operis actionem, & quaſi ex feriis ad opus venire, non ad nouas qualitates tranſire, vt vulgo exiſtimant.

Hęc pro meę opinionis defenſione ad te ſcribenda putaui, DIONYSI amantiſſime: quibus & dubiis à te propoſitis (ni fallor) abunde ſatisfacio, & vt obtrectatorum calumniis eneruatis rei veritas candidiorum animis ſeſe promptius inſinuet (quod etiam rogaſti) officio.

Vtinam ea ęquanimitate mecum cæteri agant, quicunq; noſtris παραδόξοις offenſi, illa pleno ingenio, vt accepi, oppugnare aggrediũtur.

RATIO

RATIONI conſonum eſſe quoſdam ἀσίτους, hoc eſt, à cibo abſtinentes, per multos non ſolum dies, ſed & annos viuere poſſe: Ad Celeberrimum Iuriſconſultum D. IOANNEM PAPON, *Forenſis Prouinciæ Suppræfectum & Iudicem æquiſſimum.*

PARADOXVM II.

THEOLOGICIS propoſitionibus auditis, mox fidem adhibendam eſſe, nos Chriſti religio docet: ac in iis quæ nullam probationem ſuſtinent, fiduciam firmúmque aſſenſum maximè Deo gratum eſſe, quum is ſit qui naturæ leges infringere poſſit. In diſciplinis verò, quæ μαθήματα & verè ſcientiæ dici merentur, quòd rem omnẽ per cauſas explicent, ſine demonſtratione aliquid affirmare, & legiſlatorũ ritu ſancire, ridiculum putamus: quum præcipiti inconſulto, & temerario aſſenſu, nil magis abſurdum videatur, apud eos præſertim qui humanum ingenium veri inueſtigandi & auidiſſimum & aptiſſimum eſſe norunt. Permultos tamen videas, qui ſi alii plures idem dixerint, non renituntur: neque illud perpendunt, vtrum eos omnes ex vna communi cauſa verum dicere, an contrà

Universidad de Deusto
Biblioteca

Eorum incredulitatem suam in ijs quæ experiri possunt, prædicat, lib. 1. de scien. cap. 2.

ex communi causa mentiri liceat. Quantò satius foret hîc cunctari, & de iis quæ mens non assequitur dubitare: quod equidem facere consueui, atque eo nomine incredulum me pleriq; temerè assentientes nuncupant. Nam hoc mihi iandudum est propositum, nil eorum quę cogitatione & rationis discursu colligi possunt, pro veris admittere, quantumuis maxima sit eius qui narrat authoritas. Fateor quidem nondum inuentâ cognitámque nobis esse omniú quæ testatur experientia occasionem: quemadmodum pro verissimis opinionibus permultas habeo quæ vulgo paradoxæ, necdum persuasæ sunt. Atqui vt meis indicta ratione credi nolo, sic mihi liceat aliis non assentiri, priusquam effectuum causas à suis authoribus discam, vel ipse ratiocinando assequar. Hoc sit omnibus liberum, absque demonstratione dictis fidem non adhibere, quum parum cauti, imò valde hebetes videantur, qui admirandas assertiones inani quadam dicentis opinione affecti, recipiunt. Talis est quam heri proponebam, Clarissime Præses, nonnullos sine cibo, non solùm dies multos, sed menses & annos viuere posse. Hanc tu prudenter dixisti nunquam recepturum nisi demonstrarem, quum omnium quas ex me audiisti παραδοξοτάτη videri possit. Est tamen, vt aliæ omnes, verissima, & cui tu posthac non refragaberis. Nil enim dubitabis in nostram venire sententiam, quum ex rerum naturâ euidentissimas rationes causásque

sásque pro fundamentis depromptas habeat. Id obseruasse me, non dicam, sed fieri posse confirmabo. Si testibus factum probandum esset, locupletissimi & minimè spernendæ authoritatis aliquot nobis proferrentur. Hippocrates hebdomadâ homini letalem inediam præscribit. At Plinius non vtique septimo letalem esse dicit, quum & vltra diem vndecimum plærique durauerint. Audio nunc Auenioni esse hominem sexagenarium, qui rarò, & per maxima interualla, quinque, sex, decem, & plurium dierum comedat. Huic simile est quod Albertus scripsit, fuisse fœminam quæ sine cibo dies quandoque viginti transmiserit, sæpe verò & triginta. Virum quoque melancholicum se vidisse ait, qui ἄσιτος perseuerarit septé hebdomadas, alternis tantùm diebus aquam exsorbentem. Athenæus refert, Timonis amitam quot annis in spelæa vrsarum more bimestre tempus absque vllo alimento delituisse semianimem, vt sola inspiratione viueret, ac ægrè dignosceretur. Visam in Hispania puellam grauissimi produnt, quæ comederet nihil, ac haustu solùm aquæ vitam confoueret, & annum iam ageret secundum ac vigesimum. Puellam annos tres in Gallia Narbonẽsi multi viderunt, & Spiræ in Germania aliam extitisse accepimus, doctorúmque & bonorum virorum literis proditum est, annos totidem nullo prorsus aërem cibo potúque vitam salubriter traduxisse. Aliam quoque se vidisse testatur Guliel. Ron

Lib. de carnib.

Lib. 11. cap 54.

Lib. 7. de animalibus.

Lib. 2. Dipnosophistarum.

Universidad de Deusto
Biblioteca

deletius, eodem victus genere ad decimum ætatis annum peruenisse, tandem grandé factam nupsisse, & felicem prolem sustulisse. Germanã mulierem triginta annos omnimoda inedia vitam traduxisse, Ioannes Boccatius scripsit. Petrus Aponensis (quem Conciliatorem vocant) refert, mulierem quandam Normanam per decem & octo annos nihil comedisse: atque aliam sex & triginta annos ieiunam perdurasse. Romæ annos quadraginta sacrificum quendam sola aëris inspiratione vixisse, ex Leonis Pontif. Max. & multorum principum custodiâ, & Hermolai Barbari historiâ fidéque certissimum est. Sed cur tandiu moror in his recensendis miraculis, quæ meræ nugæ videri possunt donec rationibus rem explicaro? Est sanè per quàm magni momenti aliorum & authoritas & obseruatio: at non satis esse debet, vbi non deest ratio qua dictum confirmes. Hæc sine, gaudeo te propositionem admittere noluisse, vt in ea inuestiganda (quod iandudum cupieram) animũ commodè exercere possim.

CONSTANS Et rata sententia est, viuentia omnia, stirpes & animalia, propter inclusum in se calorem viuere, illius beneficio alimẽtum trahere, conficere, eóque nutriri ac sustineri, augescere, procreare, animãtes præterea sensu affici & moueri: & quantò perfectiora hæc fuerint opera, tantò caloris vim atque substantiam vberiorem adesse. Vnde Aristoteles vitam vno calore cõtineri, sine calore neque animalia neque

que stirpes viuere, tanquam protritum & peruulgatum memoriæ mandauit, qui & mortem caloris extinctionem esse definiuit. Cuius imitatione vna omnium Philosophorum cõsentio vitam calore finit, mortem caloris extinctione. Nam quãtuluscunque is fuerit, corpus eo præditum vita fruitur, & dictas functiones, licet obscuras, de se promit. Hunc alit & substinet pinguis humor & aëreus, qui in partium similarium substantiam conserrus omnem effugit oculorum aciem. Is primus est & communis viuentium omnium, in quo spiritus calore perfusus primùm & per se considit: adeò vt neque spiritus neque calor esse possint, vel diutiùs permanere, citrà illius humoris opem. Est igitur vita & animantium duratio in horum duorum consensu, calido & humido: illud omniũ actionum opifex censetur, hoc illi substernitur vt durabilius sit. Atque quamdiu vitalem calorem fõuere potest vtilis & iucunda ea humiditas, tandiu in viuis est animal plantáve. Vnde fit vt vitæ longioris sint, quæ plus humidi natiui, aut id crassius & dissipationi amplius resistens, sortita sunt. Nam & ipsum naturâ pingue, oleosum, tenáxque fuit, vt à calore (qui eo inuolutus sensim portiunculas disperdit & absumit) tardiùs absorberetur: quod priusquàm accidat, vitam naturæ animal reddit, propriâ detractâ materie, spiritu atque calore marcescẽte. Porrò cùm animantium moles ea ratione perpetuò diffluat minuatúrque, ni similis altera substantia

Universidad de Deusto
Biblioteca

pro ea quæ defluxit restituatur, euaporabitur certè atque dissipabitur vniuersa. Atqui nulla est quam in humidi substantifici (vt vocãt) absumpti locum reponas, non dico quantum nulla cessatione minuitur, sed ne tale quidem vel minimum. Quippè id omne ex semine & primis nostræ generationis principiis ortum habuit: iam nil eiusmodi corporibus nostris superaddi posse videtur. Hinc moriendi necessitas, quum nulla arte quòd calorem retinet vnum resarciatur. Carnosa quidem substantia marcore exhausta restituitur: humor primigenius nunquam: & quum absumpto pabulo calor vnà restinguatur, si hic causa est quæ pabulum absumit, vt certè est, fit protinùs idem calor sui interitus causa. Restat hoc vnum, vt dum penitus auerti nequeat mortis nostræ occasio, hanc saltem nimis celerem & præcipitem, suáque natura properantem ad vitæ exitium, retineamus obtundamúsque, ne tam citò animal extinguatur. Id fieri potest alimentorum opera, cum additâ iucundâ quadam humiditate, ea quæ natiua est irroratur, vt magis resistat caloris sui voracitati. Sic enim diutiùs conseruatur, dum innatus calor in subiectum humidum nequit liberè suam vim exercere. Nam obtunditur aliqua ex parte, & dum in carnosam molem humoréque alimentarios agit, interim minus de primigenio humore absumitur. Absumitur tamen vsque & vsque portiúcula, sed minus cùm alterius copia suppetit. Proinde

Proinde natura non animalibus modò, verũetiam stirpibus insitas quasdam vires deficientis ac desiderati semper appetentes ab initio statim dedit, vt quàm diutissimè fieri posset, omnia se ab interitu tutarẽtur. Quicquid enim genitum est & natura constat, quàm longissimè prorogari & in rerũ natura cõsistere peroptat. Quãobrẽ vesci, bibere, respirare à nullo vnquã didicerũt animalia, sed statim à principio facultates habent quæ hæc omnia citrà docentẽ perficiant. Ex his manifestum esse arbitror alimenti vsum animantibus omnibus, non alia de causa necessarium videri, nisi vt humidum illud innatum (caloris vitalis pabulum familiare & verè vnicum) ne tam citò absorbeatur, foueant: quod quandiu præstare possumus, & superstes humiditas primigenia restat sufficienti portione ad vitalis caloris conseruationen, tandiu vita perfruimur.

Hinc colligas (quę nobis explicãda est secunda propositio) quibus minor & lãguidior calor est, quia nõ multũ efficax ad sui humidi absumptionẽ videtur, non esse multo alimento opus: quẽadmodum ignis exiguus lignorũ copiã nõ sustinet, sed paucis fouetur, maximus verò si lignorũ aceruũ nõ superaddas, mox pabuli defectu extinguitur. Proinde senes facillimè ieiuniũ ferũt, inquit Hippocrates, secũdo loco qui ætate firma sunt, minus adolescentes, omniũ minimè pueri, præsertim qui animo sunt propensio res magísque vegeti. Nã qui crescunt, plurimum

Aph. 13. lib. 1.

Universidad de Deusto
Biblioteca

habent calidi innati, plurimo itaque egent alimento: alioqui corpus absumitur: senibus verò parum calidi innati est, paucis propterea fomitibus egent, quia à multis extinguũtur. Vt enim lucernarum flammæ (inquit Galenus) quamuis oleum pro alimento habeant, tamen siquis id totum simul superinfundat, extinguuntur potiùs quàm nutriantur: simili modo in senibus, & aliis quibus calor est remissior, alimentorum copia nocet calorem suffocans & multitudine obruens. Qui verò multum caliditatis habent, vt pueri & adolescentes, ciborum abundantia gaudent: quia multum absumitur illorum corporis moles, & voracior calor natiuam humiditatem prorsus dissipat, nisi addito familiari succo effrænis coërceatur. Itaque pro caloris ratione alimentorum proportio & mensura, vel nullo alio quàm natura docente, cõstituitur. nã quę ad alimoniæ innatã necessitatem cõsequitur fames seu appetentia, eius certa est norma: vt qui multum & sæpiùs appetunt, copioso & frequentiori cibo indigeant: qui nihil aut parũ & rariùs, pauciſſimo ac per longiora interualla concesso alimento opus habeant. Agricolæ, artifices, & quicunque validis laboribus totum diẽ insudant, larga ciborũ copia, & identidẽ itaro pastu, vrgẽte fame, vti cogũtur: quia natiui caloris qualitas fit actior, magisq; absumit per exercitia, vt inediam ferre nequeant, citra sanitatis & virtũ iacturã maximã, qui se totos laboribus dedũt. Sic πικροχόλεος, hoc est biliosis natura nocentissimam esse abstinentiam Galenus predicat, & ex longiore inedia acerrimas acutissimásq; febres accidere, à quibus promptus est in hecticas transitus, & ab his rursùs in torridũ marasmum. Sanguinei verò facilius ieiunium perpetiuntur, quoniam humectum in illis redundat substantificum, atque item nutrimentitium: præterea calor est remissior & minùs acutus, vt qui humido suffrenetur. Quòd si nullo teneantur exercitiorum desiderio, sed pigri & somnolenti (vt glires) perpetuò desideant, parũ & tardè apperunt, pituitosioréque euadunt, & sæpiùs nulla necessitate, sed pro consuetudine tantùm, horis statutis ad cibos accedunt. Hi sanè remissiorem & veluti torpidum calorem habent, quem præstaret laboribus excitare & acuere, vt multâ humoris superflui copiâ dissipatâ, iam ad moderatum accedens, appetentiæ sensum efficeret, quæ nil aliud est quàm deficientis ac desiderati natiua cupiditas. Deficit verò & à singulis particulis desideratur alimonia, quæ substituatur in locum eius quæ perpetuo vi caloris effluit substantiæ. Ergò cùm non appetunt, verisimile est calorem agere in aliam humiditatem, quæ scilicet excrementitia & non naturalis est: cuius quidem absumptio quum damnosa non videatur, quid mirum si absque noxa vel dolore tandiu perseueret ἀνορεξία, quandiu collectus ille superfluus humor dissipationi resistit, maximè quum ex otio languens caliditas parum consumere possit? Ea est secunda ratio

Aph. 14. lib. 1.

in Com. aph. 14. lib. 1.

Lib. 3. meth. ca. 2.

Universidad de Deusto
Biblioteca

tio, cur senes faciliùs & nullo incomodo inediam ferant: nempè quia præter caloris paucitatem & imbecilitatem, hinc collectam maximam pituitosorum excrementorum copiam habent, coruúmque corpus hebes, pigrum & tardum, ad quosuis motus & exercitia ineptissimum est. Proinde multis nominibus calore parum admodum corporis molem dissipante, accidit vt paucis omninò fomitibus egeant. Porrò, quod in senibus fieri docuimus, idem naturis similibus, ad vnguem conuenit. Nam si quis fuerit vel ex natiuâ temperie, vel ex viuendi genere humidior frigidiórque, is parum appetet & facilè paucis alimentis satiabitur, quia deest calor qui multam absumat sub stantiam. Hac ratione fit vt animalia exanguia, Græcis ἔναιμα dicta, quibus ob caloris paucitatem frigus est infensissimum, tota hyeme latitent, & in locis subterraneis tepidioribus vitam agant sine alimento. Id docet experientia, cui bene consentit ratio. Nam si alimoniæ necessitas est ad eius quod perpetuò effluit reparationem, ne tam citò absumatur humor primigenius caloris natiui pabulum: quibus nil effluit, & ferè nullus est calor (aliquo saltem spatio temporis) nulla erit ciborum indigentia vel vtilitas. Atqui serpentes, lacerti, & his similia, sunt natura frigidiora: calor in ijs perexiguus non multũ dissipat, atque minus solito per hyemem, quia tunc fit languidior ex frigoris sæuitia. Propterea nullum ferè est effluuium, cute dansata & exactè

exactè constipata vi frigiditatis hybernæ: quantum verò est à languida animula susciatum fuliginosi excrementi, ad ipsam cutem colligitur, quæ tandem siccior asperiorque euadens, à sub recta pelle nullo corporis malo detrahitur. Atque illud est vocatum serpentis spolium, quod Vere medio aut desinente, exuere solẽt. Quum Sol ad nos rediens illorum calorem excusso torpore excitat, mobiliores euadunt, & pristinam recipiunt agilitatem. Nam calor motuum dux est & opifex. Hinc Vitruuius: Serpentes (ait) cum per calorem exhaustam habent humoris refrigerationem, tunc acerrimè mouentur: per brumalia autem & hyberna tempora mutatione cœli refrigeratę immotę sunt stupore. Glires & alpinos mures, non solum tota hyeme à cibo abstinere & in somno occupari, verùm etiã longè pinguiores euadere, tàm mirum est quàm vero experimento confirmatum. Vnde exijt Martialis illud in distichis de glire:

Lib. 6. de Architect. cap. 1.

Totamihi dormitur hyems, & pinguior illo
Tempore sum quo me nil nisi somnus alit.

Sed animalculis posse aliquandiu cibum deesse respondebis: grandioribus minimè. Ad id proferam ingentis magnitudinis beluam crocodilum, quem vnum quandiu viuit crescere arbitrantur: viuit autem longuo tempore. Ast illum quatuor mẽses hyemis inedia semper trãsmittere in spectu, author est Plinius. Vrsum quoque hyeme sine cibo viuere posse affirmant. Ergò quem admodum seniores homines frigiditatis ratio

Lib. 8. cap. 25.

Universidad de Deusto
Biblioteca

ratione nec multum appetunt, nec multo cibo indigent: sic & quæcunque naturæ frigoris plus quàm caloris obtinuere, absque cibo multum perdurant tempus. Quid enim nouo pabulo egent, quibus insitum vel appositum non absumitur? Quid vero absumet languens caliditas? Si quid absumat, & eius qui obsistat copia fuerit, non protinùs, sed longum post tempus, id sentietur. Obsistit verò insiti humoris dissipationi plerunque aceruata alimentaris humiditas, nonnunquam excrementitia, quam dum exercet dissipatque natiuus calor, interim natiuæ humiditati minus officit.

Hinc tertiam ad propositæ conclusionis probationem elicias propositionem, videlicet, non solum caloris paucitatem conferre ad facilioré abstinentiam, verùm etiam humoris superflui & qui natiuum calorem occupet, abundãtiam. Nam quod alimonia perpetuò affusa, partes irrorans & humidum natiuum imbuens, facit, id præstat nonnumquam multus excrementitius humor in corporibus nostris accumulatus, dũ caloris acrimoniam atque vim obtundit, facitque quo minus hic meliorem substantiam consumat, dum se ipse absumendum offert. Proinde ventriculo pituitâ pleno (nisi hæc acida fuerit) non appetimus & cibos fastidimus: neque meo iudicio alimentis egemus, donec eiusmodi materiam venter confecerit, aut aliò deturbarit. Possunt tamen interim dum cibos auersatur ventriculus, quia nouo pabulo non indiget, reliqua

reliqua membra famem naturalem (quæ non sentitur) perpeti: vnde, si non concedatur alimonia, languent & emaciantur. Propterea sæpe melius est non expectata ventriculi victoria cibos offerre: prius tamen (si fieri possit) arte nostra purgato ventre, ne illi corrumpantur. Quòd si corpus vniuersum eodem humore quo ventriculus, plenum foret, singulæ partes non magis quàm hic appeterent, neque cibi alterius copiâ indigerent, dũ humor is calori abundè sufficeret. Verùm satietas frequentiùs ventriculum habet, quia primus omnia excipit, atque eius amplior est cauitas: rarius fit vt per habitum corporis vniuersum genus id excrementi diffundatur. accidit tamen senibus, & alijs naturâ frigidis, quia exiguus calor concessum cuique parti alimentum conficere nequit, sed cruditatem multam vbique relinquit. Humores ij sunt pituitosi dulcéque, & caloris conueniens alimonia, si magis elaborentur. Nam pituitam caloris opera in venis perfici, per moram concoqui, & in laudatum sanguinem transire, docent medici. Est enim phlegma sanguis diminutè coctus, vt loquuntur: qui post accuratam elaborationem, partibus nutriendis inseruiet. Sinendum itaque vt calor se in tam laudato opere exerceat, id quod cibus continuò ingestus intertur bat. Ad hoc conferunt inediæ, ijs valdè salutares qui dulcis vel ἀνοσίς humoris pituitei copiâ habent in toto corpore collectam. Ob id rectè Hippocrates famem consulit carnes humidas habẽ

Lib. 7. Aph. 60.

habentibus:quoniam humoribus etiam crudis iucundiùs fruitur calor, quàm recenter ingesto cibo. Hic enim longius multò quàm pituita à sanguinis forma & partium natura dissidet:calor citius factum iam humorem, quàm cibum, ad nutritionem parauerit.Quòd si non efficiat, quia semper noua suggeritur materia, necesse est totum corrumpi, & excrementum omnia fieri.His retentis,morbi familiares humori per corporis habitum pullulant,oedemata,vitiligines, alphi, scirrhi, lupiæ quas vocant, nodi, & eius classis infiniti pituitei affectus. Hos euadet, qui nullo(vel tardiùs saltem & rariùs)ingesto cibo,frigidioris illius humoris perfectionem exactãque elaborationem calori facere sinit. Nam quum in eo negotio totus esse debeat, à noua materia distrahitur, quæ inutilis & damnosa quoque est.Postquàm verò in partium nutrientium vsum,quod visum est commodiùs calor absumpserit,tunc primùm incipiunt singulæ appetere,& ad ventriculum vsque mutuâ communicatione suam indigentiam significare.Verùm vt prius dicebamus, nonnunquam ventriculus (quòd sit humoribus plenus)nõ appetit, quàm vis aliæ partes inediam patiantur:& contrà,vẽtriculo inani & famelico, alijs partibus satietas esse potest.atque quum cibos assumere nos cogat molesta fames, alia ratione conamur particulas suis humoribus exonerare,ne calor nimia quantitate obruatur. At si communis est totius corporis repletio, vt ventriculus simul & aliæ par

partes omnes pituitoso humore refertæ sentiãtur:tunc nullo appetitu affecti, calore in multa materia temperato & occupato, interim dum aliud agit, cibis opus non habent: nam calori sat est negotij, & parum virium: vnde natiuæ partium humiditatis absumptionem conspicuã non facit, quandiu alia vel iucundissima(qualis est dulcis pituitę)fruitur. Id ijs conuenit qui triduum, quatriduum, & longius tempus perdurant ieiuni.Quid enim cibos offerre decet,cùm totum corpus humore frigido, quíque non facilè dissipetur, scatet, si nos cibum tunc solum appetimus cum prior absumptus fuerit? Quid? si cibos fastidiunt, & ijs etiam visis nauseant, nonne id certum est indicium cibo non egere, cuius ipsa natura appetitum nobis indidit, nemo docuit? A quo enim discere possemus cibi horam,& quantitatem,imo & qualitatẽ ipsam? In his naturæ propensitatem,atque nulla ratione præditum desiderium, vltrò insequimur. Proinde qui à cibo penitus abhorret,eo non indiget, quum naturalis, non voluntaria, nec rationi obtemperans sit appetentia. Iam igitur sat supérque ratione confirmatum est:quod testatur experientia: aliquos per multos dies vixisse ieiunos, idque nullo virium aut sanitatis dispendio: quin potius morbos imminentes pręcauisse, aut pręsentes euasisse, creduntur. Imminent siquidem morbi ijs quibus tanta satietas, & totius corporis repletio est, si alimentum assiduè ingeras: quia vniuersum corrumpi

pi necesse est. nam impura corpora quo magis nutries, eò magis lædes, ait Hippocr. Præsentẽ verò morbum ex cacochymia suscitatum euasit, puella quæ in Germania triennium sine alimentis traduxit. Referunt enim illam mitem & benignam, taciturnam, desidem, ac somnolentam extitisse, pustulis & scabie ex copia humoris pituitei, crassi, & viscidi, scatuisse: quæ cum tantum ieiunium vltrò sustinuisset, tandem absumptis humoribus, & morbi sublata materie, sanitati restituta, appetere cœpit. Hæc absurda videri non debent, quum facilè mens assequatur, non solum accidere posse, verùm etiam fieri saluberrimé. Id forsitan durum erit admitere, quod ad duos annos, vel amplius, caloris natiui opus in humorum semel aceruatorum consumptione perseueret: longissimum verò temp° inediæ hebdomade vna, aut altera (quod dixerunt Hippocrates & Plinius) rectè definiri fateberis. Atqui faxo vt temporis longitudo nil te moretur, quin pedibus & manibus in nostram sententiam venias. Equidem nullo minus vitio quàm credulitate damnandus, mihi non absque ratione isthæc persuasi: tu, si placet, vnde colligam hæc fieri posse, cõsidera, perlectis quæ adhuc nobis pauca dicenda supersunt.

Aph. 19. lib. 2.

Cùm pituitosus humor corpus imbuens, partésque iucundè satians, copiosus est, diutius ea sufficit alimonia: dum paucus est, breui absumpta materia, mox appetitus redit. Quòd si non solùm multus, sed etiam crassus & viscidus fuerit

fuerit humor, quis iam dubitat ad longum tempus protrahi vitam posse, etsi nihil superaddas alimenti? Sit præterea calor exiguus & languidus, vel naturâ vel ex accidenti: nõ poterit multum humoris dissipare: ac proinde is diutissimè resister. In sene, in puella, in sacrifico, minor & remissior est caliditas ex ætate, sexu & otio: tãta verò is esse potest humorum viscidorum copia, vt calor natiuus eius consortio non minus iucundè foueatur, quàm alterius noui & diurni nutrimenti appulsu. Id fit quandiu suppetit humoris vbertas: suppetit verò diu, quũ præ crassitie, lentore, & frigiditate parum omninò dissipetur à calore qui nec validus, nec actis est. Et si quidem talis aliquando fuerit, nunc saltem obtunditur. Sic experti sumus Salamandrã (quam frustra credunt ignibus non vri, vt ait Dioscorides) igni superpositam longo temporis tractu assationi resistere posse, atque illum, si minor fuerit, extinguere: quia frigido, crasso, & lacteo humore, pro sanguine, tota referta est. Haud dissimili materia (opinor) eorum corpora infarta sunt, qui aliquot annos à cibis abstinent. Atque talem esse Chamæleontis naturam suspicor, si verum est quod de eo scribit Plinius, hiãti semper ore solum animalium nec cibo, nec potu ali, nec alio quàm aëris alimento. Nam quod de Astomis idem narrat, halitu tantùm viuentibus & odore quem naribus trahant, alia ratione fit, si Marsilii Ficini ingeniosam valde ratiocinationẽ admittas, quę sic habet: Ferũt in ca

Lib. 2. cap. 67.

Lib. 8. cap. 33.

Libro 7. Cap. 2.

Libro 2. de trip. vita. Ca. 18.

d lidis

« lidis quibuſdam regionibus, & odore plurimo
« paſſim fragrantibus, multos gracili corpore &
« imbecillo ſtomacho, quaſi ſolis odoribus veſci.
« Fortè quoniam ipſa natura loci, tum herbarum
« & frugum atque pomorum ſuccos fermè totos
« redigit in odores: tum corporum humanorum
« humores illic reſoluit in ſpiritum. Quòd ſi eſt,
quid verat vaporibus tantùm ali, quum ſimile
ſimili nutriatur? At quos in Europa obſeruarũt
ἀσίτους, ſucco frigidiore atque viſcido pleni fuere. Ad ſupradictas conditiones addere poſſumus στέγνωσιν, hoc eſt cutis meatuum conſtrictionem, quam in his plurimũ habere momenti nouerat Alexander Ben. quum narrans Venetiis quendam quadraginta diebus continuis ieiunum fuiſſe, non ſolùm habitudinem membrorũ frigidã, & craſſum incoctúmque phlegma intus cõtineri annotauerit, ſed etiam meatus corporis conſtrictos extitiſſe. Porrò ſi mihi liceat ab animalibus ad plantas rem iſtam deducere, ſunt ad manum quàm plurima eius generis experimenta. Cæpe etenim, alium, & frumentum poſt multos menſes à terra (quæ alimentum præbebat) ſeparata germinant, non modò viuunt: quia humorem craſſum multúmque habent, qui marcori & ſiccitati plurimum reſiſtat, calorémque inſitum, vel nullius humoris de nouo aſciti ope, foueat. Sic ἀείζωον herba, (Semperuiuum nuncupata) aloë, & vulgo dicta faba inuerſa (quam τέλειον eſſe putãt, Latinis illecebrã, officinis craſſulam maiorem) quia

viſcidum & copioſum in foliis craſſiſſimis ſuccum habent, è terrã auulſa & ſuſpenſa diutiſſimè viuunt. Et quid frequenti aut continuò egent alimento, quæ adeò glutinoſum humorem ſortita ſunt, vt vix tandem per maximos æſtus abſumatur? Cęterùm ne quis hanc ratiocinationem, qua plantas animalibus comparo in alimentorum abſtinentia facili, ſubſannet, ſciat velim longè difficilius eſſe ſtirpes ſine alimonia viuas aliquandiu permanere, quàm animalia. Nam, cur iſtas radicibus inniti perpetuò decet, niſi vt continuò ſuccum attrahant, quo nullo non temporis momento indigent? Animalibus morum cõceſſit natura, quia non niſi per quædam interualla cibos quęrere illa decebat. Hinc videas, aliquot ſaltem dies, vitam protrahi ab animalibus cibo deſtitutis, cùm tamen plantæ ferè omnes ſtatim ac deeſt alimonia, contabeſcant: ſed præcipuè herbarum genus. Nihilominus tamen quę ex his plurimum humoris habent, & compactam denſámque ſubſtantiam, eæ ſunt durabiliores, & euulſę aliquandiu viuunt. Nam viſcidi humoris portionem ad multos dies ſufficientem retinent, in quo anima cõ ſeruetur. Sic multarum arborum exciſi rami tardiùs emoriuntur: ſic inſectorum animalium partes diſſectę mouentur: quòd tenax & diſſipatu difficilis humor, illorum animam veluti obuolutam atque irretiram, ne citò decedat, remoretur. Illud idem efficit vt exãguia (quod prius admonuimus) ſine alimentorum vſu diutiſſimè

Universidad de Deusto
Biblioteca

viuere possint.

Nil iam obstare puto quo minus verum esse concludam, vt optimè demonstratum, in frigido corpore tantam humoris crassi & glutinosi copiam aceruatam offendi nonnunquam, vt ad multos annos nihil aliud agat insitus calor, quàm illius absumptionē. Interim verò corpus nouo alimento non indiget: cuius hoc est indicium, quod nulla sit appetentia. Experimētum rem primò docuit: idem ratio probat, vnà cum multorum similium comparatione. Hęc si attētiùs examinare placet, celeberrime PAPON, non poteris refragari, sed nostrę subscribes sententiæ atque miraberis, vt ingeniosum quemque decet, quomodo ex minimis, & vulgo notis principiis, in eam te opinionem traxerim, quam prorsus reijciendam iudicabas. Ea vis est demonstrationum, quibus Geometrę certiùs multò quàm alij suas inferunt conclusiones, ex confessis & vulgo notis suppositionibus. Quippè lineas primum & puncta, superficies, quadrata, angulos, circulos, & similia tantùm loquuntur: mox vnum ex alio sic deducunt, vt tandem nulla captione aut sophistica solertiâ, sed necessariâ consequutione, discentem ad cœlorū magnitudinem, astrorum distantiam, eclypsis modos, & alia valdè abstrusa dimetienda, veluti manu ducant. Eodem planè modo physices & rerum naturalium peritus, qui principia & causas omnium certa methodo inuenire nouit, paradoxas, sed tamen verissimas propositiones astruere facilè potest, eásque demonstrare ex ijs quæ sensus atque vsus confirmant. Ista tibi, in quauis disciplina benè versato, & minimè tardo sufficient ad meæ sententiæ cōfirmationem, quam initio ne verisimilem quidem esse putasti. Pluribus cum alio contenderē, si hę nil facerent demonstrationes: at tu iam annuis, scio & calculum addis.

Cùm hæc absoluissē, incidi fortè fortunâ in Auicennę Arabis locum, qui nostram confirmat opinionem phlegmatis argumento, quòd si copiosius fuerit, posse effici putat vt sine cibis diutius agamus, quoniam ipsum alimenti subeat vicem. Hoc item sanis hominibus posse contingere, non abnuit. Gaudeo tantum authorem meæ sententię (quam à nemine discussam fuisse existimaram) suffragari.

Universidad de Deusto
Biblioteca

QVOD Frigeamus à pastu, id non accidere externarum partium calore ad ventriculum (vt melius concoquat) refugiente: ad Clarissimum I. V. Doctorem D. FRANC. IOVBERTVM, *fratrem charissimum,*

PARADOXVM III.

QVAM exactè & eleganter de rebus omnibus dicere noris (amantissime frater) alias sæpius sum expertus, cùm de vtraque Philosophia, Medicina, & Mathematicis disciplinis inter nos sermo incideret: sed maximè nuper cum propositæ à me quæstioni grauiter & ingeniosè admodum, idque ex tempore, respondisti. Ea fuit huiusmodi: Quid in Ædilitio edicto morbum à vitio differre velint Iureconsulti. Id enim matutinis horis sedulò perlegeram, nec potueram meopte ingenio tantum nodum soluere. Tu verò inter prandendum statim ex Vlpiano, Sabino, Modestino, Marcello, Paulo, Accursio, Ciceronе, Aul. Gellio & Budeo etiam Pandectarum interprete, rem ipsam definiuisti, permulta ex medicorum præceptis mutuatus, vt tuos nostris (qui de ea materia soli accuratè differere possunt)

sunt) benignè conciliares. Sed quum mox à prandio corpore toto inhorruisses, medicum adhuc agens, calorem ad ventriculum confugere, vt illius concoctionem adiuuaret, dixisti: ego subrisi. Risionis occasionem interroganti, respondi: nullo χθλοσοφως studio teneri externarũ partium calorem, idque variis & verissimis argumentis demonstrari posse. Sed ne qua aliis grauioribus negotiis occupato mente excideret, promisi de mea opinione enarrationem tibi cõscribere, quam cũ aliis multis paradoxis nostro marte elaboratis edisces possis, vt & ipse supra vulgus medicorũ sapias. Quod sum pollicitus, nunc præsto, frater humanissime. Tu, vt ingenio polles, rationum mearum vim protinus intelliges: & ex ea quam persequor, deinceps tecum reputabis, quàm fatuæ & inanes in vulgum irrepserint opiniones, nostrorum ignauiâ, quum hi occasionum verarum inuestigationem perpetuò neglexerint, veterum authoritati nimis nimisque confisi. Alij sunt prorsus hebetes, tardi, & muliones veriùs quàm medici, qui nihil curant præter incertam præscribendorum remediorũ methodum, aut (quod multò indignius est) formularum duntaxat farraginem partim memoriæ multo labore mandant, partim in scriptis & libris secretioribus recondunt. Id genus instituti quanto prosequar odio minus rerum nouarum quàm veri inquirendi (Galeno suasore) studiosus, ipse nouisti: atque vides vt horas meliores in explicanda medici-

Universidad de Deusto
Biblioteca

na impendam, & ijs summouendis erroribus qui longè latéque fertilem campum nostrum serpendo depopulati sunt, nec theoriæ, nec praxi pepercerunt, inuigilem: vt aliquando syncerior sit doctrina, & certius promptúsque hominum malis mederi sciat posteritas. Sed ad id quod lubentiùs audias, quódque iandudum ex pectare te conijcio, propositum nobis negotium aggrediamur.

Mox à pastu manibus pedibúsque frigere, dorso ac penè vniuersa cute horrescere, permultis peculiare & consuetissimum esse, longa obseruatione didicimus: eius tamen euentus occasionem vix aliquis rectè assequitur. Plærique omnes credunt, externarum partium calorem in ventriculum protinus ac cibus ingestus est irruere, vt conuenientibus vndique auxilijs, prima concoctio absolutissimè perficiatur. Hanc opinionem haud vlla ratio sustinet, sed tantùm fallax verisimilitudo approbat, sumpto ex partis natura seu temperie argumento. Nam cùm ventriculus exanguis ferè & membraneus, insito calore parum valeat, vt putant, sit autem vi præstantissima opus ad alimentorum primâ illam & omnium difficillimam elaborationem: is aliarum partium calore indiguit. Quamobrem natura quod membri cõformatio materiáque non patiebatur inesse, id prudentissimè excogitato situ aliunde inuexit. Nam vẽtriculo hepar (à corde calidissimũ viscus) hîc superposuit, illîc splenem admouit, epiploon supernatare fecit, venam

venam cauam arteriamq; magnam substrauit, atque diaphragma parte superiore opposuit, vt ab alijs contractus tepor foueretur. His obseruatis, dum vident extrema frigere vbi primùm alimenta amplexari cœpit ventriculus, permulti rerum naturæ non satis periti, & semidocti φιλοσοφιατροὶ, partes externas etiam stomacho suum conferre calorem existimant. Verùm multò aliter se res habet: quum ne interiora quidẽ viscera innatæ sibi caliditatis momentum illi cõcedant, cui tamen plus quàm externa vicinitatis ergò debere videri possunt. Sic enim ventriculum excalefaciunt, vt nil ipsis pereat. Nam calorem innatum, & proprijs operibus obeundis perquàm necessarium, nunquàm extrà se mittunt, quò eius particeps fiat alius: sed solius contactus & propinquitatis ratione fit, vt is cõmunicetur. Interea verò nil minus efficax (cùm totus membro cui debetur, supersit) æquè rectè solitas perficit actiones, ac si alia pars eodem non frueretur. Ea est Naturę industria, & sagax prouidentia, qua solet vnâ eadémque re ad multiformes vsus abuti: quę si instituisset vt ab hepate & alijs hypochondrio subiectis partibus ad stomachum migraret calor, dum ille concoctioni incumbere incipit, quàm iniusta (ne dicam inepta) fuisset. Nã quid iniquius existimari potest, quàm proprijs sedib⁹ relictis, aliò migrare calorem, cùm interim in ertes otiari cogantur particulę, quibus hunc natura præfecit? Quàm malè earum partium dignitati & officio consu-

Universidad de Deusto
Biblioteca

leret, quum ab opere cessatio mille modis noxia toti animali futura sit! Atqui hepar, vt alia omnia, feriari oportet, si natiua exulet caliditas: si tantùm portio absit, minus rectè incitas exercebit facultates, quum calor earum princeps instrumentum esse putetur. Ergo quandiu ventriculo adstabit, quem hinc inde mutuatus est, eo destitutę partes neque sibi neque alijs conferentia opera perficient: & (quod maximè nocere potest) multo tempore inutiles ac otioſę spectabuntur. Porrò, hepatis non minus quàm ventriculi, necessaria est actio: neque hanc aliquando cessare oportet. Nam si dixeris, expectandũ esse ventriculi concoctionis finem, vt inde materiam iecur accipiat, prius verò non tam egere calore, quin facile ventriculo partem aliquam non cedat: naturę institutum, suarumque actionum ordinem, non benè assequeris. Hoc enim perpetuum est, omnem vel minimam particulam assiduè assimilationi (quę τῆς πέψεως meta est, vt nutritionis ἡ ἕνωσις) incumbere, atque nũc alimentum attrahere, nunc sibi adaptare, mox concoquere, & tandem superfluum aliò excernere. Hęc vicissim quidem fiunt in tractanda vna eadémque materia: verùm simul omnia cõcurrunt, dum trahens facultas nunquam cessat nouum allicere commeatum, altera hunc retinet, tertia continuè immutat, vltima reijcit portionẽ superuacaneam. Id multò manifestiùs est in hepate (quod αἱματώσεως instrumentũ præcipuum esse dicunt) opus tam laboriosum quàm vniuer

vniuerso corpori nutriendo necessarium, perficiente. Atque nisi multo calore præditum esset, aut si eius portiuncula detraheretur, inchoatum negotium sępe imperfectum videretur. Nam ventriculo χύλωσιν faciente, hepar alium chylum ab illo dudum elaboratum in sanguinẽ mutat. Neque enim vnica vice vniuersum accipit, sed trahentibus sugentibusque mesaraïcis sensim exhaurit, quem paulatim etiam & minutissimè partitum in sanguinem transmutat. Idẽ perpetuò aliquid in cauam protrudit venam, quod iam oneri esse incipit: apponit verò sibique recondit iucundissimam conuenientissimamque portionẽ, qua nutriatur. Ab his actionibus nunquàm cessatio, ne temporis quidem momento: quibus cum præsit omnium operationum autor caliditas, nunquam eâ carere viscus oportuit, neque nunc copiosior est necessarius calor, nunc parcior satis esse potest. Ergo non parum inepte faceret natura, si vicinarum partium calorem ad ventriculum statis periodis ablegaret, quum hoc sine langueant sopitis viribus, & iaceant velut emortuę. Nam si quid detrahas, languidior erit facultas omnis, vt non possit iniustitię crimen effugere Natura, si quę semel visa est partib⁹ singulis necessaria, caloris quantitatem diminuat auferátque. At non sic accusanda venit, quę admirandâ prouidentiâ cunctis præscripsit deditque membris, quicquid erat necesse ad operum suorum perfectionem: quęque (vt prędixi) eadem re sępius ad multos

vsus

Universidad de Deusto
Biblioteca

vsus abutitur. Hepatis, lienis, omenti, diaphragmatis, venæ cauæ, arterięque magnę calor, nullo suorum viscerum incommodo, solâ vicinâ, ipsoque contactu, ventriculum iuuare maximè valet. Neque is sua membra deserit, vt illi auxilietur, sed tantus talisque sufficit ad moliendam ventriculi concoctionem, dum aliud quoque in singulis opus exerceat. Sic nec iniuriam dictis visceribus facit Natura, nec ventriculo negatur auxilium omnibus tam ingeniosè atque adeò politicè dispositis, vt omnia suo calore ventriculum vltrò perfundant, ipsa nihil minus habeãt. Quę cùm ita sint, mirari satis nequeo illorum impudentiam, qui à partibus etiam remotissimis (quales sunt manus, pedesque) in ventriculi fauorem accersiri calorem credunt, quum neque id rationi consonum, neque fieri posse videatur. Nam si partes magis vicinę suum (vt par est) calorem tenacissimè retinent, neque vel aliqua necessitudine vel familiaritate mouentur ad liberalem sui exhibitionem, sed ea tantùm qualitate frui sinunt, quam ipse contactus vltrò largitur: quid à peregrinis & longè remotissimis sperãdum illi sit, non video. Re tam necessariâ quàm est natiuus calor, nulla lubens destituitur, quum sit omnium planè actionum opifex, eáque semper indigeant partes. Quid? pedũ manuúmque calor, ciborum, concoctionis studiosus, scilicet, ad ventriculum properabit, & membra quibus naturâ prefectus est deseret? Exiguus sanè est externarum partium calor interno

terno comparatus: atque si is discedat, parum ventriculo opitulari, plurimùm suis membris obesse poterit. Sed quis (obsecro) illum docuit, relictis quibus debetur partibus, incognitas ad ire, ijsq; suam largiri operam? Alię interim quęruntur de eius absentia: Naturam inclamant nouercam, iniustam, improuidam, quę nimis vni, non satis reliquis faueat partibus: quę nesciat cunctis quantum est necesse caloris tribuere, sed alias mendicare cogat, alias suo munimento destitutas torpidas iacère. Nam si verum est extremarum partium calorem ad ventriculum ingesto cibo contendere, hoc illum Natura edocuit: ac proinde meritò iniusta vocetur. Quis rursum horę pastus illum admonet, vt eò certo tempore nihil cunctatus se conferat? Vt dem Naturam istum calorem ad viscera impellere, non tamen hic nouit perquàm varium incertúmque ciborum assumptorum tempus. Quòd si ab eadem nouercâ magis quàm iustâ Naturâ, edoctum esse velis, sicut ab ea singularum partium facultates in cunctis animantibus agere didicerunt: in promptu responsum est eiusmodi. Quę Natura prescripsit, nullo docente perpetuò & absolutissimè perficiuntur: & cuiuis parti destinatus calor, ex sese cuncta absoluit opera, & eò nõ voluntate nec rationis vllo discursu, sed natiuâ tantùm propensitate mouetur. At certum est calorẽ manibus pedibúsque dicatum, ad illorum vitę conseruationem, & naturaliũ functionum opificium, non ad χύλωσιν,

prę

Universidad de Deusto
Biblioteca

pręordinatum fuisse. Viscęribus quę ventriculum circumstant, fortè auctior fuit calor, vt illi etiam communicatus satisfaceret: externis verò partibus ne pilum quidem eius concessit Natura, prętęr id quod erat necesse. Cur hinc amouebitur? Quid illum coget, vel hortabitur, ventriculum adire, quum semper sit vsui quibus semel prępfectus est alię verò parti, ni proprias omnino relinquat, auxiliari nō possit? Non enim per contactum est vicinia, caloris extremorum particeps fit ventriculus: sed si illum sentiat, propriâ sede exulantem habet. Natura quidem animalium partes, & in ijs contenta, sic disposuit atque instruxit, vt quum nulla ratione vtantur, indoctâque plane sint, ratione tamen aliqua niti & agere, nec modo occonomiam, sed & politicen absolutissimam exercere videantur. Atque vt fatear, Naturam partes omnes docuisse, non tamen illud admittam, calorem externarū partium ab illa discere ventriculi regionem, assumpti cibi horam, atque eò tunc esse migrandum: quum ipsa tantùm ea doceat, quæ operibus assiduè faciendis quomodocunque præsunt. Atqui partium externarū calor primæ ciborum concoctioni non est præfinitus. Alioqui cur non semper intus versatur? cur eo sæpe caret ventriculus? An non esset operæpretium, vt saltem toto coctionis tempore illic retineretur? Attamē extrema non diu frigida manent, quasi eorum caliditas protinus ac cibos salutauit, ad sua recurreret. Morâ tam exiguâ potuitne coctio

coctionem vētriculi iuuare, ne dicam absoluere? Ridiculum sanè mihi videtur asserere, extrema frigescere calore ad ventriculum confugiente, quum is nullius durationis effectus sit. Nempè illud tam subitò cessat, vt si recipias calorem per id tempus stomacho auxiliatum esse, stomacique faciendū tamen adeò paruum auxilium ducas: Sed quare istud omnibus commune non est? Cur nonnullis à cibo sumpto frigere nunquam accidit? Si ventriculus manuum & pedum caloris consortio gaudet, vel si illa tantùm in hunc beneficium conferre addicta sunt, quid obstat quo minus in omnibus ex æquo hominibus idem obseruetur? Nunquid egent omnium ventriculi externa caloris ope? Si neges, velisque naturâ calidiorem stomachum à remotissimis operam non mutuari, instabo sciscitans quamobrē frigidis naturis (quibus hoc esse peculiare videris significare) non semper eueniat. Nam rarò quidem æstate, hyeme frequentiùs hoc patiuntur: verùm nonnunquam frigoris nihil omninò sentiunt. Hinc igitur manifestissimum esse iudico, eam affectionem incerti varijque accidentis rationem potius sequi, quàm certam & à natura præfixam legem: quum id nec omnibus commune sit, nec quibus peculiariter euenit, perpetuum esse videatur. Naturæ siquidem statuta nunquam non eodem modo perficiuntur, nisi quid morbosi debitam constitutionem immutet. Ast integra magis valetudine quàm alij non fruuntur (quanquam vulgus id salubre esse existi

Universidad de Deusto
Biblioteca

existimet) quibus illud accidit: vt neq; ipsi ægrotant, quoties talem affectum nõ sentiunt. Nulla etenim præter naturã facta immutatione, aliàs nõ fit, aliàs (sed tamẽ sæpius) euenit: quod ij facilè est obseruare, qui hoc sibi esse familiare, tanquã saluberrimũ foret, gloriãtur. Quamobrem vana est & medico responso tam indigna quàm quæ maximè opinio de calore extremorum ad ventriculum confugiente. Quænam igitur potior huius euentus occasio erit? Vnde causam eruemus, quæ hâc melius effectui quadret? Ea ex alimentorum naturâ, vt conijcio, nobis petenda venit, quum ciborum ingestorum aduentui mox succedant manuum pedumque frigiditas, & cutis horror. Proinde inquisitionis exordium hinc nobis erit sumendum, eiusmodi.

Calor in animalibus cõspicuè maior excitari solet, ijs assumptis quæ verè & naturâ calida sunt (medici nostri ex merâ potẽtiâ talia dici volũt) cùm eorum caliditas nostræ superaddita, nostrã faciat luculẽtiorẽ. Porrò, ex his alia celeriùs vim suã exerunt, quæ scilicet excellenti qualitate prædita sit: vt peregrina illa aromata, cinnamomũ, nux odorata (moschatã vocant) caryophylli, piper, Zingiber & his similia, quibus ad condimẽta nos vtimur: alia tardiùs quidem, sed euidenter satis calefaciunt, vt domestica sinapi, sal, allium, cæpa, vinum. Nemo est qui non plus satis caleat, dum his liberaliùs frequentiusque vtitur: quòd si solis etiam vescatur, haud dubiè à pastu frigus non sentiet, quin potiùs per vniuersum corpus

corpus diffusum calorem, qui paulatim augescens incendij sensum inuehat. Id omnium quæ vulgo assumuntur efficacissimè demonstrat vinum tenue & generosum, cuius penetrabilis qualitas totum celerrimè corpus percurrit: vnde mox percipitur audacta caliditas. Contrà, pleraque naturæ nostræ inimicissima, vel minima quantitate, calorem penè extinguunt: nonnulla insigniter valdè refrigerant. Cicutæ, papaueris, & mandragoræ succi, primo contactu ventriculo maximum frigus adferunt: paulò post reliquas omnes corporis nostri partes non solum frigefaciunt, verum etiam torpidas hebetésque reddunt. Narcotica enim sunt, & sentiendi vim auferunt membris. Propterea horum vsus rarissimus, vt periculosissimus, habetur. Frequentiora esse solent, quæ insignem quidem, sed innocentem ferè frigiditatem inducunt, & alimentorum largo ambitu cõtinentur: vt ex fructibus pepones, cucurbitæ, cucumeres, cerasa acida, mora: ex herbis lactuca, cichoriũ, oxalis: ex potionibus, aqua: ex condimentis, acetum, succus aranciorum, granatorum, &c. quæ si quis copiosè & frequenter assumat, non solùm in visceribus, sed & in vniuerso corpore frigus multo vsu contractum sentiet tãdem: præsertim qui his solis, vel magna ex parte, vescitur. Id etiam aqua frigidior sola demõstrat, cùm ab eius haustu mox interna frigescant: externa verò non multò post idem patiuntur, & sudorem quoque frigoris vi expressum suscipiunt. Ergo

e pro

Universidad de Deusto
Biblioteca

pro varijs eorum quę deuorantur(siue medica menta, siue alimenta condimentaque fuerint) qualitatibus,nunc calet,nunc frigefit(ventriculo primùm eam sentiente affectionem) corpus vniuersum:ea tamẽ ratione,vt à calidis calidiora membra(qualia sunt interna corporis trunco inclusa)plus afficiãtur,à frigidis verò minus: contrà, externæ extremęque partes à caloris fonte magis dissitæ,& naturá frigidiores,à frigidis rebus promptè immutantur, vt calidiorum qualitate eas parum affici constat. A similibus etenim suæ temperaturæ causis maior in singulis membris alteratio fit:à contrarijs verò,& imbecillioribus,ferè nulla.Hęc quum ita sint,quis iam non videt ciborum occasione accidere posse, vt partes aliquæ frigus,quod aliæ non sentiunt,patiantur, quum eadem causa hîc frustra laboret,illic insignem insculpat effectum? Quũ primum ventriculus cibos fuerit amplexatus, ex illis sublatus frigidus vapor sua tenuitate penetrans quaquauersum deuehitur. At calidis visceribus occurrens vel obtunditur, vel etiam extinguitur:in frigidioribus verò locis longiorem moram trahit,prius quàm dissipetur.Nam tandem exolescit,videlicet cùm frigus ab illo leuiter impressum,delet caliditas. Cæterùm,vaporem hunc statim à cibo ingesto excitari (idque primo caloris nostri cum illo congressu) efumatio multa ad caput sublata, soporem plerisque inducens, commonstrat, idémque ratio docet:Nam vaporem à caloris in humidum obie-

obiectum actione fieri certum est, & à frigidis quidem rebus frigidiúsculum,à calidis verò suę materiæ haud dissimilem.Quòd si vaporem huiusce rei occasionem esse admittere nolis, non grauabor eâ relictâ, nudam purámque ciborũ qualitatẽ nullo vehiculo corpus totum permeare posse contendere. Id verò probationem in promptu facillimã habebit,ex eorum exemplo quæ delata per intermediam substantiam qualitate,etiam remotissima quęque afficiunt.A Solis corpore nulla effluit portio quæ nos suo contactu calefaciat,sed aërem tantùm qui nos ambit immutans,facit vt calorem ab illo (qui calidus non est,vt physici docent)excitatum sentiamus. Et ignis luculentus nos etiam ab eo dissitos calidiores efficit,dum medius aër purã qualitatem suscipit, quodque ipse passus est nobis cõmunicat. Eodem planè modo fieri posse arbitramur,vt nunc assumpta & ventriculo concluſa alimenta, nihil prẽter suam qualitatem, quamdiu viget,ad extimam cutem vsque, & extremas partes emittant.Primò siquidem ventriculi tunicæ contactæ afficiuntur:earum affectio contiguis partibus mox fit communis: hæ aliis etiam tangentibus eodem modo qualitatem impartiuntur,sitque ea perpetuo succedẽs per varias partes communicatio,donec ad extrema peruenerit.Quamobrẽ nil est necesse ciborum substãtiam qualitatibus subiici,quo ipse ad partes omnes deferantur,quum meræ,& synceræ qualitates,vbi contiguitate iũcta sunt corpora,

Universidad de Deusto Biblioteca

longissimè possint excurrere. Cęterùm frigida maiori ex parte alimenta esse quibus vti solemus, nobis superest demonstrandum, vt nihil eorum desit quæ huic nostræ opinioni lucem adferre possunt: atque omnibus ritè explicatis quę ad hãc pertinent, nemo sententiã nostram oblato suffragio confirmare recuset.

Lib. 1. de fac. alim. Alimentum id propriè & solùm Galeno dicitur, quod medii est temperamenti, nullâque insigni qualitate præditum, ventrem nec soluit « nec cohibet, stomacho neque robur neque imbecillitatem inducit, sudores vrinámve nõ pro « uocat neque coercet, nec aliam quamuis dispo « sitionem calidam, frigidam, humidam, aut sic- « cam in animantis corpore ingenerat, sed quale « id quod nutritur corpus assumpsit, tale prorsus « conseruat. Huiusmodi paucissima, ac ferè nulla « reperiuntur, inter ea quibus vescimur: ad veri tamen alimenti naturam propriùs accedunt sapore pinguia, dulcia, vel insipida (Græci ἄσηα di cunt) & quicunque aciditate vel acrimonia gustum nil irritant. Illa siquidem temperatis frigidiora, hæc calidiora sunt: quę omnia quum manifestè corporis conditionem immutent, à medicis medicamẽtosa cibaria nuncupantur: quãdoquidem nostris corporibus à suo statu mutatio per ea quę propriè medicamenta vocantur, accidit, vt conseruatio fit ijs quæ verè sunt alimẽta. Nos rebus quę sapore notatu dignam qualitatẽ exprimunt, in condiendis cibis natura insipidis, vel ad cupediam, vti solemus: vnde con-

condimenta, veriùs quàm alimenta, dicuntur. Talia sunt crocus, sal, alliũ, cępa, & quæ ex India coquinarum luxus aromata petit. Igitur alimentum suapte natura frigidius esse debet, vel ea ratione quòd à nostro calore immutatum satis incaleat. Prętera, nobis collara omnia sunt (vel iudice tactu, cui de primis qualitatibus decernenti assentiendum est) frigidiora. Quòd si communem victus rationem consideres, assumptorum ciborum qui ventriculo continentur massa & chaos, etiam comparatis inuicem (non ad aliud) qualitatibus, statim cẽsebitur frigere. Nam carnes edimus vel temperatas, vel minimum à temperatis recedentes, quú nullam præse ferant insignem qualitatẽ. Si elixentur, frigidiores ab aqua (quæ est elementorum frigidissimũ) euadunt. Earũ ius decoctum, quod pastus initio sorbere solent vt aluus fiat lubrica (nisi cã lidarum herbarum permistione, croci, salis, piperis, & aliorum, quę tamen rarò adiungi solẽt, corrigas) frigidiusculum est. Acetarijs quoque multi, cum primis mulieres, delectantur, herbisque frigidioribus aceto maceratis vescũtur. Fructus quoque refrigerantes esitant, poma, pira, cerasa, pruna, pepones, cucurbitas, cucumeres, & huius generis plurima. Caseo recenti, aut ætatis mediæ (non solùm veteri, qui calefacit vbi acris euasit) vtuntur: quæ omnia non obscurè refrigerant. Vinum, quod sanè calefacit, ad iuuandã concoctionem & ciborum anadosin, reliquis permiscent: ast illud ferè omnes multâ a-

Universidad de Deusto
Biblioteca

quâ diluunt, vt non parum de sua qualitate remittat: quâ sic refracta, certum est aliorum frigiditati eam non satis opponi, cùm ne merum quidẽ tantum valere possit. Ex multis pauca retuli, vt probem ciborum ingestorũ farraginem mutuâ harum atque illarũ qualitatum cõpensatione, totam esse tẽperata multò frigidiorem. Omitto quòd nullũ cibi genus nostro comparatum calori, calidũ dici possit, donec substantiam nostram adaugeat. Hunc ædepol qualecũque antea fuerit, calidũ rectè vocatur: prius verò dum coqueretur, pro suis qualitatibus variè corpus immutabat, plus minúsve refrigerans. Nam verum & simplex alimentũ euidenter calefacere, non putamus, quũ nulla insigni qualitate prẽstet: calidiorum verò, & (vt vocant) medicamentosorũ, ratior parciórq; est vsus. Vt inferre liceat, cibum refrigerare potiùs quàm excalfacere, interim dum varias subit mutationes. Eius assertionis authorem habeo Galenum dicentem: In animalibus cibi, qui vti prorsus assimilentur, & corpus nutriant spatio egent, hi frigus vniuersi potius quam calorẽ adferre in præsenti videntur. Cęterùm calefaciunt hi tãdem, non secus ac reliqui cibi, si semel vt corpus nutriant sint consequuti, &c. Sed quia illud de alimentis natura frigidioribus & crassi, quæ tardius concoquuntur, aliquis posset interpretari, magis vniuersalẽ sententiã subiungit, inquiens: Generatim quęcunq; assumpta in corpus, vt nutrimentũ calfaciũt, hęc interim frigefacere deprehen

Lib. 3. de tempera.

PARADOXVM III. 71

prehendas: æquè scilicet vt flãmam ab eadẽ materia, nõ augeri modò verũetiam aliquãdo extingui. Et Aristoteles, cur sępenumero vsu veniat vt in gesto cibo inhorrescamus, rationem inuestigãs ait: An quod cibus frigidiusculus admissus vincit principio magis naturalẽ calorẽ, quàm vincitur? Ergò primum refrigerant quæcunque alimenta ventriculus cõpræhendit, & sua qualitate vniuersum corpus alterant: verùm ea frigiditas parùm durabilis, mox à calore nostro qui longé superat, euincitur. Durat tamẽ ad eorum quæ assumpta sunt qualitatis, & caloris huic sese opponentis, efficaciæ proportionem. Nã qui natura vel ex accidenti quopiã minus calidi sunt, & frigidioribus vescuntur, eos frigus à pastu sentire diutius rationi consentaneum est: in alijs mox discutitur, in alijs nullo pacto animaduerti potest, quia ventriculi æstuãs calor statim ciborum qualitatẽ extinguit, & primò contactu iugulat. Porrò frigida alimenta hîc volumus intelligi, nõ solùm quæ propria natiuáque temperie talia videri possunt, verũ etiã refrigerata, quæ natura calida esse nihil vetat. Nã vinũ & eiusmodi multa, cum egelida sumuntur, mutuati atque adeò externi frigoris qualitate nos primùm afficiunt: ea tamẽ facilius multò citiúsq; expugnatur, quàm si interna insitáque foret. Ex demonstratis iam colligo, mulieribus præcipuæ, & viris temperamentọ frigidioribus, aut qui ventriculum ex frequenti destillatione imbecillum habent (quòd ferè accidit ex hepatis

Universidad de Deusto
Biblioteca

insigni caliditate quæ perpetuò ad cerebrũ halitus transmittit,vnde in frigidum vaporẽ conuersi deorsum fluunt)à pastu frequentissimè extrema frigere:cęteris minimè, nisi cùm frigidis admodum vescuntur.Nam huius euentus causam omnẽ sibi attribuunt,alimentorum qualitas:& natiui caloris illa tractantis,quantitas : vt sit euidẽtissimè falsum quod nõnulli somniant, ab extremis vnguibus ad stomachum auxilij gratia recurrere calorem. Eadem ratiocinatio docet, cur ex conuiuis similibus edulijs pransis, alij frigeant manus, alij potiùs caleant , qui scilicet alimenta vegeto suo calore statim afficiunt:vnde fit vt tenuiore substantia rariorem corporis habitum permeante , mox sentiatur vndique sparsa caliditas . Imò verò quibusdam accidit per comestionem calescere atque sudare (quos vulgus generosis equis auenam deuorantibus comparat) non solùm ob dentium attritionem , & μασητηρῶν musculorũ temporalium contentionem maximam,verùm etiam propterea quod internas partes calidas attingens alimentum, subitò vaporem edit,non aliter quàm frigida inito lapidi superinfusa. Vapor autem & calefacit, & in sudorem conuertitur . Qui frigus ab ingesto cibo patiuntur, illud tantisper sentiunt,dum à calore nostro euincitur natiua aut ascititia cibi frigiditas. Nam si calida omnia, vel plura saltẽ quàm frigida sumãtur,vt valde piperata, acria,salsa, vinumque meracius bibant,aut(quod insigniùs calefacit) œnosac-

œnosaccharum & aromatites , vulgo dictum Hippocraticum:haud dubiè ex his nemo frigus persentiet,dummodo quæ allumit etiam calore externo repuerint. Quod si extremæ partes sui caloris missione ventriculo suppetias ferre solitæ forent , cur non etiam calidis deuoratis frigus sentiretur?Nonne calida quoque alimenta coctionem desiderant?Quid obstat quo minus tunc ad ventrem conuertatur manuum calor,ipsæque frigidiores maneant? Nam calidos plærosque cibos (vt allium,cæpe, rhaphanum, carnes incisas & piperatas, salsasque & fumo exsiccatas)coctu difficillimos esse constat: vt nõ sit quod respondeas,ventriculum ijs conficiendis minimum laborare,nec externâ egere operâ. Quod etsi concederetur,non minus tamen consueta ope destitui oporteret ventriculum, præsertim cùm id calorem natiuũ nullâ ratione vtentem lateat.Neque enim distinguere nouit, hos cibos facilè coqui, illos difficilè,ad hos properandum esse,illos verò negligendos. Alioqui tantum artis haberet, quantum medicus longa obseruatione acquirit. Si dicas δυσωφθους quidem esse cibos quosdam naturâ calidiores, sed quòd nostri caloris qualitatem adaugeant, eosdem ad sui elaborationem plurimùm conferre:id rursus fatearis decet,calorem animaliũ eam distinctionem agnoscere, & cognita ciborum facilè coquendorum occasione(quæ ex caloris nostri amplificata facultate pendet) consueti officij munus tanquam superfluum eo tẽ-

Universidad de Deusto
Biblioteca

pore non exequi. Iam vide quàm vana & anilia planè responsa comminisci oporteat, vt absurda tutetur opinio. Me sanè pudet pigetque rem adeò leuem agitare, & infirmam arcem vel nullo præsidio munitam oppugnare. Sed omnes iam in meam sententiam vltrò descendunt, qui rationum quibus eam persuadeo, pondus æstimare sciunt. Si quærant, vnde accidat externas extremasque potius quàm internas vicinasque partes, à cibo frigus sentire: ex supradictis intelligent, calidiora non sic à frigida causa affici vt naturâ frigida, quum hæc minimum, illa strenuè diuque reluctentur. Et sanè potenti admodum qualitate opus est ad vincendam internorum caloris fonti vicinorum caliditatem: in externis & extremis, quæ ab corde longiùs dissita sunt, facili negotio debellatur. Verùm, frigus parum diu durat, quum mox vires suas colligens natiuus partium calor, aduersam qualitatem iugulet. Sed quî fit, vt præterito viscerum calore, & veluti flammâ superatâ, ad extrema vsque feratur frigiditas? Fateor (dices) in partibus calidissimis calorem ab frigiditate illhac pertrã siente non minuĩ: sed quomodo fieri potest, vt in illis nõ extinguatur ipsa, neque vlterius pergat? Mirum, quî valeat tantum superare obstaculũ, vt à contrarijs multis non eneruatus, etiam cum externarum partium calore congredi audeat. His respondeo, verisimile quidẽ esse à circunstante calore exeuntem ex stomacho frigiditatem labefactari: at non extingui dum est insignior,

gnior, & calor ipse remissus. Nam nisi obtunderetur, longè diutius maiusque frigus extremã sentirent. Penetrat verò ocyùs quàm totum sopiatur, vt est rei tenuis natura ad peruadendum efficacissima. Ad id quoque facit corporis raritas, & transpirabilis laxior textura, quæ solet hepate calidioribus inesse: tales verò magna ex parte sunt, quibus etiam friget ventriculus. Ergo, multum apertis meatibus quum via frigidæ qualitati patear, haud segniter prius longissimè conuolat, quàm tota perire possit. Cæterùm, qualitates ipsas (quas incorporeas esse Galenus vno libro demonstrauit) paulo momento corporis partes singulas attingere posse, multorum euentuum experientia docet, vt ex quotidianis vini generosi, vel aquæ frigidæ potus. Hæc enim subito mouent vndiquaque sudorem, præsertim in corporibus humidis, & ijs quæ ex labore aut alio modo calent. Id verò accidit eo quòd frigus vndique sparsum cõtrahit, cogit, premitque particulas, vt contentum in se humorem exprimant. Nam illud quaquauersum diffundi sentitur, statim ac bibitum est, qualitate ad vnguiũ vsque radices ἀθρόως perueniente.

Nihil amplius video quod dubitationi locũ facere possit, vel obstet quo minus ex prædictis inferã, ciborum qualitatem vnicam esse frigoris à cibo in extremis percepto occasionem, & plerisque id nunquam accidere, quia ventriculi maior caliditas non sinit alimentorum frigiditatem longiùs progredi, quin eam mox absorbeat.

Universidad de Deusto
Biblioteca

beat. Proinde talibus naturis potiùs calent manûs, quod tenuissima alimentorum portio à natiuo calore superata accensaque, vniuerso corpori communicetur, & ocyssimè distribuatur (veluti iam confecta, & reficiendis spiritibus accômoda) interim dum expectatur reliquorum concoctio. Frigent ferè omnes, & soli (quod ad corporis rationem attinet) vêtriculo frigidiore præditi: vt sit eorum absurda valdè opinio, qui censent inculpatæ valetudinis indicium esse, à pastu frigere. Postremò, id annotandum nobis est, quod etiam ratio docet: calorem viscerũ in omnibus non nihil obtundi ex primo ciborum contactu, etsi ad extrema vsque non penetret frigus. Id ex pulsuum mutatione conijcio (quæ nota est internorum, vel leuissimorum, & alioqui imperceptiliũ effectuum, occasionis) quia nulli non sunt minores, languidioréque, sed frequentiores pulsus à pastu, ob caloris simul & necessitatis diminutionem: alijs tamen hæc euidẽtiora, alijs obscuriora sunt, pro temperamenti & assumptorum natura. Postquàm verò superata est maxima ex parte alimentorum ruditas, sensim augentur pulsus, vt tandem confecto cibo sint maiores quàm ieiuno, & vehementiores. Hæc cùm ita sint, manifestissimè declarant nõ calorem intro refugere (alioqui pulsus non minuerentur, sed contrà augeri par esset) quin potius internum & externum nonnihil obtundi: illum tamen multó minus, quòd viscera omniũ calidissimæ partes sunt. Id præsertim accidit

dit ventriculo primùm cibos amplexante, & circa illos sese contrahente: extraneæ quippè materiæ contactus nescio quid horroris inducit. Quod nemini mirum videbitur, qui obseruarit vrinâ emissâ corpus inhorrere: scilicet ex mutua contagione laterum vesicæ frigidiusculorũ, quibus erat iucundior lotij tepiditas, nõ (vt Aristoteli visum est) quod aër frigidior vacuum spacium mox impleat. Sic vlceris cauitate frigido specillo contactâ, vel nullâ alia doloris occasione, corpus totum horrescit: & omnis frigidior causa neruosis, aut alioqui sensu exactissimo præditis particulis occurrens, facit rigorem, eúmque affatim vniuerso corpori vno momento cõmunem. Quamobrem si non admittas qualitatem ciborum quaquauersum diffundi, vnius ventriculi & neruosi & sensus delicatissimi refrigeratio satis erit ad ea molienda quæ à pastu accidere solent. *Lib. 8. pro bl. 9. & 14*

Tot tantísq; argumentis vana illa & planè ridicula frigoris horrorisque à ciborum assumptione causa, in exilium relegata, & de hominum mentibus iam depulsa videri potest, vt à nobis allatæ sanè verissimę & certissimis demõstrationibus comprobatæ, cedat.

GA

Universidad de Deusto
Biblioteca

GALENVM MVLTIS IN locis αἱμάτωσιν venis tribuisse, & venas esse proprium sanguinis gignendi instrumentum: Ad Clarissimum & omni doctrinæ genere ornatissimum Iureconsultum D. NICOLAVM STILBTHERIVM,

PARADOXVM IIII.

CVM ante aliquot dies, me de venarum officio multa præter vulgarem medicorum opinionem differentem audires, amicissime & incundissime NICOLAE, alijs omnibus concessis, eam propositionem qua venas non minus αἱματώσεις quàm ἀναθλίσεις dicatas esse affirmo, te prius admittere nolle, quàm rationibus confirmem, dixisti. Ad hæc respondebam, ex nostri Galeni (cuius maxima est, & meritò, apud omnes autoritas) locis aliquot me facilè probaturum, sanguinis efficiendi vim insitam, venarum genus habere: sed quum idem author sui plærunque immemor, iis aliàs contradicat, rationem potius insequendam esse putaui. Nam sæpissimè concessâ venis αἱματώσει, vbi eius proprium ὄργανον ex professo inuestigat, id carnem seu παρέγχυμα hepatis esse docet. Tu his commotus, statim rogasti vt Galeni locos annotarem, & tibi sententiam illam meam paradoxam scripto explicarem, vt per

per otium & attentiùs difficultatum nodos soluere tentares. Id etsi valdè laboriosum videri poterat, annui tamen, cùm amico & nominis mei studioso nihil denegandum putarem. Atque nisi me publcii professorij muneris grauior teneret occupatio, multò plures sententias ex Galeno transcripsissem, & longè fusiorem tibi hanc facerem enarrationem. Tu qualiscunque sit, raptim & carptim paratam, tam hilari fronte accipe, quàm si longiori tempore exactiúsque elaborata foret.

TRIPLICEM IN animalibus concoctionẽ fieri, omnes medici docuerunt. Earum prima est ventriculi cibos in χυλὸν transmutãtis actio: altera venarum & hepatis, vbi chylus in sanguinem vertitur: tertia in singulis nostri corporis partibus fit, quum sanguis in illarum nutritionem (quæ particularis quædam generatio vocari potest) absumitur. De alijs duabus nulla quæstio hactenus, quod sciam, suborta est: de secunda hoc dubitamus, an venis, an carni hepatis, quam peculiariter παρέγχυμα nominant, propria sit αἱμάτωσις. Nam modo huic, modo illis sanguinem gignendi vim Galenus concedit, vt ab eius autoritate sumptum, & anceps & lubricum sit argumentum. Siquidem lib. 2. de fac. natural. inquit: Perfectam eruditatem pituitæ intelligere oportet, in secunda coctione, scilicet in venis: non autem in ea quæ prima est, quæque in ventriculo perficitur. Et de sanit. tu. Eadem ratione se habent & quæ in ventre male sunt

Cap. 9.

Lib. 4.

Universidad de Deusto
Biblioteca

« sunt confecta, ad secundam concoctionem quæ
Lib.2.san.tu. « agitur in venis. Et in eodem tractatu. Cùm hesternus cibus duplici concoctione iam prorsus
« cõfectus est, & ea quæ in ventre, & ea quæ in va
Lib.3.ca.1. « sis sanguinis agitur. Et de symp. causis. Hæc tibi
« eius quoque cruditatis quæ in vasis sanguinis ac
« cidit, exempla sunto. Idē manifestissimè denota
Lib.2.cap. de cucumere. uit lib. de facultat. alim. his verbis: Qui cucumeres bellè concoquunt, quum eo ipso fisi, affatim
« ijs se impleuerint, ijs tandem longo temporis
« tractu accidit, vt succus frigidus ac mediocriter
« crassus in venis coāceruetur, qui in ea coctione
« quæ fit in venis haud facilè mutationem in pro-
Cap.9. bum sanguinem recipiat. Rursus lib.2. de facul.
« natur. ait: Propter quid venter contrahitur circa cibum, & cur venæ sanguinem generent, ab
Lib.3. de causs. symp. Erasistratijs vellem audire. Et alibi: Haud aliter de venis dicendum est. Non solum enim num
« sanguifica vis à scopo deciderit, verumetiam
« quam ob causam deciderit, inquirendum. Et
« lib. de Theriaca ad Pis. Cùm natura valida est (in
« quit) tunc etiam sine impedimento ventriculus
« cibos concoquit, ac venæ ipsos promptè in san-
« guinem redigunt, iecur bilem ex facili segregat.
Lib.3. Et lib. de causis symp. Per concoctionem in ve-
« nis factam (inquit) tria redundant excremento-
Cap.8. rum genera, bilis amara, bilis atra, & serũ. Item,
« lib.2. de fac. natur. Oportebat adijcere aliquid
« etiam de generatione bilis in hepate & venis. In
« illis enim instrumentis gigni bilem vnà cũ san-
« guine veteres tum medici tum philosophi prodiderunt.

diderunt. Et lib.3. de ventriculi alteratione verba faciens, inquit: Sanè ea maior est quàm quę in ore perficitur, minor verò ea quæ in iocinore & venis. Horum namque alteratio nutrimentum in sanguinis substantiam mutat. Et alibi: Quemadmodum in ventriculo concoquuntur esculenta, pari ratione in iecore & venis præconcoctum in ventriculo alimentum. Sed quum in tribus postremis locis etiam de hepate mentionem faciat Galenus, ex his inferet aliquis, iecori non venis propriam & peculiarem esse vim sanguificam: ab illo verò in has influere, vt sint eius facultatis quodammodo participes, concederet: at negabit in sitam sanguinis gignendi potentiam, Galenum venis (ne per somnium quidem) vnquam tribuisse. Verùm quæ à nobis iamiam ex eodem authore producentur sententiæ, id facillimè explicabunt, & vel luce meridiana clariùs demõstrabunt, Galenum venis χυμάτωσιν tribuisse natiuam & naturalem nõ aliunde mutuatam: quum sæpe dicat inesse, & nunc sanguinis generationem ab innato venarum calore, nunc ex certa quadam temperie perfici asserat. Sic enim lib. 4. de vsu partium: *Cap.7.* *Cap.12.* Venis quæ ad ventriculum & vniuersa intestina pertinent, inest facultas quædam sanguinis effectrix, quâ succum qui ex cibis distribuitur, venis in sanguinem mutare naturale est, priusquam is ad hepar perueniat. Et eodem libro: *Cap.2.* Intelligo in animalis corpore omnia conuenienti constructione constare, diuináque quasdam

Universidad de Deusto
Biblioteca

ipsis virtutes à conditore esse inditas: & venas quidem non deducere solum nutrimentum ex ventriculo, sed attrahere simul & hepati prępà rare, modo quo ipsum simillimo. Quippè quę natura ipsi sint adsimiles, & primum germen ex illo ducant. Et lib.2.de facul. nat.antiquorum sententiam approbare videtur, qui (vt ipse inquit) demonstrarunt alimento in venis ab insito calore transmutato, sanguinem quidem ex mediocri calore fieri, reliquos verò succos ex eodem immodico. Atque eam opinionem, vt verissimam & euidenter sensui apparentibus consentientem (quod vel Galenus eo in loco testatur nos paulò post variis rationibus confirmabimus, vt quàm bene paradoxum nostrum placitis veterum quadret, quamuis à Galeno dissentiat, ostendamus. Sed prius alios huius viri locos quibus ἁιμάτωσιν venis concedit, expendamus. Libro primo de facult.nat. sæpe hoc repetit, vt dum ait: Vbi cibus sanguis fit, passiuus quidem cibi, actiuus verò ipsius venæ fit motus. Et paulò post. Tam vena quàm reliquarum particularum singulę, ob certam quandam temperiem quam ex qualitatibus sunt nactæ, hoc vel illo modo agere videntur. Et deinceps: Potentia ea facultásve in venis quam sanguificam appellant, atque etiam alia quęuis facultas, in relatione ad aliquid intelligitur. Nam actionis ipsius, potentia est causa: causa verò ad aliquid est, &c. Deinde: Quoad agentis causæ substantiam ignoramus, facultatem eam siue potentiam

Cap.8.

Cap.2.

Cap.3.

Cap.4.

tiam appellamus, in venis quidem potentiam quandam sanguinis factricem dicentes, in ventriculo concoctricem, in Corde pulsificam, ac in singulis reliquarum particularum propriam quandam eius quam edunt actionis. Et lib.de diff.morb.de ijs agens quæ propriam functionem habent, inquit: Si enim (exempli causa) tunica venæ quæ in sima iocinoris parte continetur, huiusmodi quempiam affectum sustinens, meatum constipet, per quem gibbi ipsius vasa sanguinẽ recipiunt, duo existimandi sunt morbi, alter ipsius venæ affectus, alter obstructio meatus. Quippe venę affectus obstat quo minus sanguis vtilis generetur: obstructio verò ipsius per corpus digestionem impedit. Ex his omnibus locis, qui cum supra citatis bene conueniunt, facilè est colligere, venas de Galeni sententia sanguinis opifices esse, cámque vim insitam habere, quę non à iecore per tunicarum suarum raritatem influat, sed proprij temperamenti cõditionem sequatur. Nam siquis solam ἀνάδοσιν venarum peculiare munus esse, interpretari velit (quum tamen Galenus ἁιμάτωσιν luculenter exprimat) absurdus omninò censebitur, vt qui non videat hoc figurę & conformationi, non temperamento, deberi. Nam instar canalium venę excauatę, & ceu riuuli per totum corpus dispersæ, humorẽ quaquauersum distribuunt: sed interim ab innatâ facultate (quę elementorum proportionẽ & miscellã sequitur (illum coquunt, elaborant, mutátque in san

Cap.7.

Universidad de Deusto
Biblioteca

guinem. Id etiam Galenus voluisse videtur, dum
Lib. 4. de vsu par. cap. 10. inquit: Venis (quum eas natura distributionis
„ organa fecisset) facultatem sanguinis generatri
„ cem indidit, ne dum per eas fertur, tempus ipsi
„ alimento frustra periret. Scio equidē Galenum
ipsum non admittere venas αἱματώσεως gratia
fabrefactas esse, quasi illarum hæc esset propria:
sed ijs abuti Naturam (vt omnibus ferè solet) ad
varios vsus. Nam distributioni tantùm peculia-
riter inseruire has existimauit: quod ex sequen
Ibidem. „ tibus verbis apertè colligere licet. Coquitur (in-
„ quit) adhuc alimentum & in ipso per intestina
„ trāsitu, vt in venis etiam omnibus sanguis, quú
„ tamen neque intestinorum quoduis coquendi
„ alimenti, neque venæ sanguinis gignendi gra-
„ tia extiterint: sed natura quidē organorum quo
que in melius abutitur, &c. Hinc manifestum
est, quàm varium de venarum facultatibus ser-
monem habeat Galenus: cui tamen id persua-
sum esse scimus, carnem hepatis solam αἱματώ-
σεως vim insitam & naturalem obtinere, vt libris
de vsu part. docet. Post quam enim reliquas io-
cinoris particulas sanguinis efficiēdi propriam
Lib. 4. cap. 12. causam non continere monstrauit, Restat ergo
„ (inquit) id quod est veluti caro heparis (quod
„ sanè est & propria substantia visceris) esse pri-
„ mum sanguinis gignendi organum. Et paulò
„ post: Caro hepatis, quæ est proprium ipsius cor
„ pus, primum gignendi sanguinis est organum.
Lib. 3. cap. 13. Et lib. de fac. natur. Corpus iocinoris appello,
primum ac maximè ipsam propriam eius car-
nem

nem: post hanc etiam singula quæ sunt in ipso „
vasa. His & plerisque alijs locis quid senserit i- „
pse luculenter explicat, παρέγχυμα καὶ τὸ λεῖον σάρκα
conceptis verbis exprimens. Nam si duntaxat
ἁπλῶς dictionem proferret, nondum constaret illum sententiæ nostrę refragari, quando-
quidem eius verba sic possent interpretari: He-
patis vox significat integrum viscus ex multis
conflatum partibus, venis scilicet, arterijs, ner-
uis, meatibus biliosis, carne peculiari, & omnia
ista inuoluente membranâ. Ex his præcipuæ
sunt venæ, quibus totius actio accepta refertur
quemadmodum in quouis instrumento vna
est similaris particula primariæ functionis opi-
fex: aliæ huic vsum & vtilitatem prestant, actio-
nem iuuant aut meliorem efficiunt, vel partem
vniuersam conseruant. Quòd si est, quum à di-
gniori fieri soleat nuncupatio, nil mirum si he-
patis appellatione infinitum eius partis vena-
rum numerum intelligamus. Porrò venas hu-
ius instrumenti sanguifici propriæ actionis au-
thores esse, nobis statim demonstrabitur, vbi
Galeni & aliorum qui eius sententiæ suffragan-
tur, rationes quibus parenchymati præcipuum
operis adscribere contendunt, euertemus. A-
iunt ei tribuendam esse vim præcipuam, cuius
in aliquo organo amplior quàm reliquorum
moles est: παρέγχυμα verò hepatis venas quan-
titate superare. Verùm vt concedam paulò vel
etiam multò maiorem esse carnis hepaticæ
quàm venarum suarum portionem, non ideò

Universidad de Deusto
Biblioteca

tamen concludas, illi digniorem gradum debe ri, quum occuli princeps particula minima sit, humor chrystallinus, vnicum visionis instrumẽtum. Et neruus musculum valdè crassum, perreptans, organi pars omninò parua, præcipua tamen est. Galenus subtiliore argumento sententiam confirmabat, demonstrans quomodo oporteat in compositis corporis partibus, quibus aliqua actio commissa est, scrutari per anatomen eiusmodi particulam, cui nusquã in corpore alia sit similis: eamque totius instrumenti propriæ actionis authorem esse putare: ex quibus tandem infert, iecoris παρέγχυμα eiusmodi haberi. Sed huic ratiocinationi ita respõdeo: Musculorum caro musculis propria est, nec vsquam in alijs instrumentis inueniri potest eadem, quamuis omnia sui generis carne prædita sint. (Alia enim est cordis, alia hepatis, alia splenis, alia renum: & exanguibus quoque sua est caro, glandulis, cerebro, ventriculo, intestinis & vtero, quæ omnia nobis alimento sunt.) Nam musculosæ carni motus volontarij præcipuam vim assignabis, propterea quod aliud instrumẽtum nullum similem particulam habet: quemadmodum hepatis parenchymati αἱμάτωσιν attribuunt eo quòd propria huius visceris pars esse videtur? Nonne ad neruum actionis motoriæ summa deferẽda est, vt Galenus ipse docuit? Atqui neruos in alijs partibus istis omninò similes reperimus: carnem qualis est musculosa, non alibi. Quamobrem falsa & inanis Galeni demon

Lib. 4. de vsu part. Cap. 12. & lib. 6. de plac. Hip. & Plat.

Lib. de motu muscu.

demonstratio, ac ijs quæ sensus comprobat manifestè dissentit. Quantò melius esset asserere, iecur nil aliud significare quàm infinitam venarum sobolem, cui rubra molliſque circumfunditur substantia quam ex ea occasione παρέγχυμα vocant) nuper concreto sanguini simili ma: vt musculus neruo & ligamento in minutissimas fibras discisso præcipuè constat, quibus ad firmitatem & integumentum caro adnascitur. His astipulari videtur Aristot. dum scribit, omnium viscerum communem vsum esse venarum gratia: videlicet, quo venæ, vtpote pensiles, sustineri, & copula viscerũ stabiliri ad corpus possint. Attamen siquis malit proprium iocinoris corpus, propriámque substantiam παρέγχυμα illud cum Galeno vocare, quia in alio nullo viscere similem inuenias, non refragabor, dum modo cum eodem authore minimè velit primum gignendi sanguinis organũ, & venarum principium, illi tribuere. Nam qua ratione id defendere possis, quum parenchyma ex venis quæ ipsi intexuntur, potiùs quàm venas ex parenchymate originem duxisse, primæ animalis conformationis obseruatio doceat? Galenus hominis procreationem describens ostendit, venam ex vmbilico prouenientem primò ad cutem bifariam scindi, atque alteram eius portionem hepatis futuri sede occupata in quamplurimos diuidi furculos, quibus tandem παρέγχυμα (propriam iecoris substantiam ille vocat) circum circa adnascitur, ita vt ramulorum

Lib. 3. de part. animal. cap. 7.

Lib. 4. de vsu part. cap. 12.

Lib. de fœtus form.

Universidad de Deusto
Biblioteca

interstitia, perindè ac stoebe, impleat & obturet. Præter Galeni authoritatẽ, & à multis factâ obseruationem, id etiam ratio docet. nam subiectas particulas esse priùs oportet, quàm aliæ superponantur: quù illæ sint veluti fulcra & totius structuræ fundamentum. At (dices) vna vice & simul omnes vnius membri particulæ nasci possunt? Negamus id hepatis formationi conuenire, quia sanguinem ex vtero allici oportet, vt ex eo caro gignatur. Sanguinẽ verò suppeditare, venarú functio est, quæ cum humoris plurimum hauserint, per tunicarum suarum raritatem & anastomoses effluere sinunt: is vndique sparsus vasis agglutinatur veluti cõcrescens. Ipsæ autem venæ, cum reliquis exanguibus & albis partibus, primum omnium ex semine fingũtur. Deinde Natura sensim carne eas implet capacitates, quæ inanes inter spermaticas fibras interciderant. Igitur cum tempore & cõformationis ordine hepatis carne priores sint venæ, vt quę illi generandæ materiam suggerant: quis iam affirmare audet, venarú exordium pendere à parenchymate, & non istud ab illis enasci? Ex supradictis sanè liquet, ἀιματώσιν priusquam hepar carne vestitum sit, in animalium corporibus exerceri. Nam ex sanguine rubentimo, puro, & valde elaborato, caloriſque vi incrassato, nõ frigore coacto (vt quidam volunt) hepatis caro producitur. At talem materiam non trahit ἔμβρυον: sed magis rudem & pituitean, quę tandem in laudatissimum sanguinem euadit,

Fetus pituitosum, non elaboratissimũ sanguinem attrahit.

dit, venarum adhuc excarnium facultate attractum humorem coquente ac perficiente: aliàs nunquam fieret παχέγχυμα. Quòd si velis fœtum ex materni fontibus sanguinem iam perfectum & operi conuenientissimum haurire: idem toto gestationis tempore accidere credes. Quòd si fateare, tandiu otiosum ac planè inutile hepar esse significabis, quandiu vtero fœtus includitur, quum nil sit quod agat. Præstat ergo dicere, venas iecoris præcipuas & primogenitas partes, statim initio ἀιματώσει incumbere: mox sanguine quem ipsa elaborarint superinducto & concreto, suum opus agere multò perfectiùs. Sed quî fieri possit, vt exangues & albæ humorem suis tunicis colore dissimilem gignant, & quibus rationibus persuasus parenchymati hoc munus detraham, tempestiuum est nunc demum explicare. Hucusque varias Galeni authoritates protulimus, quarum numero plures nostræ fauent opinioni, pauciores ab eadem dissentiunt. Supereſt locus vnus ex lib. de Hip. & Plat. decretis, omnium qui nobis cõtradicunt ex preiudicata quadam opinione prępotens: in cuius euersione non parum erit insudãdum. Ast hoc sublato scrupulo, nobis victoriâ potitis receptui canere licebit. Iam igitur ad rem aggrediamur.

Si verum est Aristotelis decretum, quod mille argumentis & experientijs cõfirmari potest, omnis actio contagione perficitur, & ea potissimum quam immutationem siue alterationem

Universidad de Deusto
Biblioteca

appellant. Magnæ siquidem efficaciæ est, subiectum corpus in aliam naturam tranſmutare. Proinde neceſſe eſt, vt totis viribus, & quam proximè, res agitetur verſetúrque. Hãc ob rem ventriculus cibos concoquendos non ſolum ſua cauitate excipit, verùm etiam vndiquaque tangit amplectiturque, & cauet ne quid inter hos & proprias tunicas medij vacui interiaceat. Cùm enim toto ambitu illos attingit, faciliùs multò quàm ſi eminus ageret, χύλωσιν perficit. Eodem modo & cordis ſinus dexter ſanguini quem ex vena caua haurit, ſuo cõtactu vitalem calorem impartitur: qui quum poſt ea intermedij ſepti auguſtias penetrat, accuratiſſimè elaboratus & extenuatus in ſiniſtram cauitatem peruenit, & forma iam mutata ſpiritus vitalis ſanguiniſque arterioſi nomen adipiſcitur. Omnes præterea noſtri corporis partes, cum vt ſeſe nutriant alimentum in propriam ſubſtantiam conuertere ſudẽt, id non prius exequuntur, quàm roris inſtar diſſeminatus humor, & lentore ſuo veluti agglutinatus, appoſitè ſingulis membri particulis adhæreat. Sic quatuor illæ mundi naturæ ſimplices, dum paribus quodammodo virib. confluunt, in exiguas portiones ſe diſtrahunt, eoque ordine ſe componunt, vt quæque tandem alterius diuerſique generis cuipiam cohæreſcat: alioqui mutuæ actiones & paſſiones tam accuratè non fierent, quàm eſt neceſſe, pro corporum generationibus. Auicenna id feliciter & ingenioſè exprimit, inquiens: Oportet elemen

1. Fen. 1.

lementorum partes & ſubſtantias ad tantam redigi paruitatem, vt cuiuſque earum plurimum contangat plurimum alterius: ſcilicet quum minutiſſima eſt diuiſio, minimum quoduis aliud omni ex parte attingit: ſi craſſiores ſunt partes, in aliquot tantum ſuperficiebus mutuus erit contactus. Hæc cùm ita ſint, in ſanguinis procreatione ea inſtrumenta meritò primas tenere dicemus, quæ ſola materiam verſant, agitant, in portiunculas dirimunt, atque ſuo amplexu vndique premunt. Eiuſmodi ſunt venæ iecoris propè infinitos ramos ſpargentes, & ὑματώσεως officinam ſua numeroſitate conſtituentes vt mox docebimus. Ergo hepatis carni ſanguinis gignendi præcipuum munus haud demandandum eſt, quum ab eâ vaſis occluſa materies nuſquam attingatur, pro foribus ipſa ſtet, & venis tantum ſit operimentum. Nam qui intus concoquitur humor, ſuis optimè iunctis canalibus, ab vna in alteram tranſfluit venam, rubrum parenchyma non tangit, eâ portione excepta quæ illius nutrimentum futurum naturali carnis vi extrahitur. Cùm itaque venis incluſus ſanguis formetur, nec niſi probè formatus illinc exeat ad partium nutritionem: præterea quum ab ijs vndiquaque complectatur, immutatio verò contactum expoſtulet, ſanguinem ſola venarum opera fiere veriſimile eſt. Si dicas, parenchymatis verè & propriè id munus eſſe, & vaſa ſolùm intercedere vt materiam illi contineant, non immutent, atque trans venarum tunicas fundi vim

quæ

Universidad de Deusto
Biblioteca

quæ humorem ſanguinis formâ donet: fautoré habebis & Galenum ipſum, & primæ claſſis anatomiæ profeſſores, qui hepatis venarum tunicas ob id longè rariores eſſe, quàm earum quæ per vniuerſum corpus diſtribuuntur, aſſerunt: ne ſua craſſitie parẽchymatis (quod iecoris ſubſtantiam vocant) facultatem retundant. Nam hepatis carnem proprium ipſius corpus, & primarium ſanguificationis ὄργανον eſſe, venas autem per eam diſperſas ſinus loco cenſeri, dicunt. Vt enim ſanguis diutiùs in iecore moram traheret (inquiunt) ac perfectiorem elaborationem pateretur, vtque totus ad iecoris ſubſtantiam appropinquaret, non vnum ventrem illi (velut lagenam quandam) rerum opifex indidit, ſed venas illas omnes infinita ramorum ſerie, & in arctiſſimos ductus digeſſit. Ego verò contra: ſi venæ chylo duntaxat in iecur deferendo inſtitutæ ſunt, nonne meliùs fuiſſet naturam hepatis carni amplam cauitatem conceſſiſſe, vt materiam circum circa amplexata perfectiùs elaborare; cùm omnis actio per contagionem meliùs multò fiat, vt ante mõſtrauimus? Aut cur cerebrum & cor (vt de ventriculo nil dicam) ampliſſimos habuere ſinus? In craſſo amplóque viſcere non deerat ſpatij fingendi commoditas: id verò cum primis neceſſe videbatur, ſiquidem παρέγχυμα præcipuum ſanguinis conficiendi futurum erat inſtrumentum. Dices, minoris eſt negotij αἵματωσις quàm χύλωσις: vnde hæc cauo membro fieri, vt materia circumplecteretur, & perfectè cõ tactu

tactu immutaretur, debuit: illa poterat alio exerceri modo. Sed quare hac poſteriores (vt vocant) alterationes, quę ſcilicet in corde & cerebro fiunt, ventriculis indiguerunt, quum tamen faciliores multò ſint? Nam quò rudior eſt materia, eò difficilius elaboratur. cibi verò primum à ventriculi natura multùm abſunt: chylus minori opera in ſanguinem vertitur, hic promptius adhuc vitalis ſpiritus fit, & ab iſto animalis gignitur promptiſſimè. Ea igitur ratione hepatis carni iuſta cauitas negari non debebat, ſi αἱματώσεως (rei nec prorſus facilis, nec prorſus difficilis) curam haberet. Quod ad venarum tunicæ raritatem attinet, ſciendum non alia ratione factam, quàm vt faciliùs craſſior ſanguinis pars ad παρέγχυμα (quod tali gaudet ac fruitur) penetraret. Sed tantę venarum mollitiei, quam rarior textura comitatur, potiſſima occaſio nunc nũc in mentem venit, dum memoria repeto quę doctè admodum Galenus de corporum & partiũ molliorum natura, ad faciliorem mutationem nutritionémque conferente, demonſtrauit. Nempè, quod valdè eſt molle, nec trahendi, nec retinendi, nec expellendi, ſed ſolo coquendi robore pollet: maximè verò ſi calidum etiam id fuerit. Proinde puerorum corpora optimè, & quantum ad auctionem quoque ſatis eſt, nutriri, humidę caliditatis ratione probat. Venę igitur quò molliores & calidiores ſunt, eò concoctioni & nutritioni magis idoneæ cenſetur, cuiuſmodi videntur in hepatis viſcere diſtributæ.

Lib. 3. de ſympl. cau. cap. 3.

At

At quia eadem occasione fiunt ad trahendum ineptiores, ostiolorum propè infinitorum fuctione accidit, vt nihil illas prætorire valeat, trahentium numero facultatis imbecillitatem supplente. Ob id siquidem vena porta in tot mesaraïcas diuidenda fuit. Et quum molliores minus diu materiam retinere queant, factâ in minimos vsque ramulos extremâ diuisione, retentricis facultatis defectus ritè compensatur. Nam dum per mille angustias & angiportus trāsiturus est humor, in his moram diutius necessariò trahit. Si parum expulsione valeant, quid refert quum ad sanguinis benè concocti expurgationem, hinc vesicula bilem exugat, illinc melancholiam splen trahat, reliquum verò (oneri tũc futurum, quum se & παρέγχυμα nutrierint venę) cauâ exhauritur. Erat igitur venarum hepatis officio à natura satisfactum, si in coctione & (vt vocant) alteratione tantùm excellerent. Ad id verò sola mollities requiritur, quę illarum tunicis concessa videtur. Et ne facilè ruptioni ob tantam laxitatem forent obnoxiæ, conuenientissimo suæ naturę integumento munitæ sunt, quod perindè ac stoebe (vt loquitur Galenus) intermedia spatia replet & obturat. Idem venarũ calorem fouet & sua densitate conseruat, nec non proprij calidi vsum concedit. Nam prætermollitiem, caliditas multa erat venis necessaria, vt promptè & exactè humorem concoquerent. Tertiam huius structurę occasionem docet anatome, scilicet venas præter tunicam peculiarem, aliam

Lib de fœt form.

aliã subinde ascisceere, vt quoties longo tramite ducũtur, & alicubi suspenduntur, aut duriori corpori (veluti ossi) incumbunt, cúmq; extra viscus aliquod aut musculi corpus eminẽt. Tunc enim semper ex cõterminis mẽbranis alia tenuis quædam tunica venis obuoluitur, tutioris ductus & ad vicinas partes firmioris nexus gratia. viscеribus autem insertæ & in illis propagatę, eã tunica non egent, quòd abunde in illis formẽtur. Ea verò tunica foret impedimento, quò minus promptè sanguis ex venis sudaret. Ob id in nulla corporis parte, venę tenuiorem quam in hepate suam peculiarem tunicam habuere. Per vniuersum corpus dispersę duriores & densiores quoque sunt, propterea quòd media via sanguinem transcolare & elabi per rariorem texturam, noxium fuisset. Sed nec erat quo vestirentur vbique: vt taceam plus humorum deductioni, quàm immutationi, eas inseruire. Ergo venarum opus est ἀμάτωσις, non παρεγχύματος, quod illis ad tutelam & firmitatem (vt caro musculis, propter neruorum & ligamentorum minutissimas fibras, concessa) super imponitur: simul & caloris augendi gratiã. Hic enim facultatum naturalium princeps instrumentum, & actionum autor censetur. Cùm verò præcipuam ἀματώσεως causam inuestigamus, quærimúsque an venis, an potius παρεγχύματι ea sit tribuenda, nil aliud quàm organum, cuius temperie facultas innatum calorem ad opus dirigens exercetur, querimus. Porrò, si παρέγχυμα sanguini efficiendo,

Universidad de Deusto
Biblioteca

ficiendo pluſquam venas incumbere putes, ob id quia tali fomite deſtitutę non coquerent: eo dem nomine & ventriculum iure χυλώσεως priuabis, quú male ſit futura illius actio (quinimo vix aggredienda quidem)ſi hepatis ſuperiacentis,omenti,lienis,venę cauę,arterię magnę,&c. caloribus veluti focis, deſtituatur. Quid? num his pręcipuè χύλωσις tribuenda venit,ſine quib⁹ actio perfici non poteſt? Minimè profecto.nam quędam ſunt ἐντοῖς ἐργάνοις ad actionem melius perficiendam, alia ſine quibus non fieret:neutra tamen præcipui agentis merentur appellationem. Sed quomodo ſanguinem venę generabunt,exangues quum ſint & ſpermaticę,naturaque frigidiores? Non aliter quàm ſtomachus chylum exchylus facit, exanguis vena ſanguinẽ gignere poteſt. Et vt ventriculus temperamento(quod materię conditionem inſequitur)frigidior eſſe putatur,nihilo minus tamen omnium difficillimę ciborum elaborationi deſtinatus eſt: ſic ventriculo frigidiores venæ ſanguinem ex χυλῷ perficere poſſunt.Hæc enim à temperiei quadam proprietate,non caloris intẽſiore gradu dependent.alioqui ignis chylum & ſanguinem ex carnibus,ouis,& quouis cibo omnium præſtantiſſimè efficeret. At ſi vel centum annis eo decoquantur, aſſentur, vel elixentur, nunquam talem formam accipient. Innatus verò cuique animalium particulæ calor, vt ſingulis ſuum diſpenſauit natura,quantuſcunque is fuerit, effectis probat atque prodit quas vires obtineat.

Eam proprietatem, non temperiei, ſed ei proportionis quæ eſt inter tẽperiem & formam (quæ temperiem inſtrumẽto vtitur) aſcribit Neſſus lib. 1. de ortu.

neat. Quòd ſi placet etiam caloris intenſionem ad operis efficaciam plurimum conferre,aſſere re(dummodo fatearis naturam, cui omnium facultates priuſquam nobis cognitæ fuerunt, omnibus quod ſat erat tribuiſſe)non reluctabor:quippè qui ſciam vẽtriculum magis quàm venas calere, tum peculiari temperaturâ, tum vicinorum fomentis.Nam tunicis ventriculi tenuiores ſunt venarum tunicæ:his verò ſuperpoſitum ad integri viſceris conformationem παρέγχυμα,calorem adauget:arteriæ ramulus vnicus hanc maſſam perreptat, quum alijs in locis ratò à vena diſcedat arteria comes,fouendi caloris gratia. At ventriculo nihil horum deeſt, imò nec iecur ipſum quo maiori ex parte obtegitur: lien altera ex regione accumbit, omentum fundo adhęret, vena omniũ maxima κοίλη & arteriæ ἀόρτης truncus ampliſſimus eidem ſtomacho ſubſternitur: ſuperiora eius tangit διάφραγμα.Prętęr hæc omnia, vẽtriculus carnoſior craſſiórque multò quàm vena quęuis apparet. Atque proculdubio neceſſe fuit hunc validiſſo calore muniri,quòd multiformia primus excipiat alimenta.Non enim calore ſolùm & conſiſtentia multum diuerſa, ſed omnibus ſæpe conditionibus ἑτερογένεα, & nõnunquã mutationi pertinaciter diu obſiſtentia,dura,craſſa,in magna etiam quantitate illi ſunt atterenda, cõminuenda,& ſummè lęuiganda, vt in ctemorem omninò a qualẽ redigantur,iſque totus albeat, & nullis non qualitatibus ὁμοιομερὴς(quantũ ſen-

Universidad de Deusto
Biblioteca

sus discernere potest) euadat. Eam materiã tanto labore in stomacho præparatam & factã similarem, rursus in intestinis perfectiorem redditam, iecoris venæ suscipiunt, atque faciliori negotio in sanguinem vertunt. (Operosior nãque & insignior est à ventriculo facta alteratio, si actionẽ ipsam spectes: sin perfectius opus, minorem ea quæ in iecore & venis absoluitur, esse dixeris cũ Galeno.) Quamobrem parciore caliditate has contentas esse oportuit, atque fuit abundè illarum vsui satisfactũ, dum carnis maximam mollem circũposuit Natura, vt eius tepore venarum insitus calor egregiè foueretur, & nonnihil augesceret. Nam à parenchymate vim quandam ἀιματώσεως in venas transfundi quid erat necesse, quum proprio temperamento, & carne illa natiuo calori fauente, id præstãtissimè fieret: dummodo in exiguas portiones conficiendus humor distraheretur? Hoc enim fuit perquàm necessarium, vt venarum debilior forsitan in coquendo vis, industrio ramorum in varias frondes discrimine iuuaretur: quũ materia quæ simul tota immutari nequit, partita id facilè patiatur. Sic Aristoteles, mare in partes corriuatum breui tempore putrescere scribit, quod tamen ei vniuerso non accidit. Propterea tali artificio non solum in hepatis compositione vsa est Natura, verum etiam in alijs pleriſque partibus, vbi maiore opus erat elaboratione. Nam arteriarum καρωτικῶν rami plexum χοροειδῆ, & rete illud admirandum (si quod sit) constituentes

Lib. 3. de fac. nat. cap. 7.

Lib. 4. meteor. cap. 1.

stituentes, idcirco in portiones quàm plurimas & minimas distribuuntur, vt per moram longiorem in transitu, materia minutissimè comminuta facilius immutari possit. Vbi verò multiplicem diuisionem facere non licuit. Natura varios anfractus & gyros instar capreoli aut hederæ, excogitauit, vt humor longiori tempore concoqueretur. Id accidit (vt anatome docet) τοῖς ὑπεδιαστόμοις, quos seminis formandi, nõ præparandi tantùm, officinam esse, firmissimis demonstrationibus pro Aristotele probantem, sæpe audiui GVL. RONDELETIVM præceptorem, ingenio, doctrinâ, & experimentis celeberrimum, & de Medicina quàm optimè meritum: qui mihi singulari obseruantia perpetuò colendus est, amicorum integerrimus. Cæterùm si alias vnquam, id præcipuè in vena porta fuit obseruandum, vt hæc in varias diuisiones fissa, veluti radices numerosas intestinis distribueret, non modò quo exactè chyli meliores partes hauriret (quod multò accuratiùs fit pluribus ostiolis excipientibus, quum si hos effugiat materia, in illos incidere possit) sed etiam vt in ea fieri sanguis, rudior saltem, inciperet. Nam priusquam hepatis corpus attingat, minus perfectionis habet: illic verò, iam alibi præparatus, exquisitam sanguinis formam induit, per angustos & multiplices ramulos sensim in venæ cauæ truncum penetrans. Ei tamen comes adhuc relinquitur multa crudior pituita, aquea planè & tenuitate fluxilis, quæ in venis

Universidad de Deusto
Biblioteca

maioribus per multum otium, eius fero ad renes delegato, concoquitur. Ob quod dicebat Galenus. Pituita euacuari non debet, sed in corpore remanere. Inchoari verò διαπέπωσιν à mesaraïcis, hoc satis confirmat argumẽtum, quòd non solum vena porta cruore plena sit, verum etiam ramulorum extrema, qua parte intestinis adhærent, suffusa rubro colore, & sanguine turgentia videantur. Vnde colligas, perperam à nõnullis Lacteam vocari venam portam, quòd succus quem hæc ab intestinis iecori defert, lacteus sit. Atque maximè miror VESALIVM id annotasse, non reprehendisse, quum albicantem portam aut mesaraïcas nemo vnquam viderit: sed hoc fauebat suæ opinioni, in quam mox animaduertam. Nam vix mesarei venas chylus attigit prius quàm sanguis fiat, tanta illis est gignendi sanguinis vis & promptitudo. Dicet aliquis, posse mesaraïcas rubicundiores spectari, etsi non gignant sanguinem: quia materiarum continuitate facilè fit purpurei coloris particeps chylus. Nam cùm hepar sanguine plenum & turgens, nouus humor attingit, hic illius colore statim inficitur, præsertim albus, qui ad omnes colores indifferens, multus pauciſſimo rubro facilè tingitur. sic vniuersam perfundens materiam, sanguinis falsam speciem ad mesaraïcas vsque præbet. Qui hoc proponit, mihi respondeat: cur si per continuitatem solum id accidit, etiam χυλὸς in intestinis reliquus, & fæces ipsæ non rubent? Nam priùs colorem non mutat,

Lib. 2. de facult. natur. cap. vlt.

mutat, quàm venas subierit humor: illas verò paululum duntaxat ingressus mox rubet, vel intra duplicem intestinorum membranam, & in ipso orificio quo chylus exugitur. Chylũ verò intestinis contentum nusquam videas rubicundiorem, ne ea quidem in parte quæ illinit internam superficiem, in quam venarum anastomoses desinunt. Id autem potissimum spectari deberet in inferioribus intestinis, quum permeatis superioribus in plus quàm centum ottiolis materiã eum contractum pertulerit. Sola igitur venarum opera fit sanguinis species illa, & verè generatio: non ex sola contagione falsus & dissimulatus color est. Neque verò putandum, venis tantùm hepatis atque mesaraicis ex multiformi diuisione διαπέπωσις facultatem inesse, aliis omnibus negari: nam (quod priùs quoque annotauimus) per vniuersum corpus distributæ crudiorem pituitam coquunt. Ea Galeni sententia est, qui mille in locis demõstrat, pituitam dulcem vel insipidam (ἄποιον Græci dicunt) sanguini permixtam relinqui, vt venæ quæ trans hepar sunt, in eâ elaborandâ sese exerceant. Scilicet quod hepatis venarum absolutam concoctionem effugere potest, id paulatim à cæteris, quæ nunquam à coctione cessant, perficitur. Illæ quod erat magis laboriosum aggressæ sunt, & superarunt: hæ tandem extremam (vt aiunt) manum sanguinis portioni diminutè coctæ, adhibent. Vnde fit, vt ex toto corporis habitu immodicè refrigerato, hydropes oriantur: quam

Universidad de Deusto
Biblioteca

primam generandi huius morbi causam, ex sanguificationis defectu prouenientem, recensetCap. 8. Galenus lib. 2. de facult nat. Proinde non solum ἀναδόσεως & sanguinis deferendi, sed etiam perfectiùs elaborandi instrumenta, venæ dici merentur: eo ramè discrimine, vt maiores plus delationi inseruiãt, minores melius humorem transmutant: tenuissimæ, quales sunt hepatis, omniũ optimè sanguinẽ progignant, cũ gracilitatis occasione, tum superpositæ carnis fauore haud contemnendo. Quę hactenus demonstrata nobis sunt, non modò verisimilia, sed & necessaria quoque videri poterunt. Vnus restat nodus in quẽ omnes offendent, ac festinabunt rogare, quî fiat vt candidæ venæ sanguinem, rubrum efficiant, quũ singulæ nostri corporis partes immutationi coctionique incombẽtes, non prius fine potiantur quàm materiam & substatiâ & accidentibus sibi similem reddiderint. Si quidâ omnis alterationis (vt in scholis dicimus) finis est assimilatio: quo argumẽto Galenus Aristotelis placitum de venarum à corde exortu oppugnans vtitur, dum inquit: Nonnulli ipsas venarum tunicas sanguinis esse creatrices arbitrantur: quàm verè, non video. Nam si ipsas exinaniueris, nihil prorsus à membraneâ aut neruea natura distare conspicies. Isti igitur meritò damnandi sunt, qui venarum tunicis secundũ naturã ipsarum sanguinis creandi munus deferunt: non secus ac siquis à neruis, aut membranis, aut ossib⁹, aut cartilaginibus, aut adipe, aut denique ab exangui corpore sanguinem contendat generari. Neque enim rubrum tunicæ humorem, sed candidum & viscosum procreare consueuerunt, ex quo nimirum & ipsæ procreatæ sunt, & augẽtur, & aluntur. ANDREAS Vesalius, cum in alijs, tum præcipuè in ea medicinæ parte quæ anatomen docet exercitatissimus & valde ingeniosus, omnibus dissectionis proceribus confessum esse testatur, Naturã venis quandam sanguificationis vim indidisse: quod ipse profiteri non audet. Quin potius Galeno contradicens, mesaraicas rudẽ sanguinis formam chylo cõferre, modo iecori simillimo præparare, & in ipso deductu concoquere, negat. Nullam enim (inquit) sanguificationis vim membraneo & coriaceo venæ corpori assignare possum: & si quæ esset, illa profecto album pararet sanguinem. Atque hoc Galeni placitum, non semel ab ipso repetitum, altiùs refellerem, nisi lib. de Hipp. & Plat. decretis sententiam mutasset, &c. Ego nec Galenum nec Vesaliũ rectè dixisse puto, sed vtrunque cõtradicendi potius studio, quàm re satis examinata, opinionem leuissimo argumento munitam pronuntiasse. Id enim meritò leuissimum omnibus videri debet, quod solum colorem desiderari significat, quum is de substantiæ ratione (quam in generatione primùm expẽdimus) nõ habeatur. Formam quidem illum sequi agnosco & recipio: sed eius solius absentiam (audax dictum) sanguinis appellationem delere, non fateor.

Lib. 6. de plac. Hip. & Plat.

Lib. 3. cap. 1.

Lib. 5. cap. 7.

Lib. 3. cap. 1.

Universidad de Deusto
Biblioteca

Verùm vtrique seorsum respondendum, atque demonstrandũ nobis est, hunc sensui apparentibus & millies visis parum attẽtè mẽtem adhibuisse, illũ proprijs placitis (quod in alijs multis eidem accidere solet) palam cõtradicere. Et vt à Galeno exordiar: venis mesaraïcis quãdam sanguinis gignẽdi vim inesse lib. de vsu part. docet: ne quis verò insitam, naturalemque, & ex proprio temperamento manantẽ (quod tamen sui immemor plærunque dixit, vt antè monstrauimus) intelligat, ab hepatis propria substantia, quam παρέγχυμα esse putat, illam influere admonet. Porrò, eandem venis omnibus communicari, si pituitã dulcem concoquunt, (vt aliàs scripsit) est verisimile: vt primum αἱματώσεως ὄργανον hepatis caro dicatur, ab hac verò secundum omne venarum genus. Cæterùm, quum sic ratiocinatur: venarum tunicas sanguinis opifices esse non posse, quia sanguinem album efficerent, αἱμάτωσιν ex propria venarum temperie, & certa materiæ natura, non accidere, arguit: ast non refragatur, venas sanguinem procreare, ad eas influente vi sanguifica, quam hepatis carni, nõ cordi propriam esse contendit. Et quidem hactenus Galeni sensis benè conuenit interpretatio, nisi mauis tantum autorem inconstantiæ & vanitatis insimulare. Iam sic ago: Venæ à parenchymate, veluti quadam irradiatione, pertunicarum suarum raritatem (nam hæc subaudienda sunt) influentem vim sanguinis gignendi modo hepatis simillimo, vt Galenus loquitur,

tur, accipiunt. Si eius sola communicatione facta, venæ sanguinem efficere, & ruborem quoque subiectæ materiæ inducere possunt, quomodo absurdum esse putabis candidas partes alterius coloris humorem per concoctionem producere? Id si fateare, cur nõ recipies eadem corpora purpureum colorem inducere posse, si natiuam & ex propria temperaturâ sanguinis efficiendi vim haberent? Hepatis carni tantùm αἱμάτωσιν insitam esse vultis, & materiam quæ sanguis fit contactu ipso rubere, quia rubet παρέγχυμα, innuitis. At χιλὸς in mesaraïcas tractus eadem illa διαφάσει (sed influente, vt putant) sanguis euadit, priusquam iecoris carnem attingat. An non absurdum est, à parenchymate etiã vim illam ruborem inducendi manare, & ad mesaraicas vsque extendi, concedere? Nihil sanè magis eorum placitis repugnat, qui contagione ipsa immutatis rebus nouã dari qualitatem asserunt. Ergò, si possunt exarnes τὰς μεσαρέας venæ parenchymatis ἐνεργείαν sentire, & eius factæ participes rubedine chylum tingere: venarum albedo quid obstat, quo minus (si αἱμάτωσιν insitam habeant) rubrum producant sanguinem, quasi recens natam formam ea qualitas necessario comitetur? Galeni profecto nulla esse videtur ratio, si aliquibus venis αἱμάτωσιν concedat, etiam influente ab hepatis carne vi. Nunc Vesalius, qui nec insitam, nec aliunde manantem facultatem venis attribuit, quæso respondeat: vnde fit vt nondum hepar ingressa materia, sanguinem

Universidad de Deusto
Biblioteca

guinem & colore & consistentiâ (nisi fortè dilutior est) emantiatur, si venæ portæ id non præstant? Cur(inquam) ad extrema vsque ostiola mesaraïcæ omnes rubent? Si dicat, sanguinis hepatici & chyli commercio istud accidere: argumento à nobis prius allato, quo reliquam materiam in intestinis eodem colore infici debere contendimus, satisfaciat. Nonne id est sensibus contradicere, venam portã eiusque ramos sanguine plenos videre, & intestinis contentũ adhuc succum albere, cui alius rubens continuus est: non tamen fateri venas sanguinem, seu natiua, seu mutuatitia emendicatave facultate gignere, sed tantùm ex cõtactu rubrum colorem accidere chylo? Sit igitur venis sanguinis efficiendi potestas, quæ non modo rei substantiam mutet, sed & colorem inducat alium ab eo quo ipsæ notantur. Et ne id dũrius pronuntiatum videatur, quanquam abundè probatum esse existimem, placet corollarij vice aliam huius euentus causam dicere, omnium euidentissimam. Ea sumitur ex materiei certa pręparatione, cuius ratione fit vt ab eodẽ agente diuersi effectus in rerum naturâ proueniant. Id varijs exemplis cõfirmare possumus: Sol etenim lintea candida facit, hominem verò nigriorem. Et caro quæ ad ignem nostrum assatur, primùm ex alba flauescit, mox auriginoso colore inficitur, deinde rubet, & tandem nigricat si longiori coctione aduratur. Idẽ in liquidis nõnunquàm apparet, qui variè colores ex coctura mutant, quos nec ignis nec

nec vasorum illa continentium proprios esse dicere possis: Quamobrem absurdum non est affirmare, venas colorem quem ipsæ non habent, materiæ cuipiam pro eius dispositione inducere, dum coctionem suo calore & innata facultate moliuntur. Siquidem alimenta ventriculo primum excepta, qualiacunque antea fuerint, candorem accipiunt dum χυλὸς fit. Hunc autem venæ suscipientes, & innato suo calore (qui à priore non est genere dissimilis) coquentes, purpureum reddunt. Si calor idem, sed intensior, factum iam sanguinem vltra modum calefaciat, exsiccet, adurátque in vasis ijsdem, gignetur flaua bilis. Hæc si asseruetur, nigra cholera (Græci τὴν μέλαιναν χολὴν vocant) euader. Ea fuit antiquiorum sententia, qui Galeno teste demonstratũr, alimento in venis ab innato calore alterato à mediocri quidem fieri sanguinem, reliquos verò succos ab eodem immodico. Hi verò sunt bilis pallida, vitellina, flaua, ruffa, rubra, prasina, & æruginosa, vnà cum atræ bilis varijs speciebus. Vnde quęso tot colorum differentias vnus accipit humor, nil aliud quàm caloris eiusdem speciei varios gradus vel in eodem vase, expertus? Nam in ijs excrementis qualitates huiusmodi à natiuo calore gigni, fatetur Galenus. Atqui venę solum albę sunt: neque est vlla pars in nostris corporibus tam flaua quàm ipsa bilis, à qua suum possit hæc colorem accipere. Eius vesiculam non nisi à contenta materia flauere putant; naturâ exanguem membranea & spermaticam

Lib. 2. de facult. nat. cap. 8.

Universidad de Deusto
Biblioteca

maticam venarum modo albescere dicunt. Sed neque prorsus nigrum est aliquod viscus quod simili colore humores inficiat: quin potius melancholia adurentis caloris opera talis euadit, vel albo vase inclusa. Itaque non amplius dubitandum est, quî possint venę candidiores sanguinem rubrum sua elaboratione conficere; quum id manifestissimè accidat ex ipsius materię dispositione, quę varios colores vicissim accipere per varias transmutationes, nata est: vt videlicet initio alba, deinde rubra, mox flaua, postremò nigra fiat. Atque id non solùm calore præter naturam adaucto, sed etiam mediocriter se habente, euenire, naturalia splenis & cystis felleæ excrementa in perfectè sano aceruari solita, docent. Quod in coloribus est demonstratum, saporum quoque mutatio quodammodo explicat: materiæ (inquam) dispositæ & diuersa parientis naturam, tam variorum euentuũ causam esse. Nam si lac decoquas, primùm fit dulcius: si modum excedas salsum euadit; mox fit amarum. Et mel longiore coctura amaroré contrahit. Porrò, hæ qualitates non ab igne, aut à vasis quibus talia incoquuntur, proueniunt: sed vnicam materiæ quæ id patitur, aptitudinem sequuntur. Idem sine coctura in musto apparet, quod horatim de seipso colorem mutat: vnde licet diuersi coloris vina ex eodem parare. Alba siquidem erunt, si mox initio quàm recentissimum de lacu mustum haurias. Ex longiore mora, obscurius fieri incipit: postea flauet, deinde per

per multiplices colorum gradus rubet, postremò ad nigredinem vergit, vt si multos dies vindemiam in cupa ebullire sinas, non atrum sanguinem modò, sed scriptorium ferè attramentum repræsentet. Hęc si vera sunt, quis non recipiet humorem varias transmutationes passum, diuersos colores, qui vasorum proprij non sint, vltrò suscipere posse?

His omnibus ad amussim examinatis, atque summotis qui infestabant scrupulis, nunc demũ concludamus, sanguinem propriâ & naturali venarum facultate (quam excellentiorem & integerrimam in hepate conseruat κραῖγχυμα) fieri rubrumque colorem accidere, quod ea qualitas formam eiusmodi in dispositâ materiâ consequatur. Antiquorum sententias hoc modo tueri & explicare animi gratia iuuat, NICOLAE iucundissime. Qua ratione persuasi ista prodiderint, quia temporis iniuria, & nostro maximo malo eorum libri perierunt, nescimus. At causas nostro ingenio inuentas sic reddere placet.

Tu de his iudica, &

Vale.

Universidad de Deusto
Biblioteca

AQVARVM saluberrimam esse pluuialem, & omnium aliarum vitia coctione non emendari, Ad celeberrimum Legum interpretem Do. Io. PAPON, *Forensis Galliæ Suppræfectum dignissimum:*

PARADOXVM V.

QVVM nudius-tertius post varios sermones incidissemus in mentionem huius soli Montisbrisonij aquarum, ornatissime Præses, naturâ esse illaudatas, & deteroires etiam per æstatem fieri, Iunio potissimum, Iulio, & Augusto mensibus, admonuisti: sed te illarum vitium coctione emendare. Ad hæc ego respondi nõ salubriores imò contrà peiores ea arte reddi, quæ æstiuum tempus inimicum experiuntur. Nam æstus nihil aliud noxæ aquis inferre potest, nisi quòd crassiores siccioréſque efficit, dum portiones quasque tenuissimas absumit & dissipat. Coctura verò suauiorem & delicatissimam, quæ semel deperdita est, substantiam aquæ non restituit: quin potius ignis, multò quam Sol vehemẽtius dissoluens, quicquid supereſt leuioris & syncerioris naturæ in vaporem fundit & colliquat: vt ex

ex crassiori crassissima tandem fiat aqua. Huic nostræ demonstrationi tu (acutissimi ingenij acerrimiq́ue iudicij vir) statim facilè acquieuisti, etsi præter communem & vulgatam medicorũ opinionem dictum videretur. Nam passim audias, pro ægrotantium potu aquam, vel laudatissimam, coqui iubentes. Hi rerum differentias distinguere, & earũ causas inuestigare nesciunt, vt hac enarratione perlecta, qua fusiùs explico paradoxum, intelliges. Sermonis elegantiam hîc desiderabis: at boni consules, vbi non elaboratam, sed raptim scriptam ratiocinationem esse intelliges. Cùm hæc perlegeris, & verborum sensum annotaris, nos ad incudem maiori otio reuocabimus, & perficiemus.

Aquarum quæ bibuntur quinque sunt omninò differentiæ: pluuialis, fontana, fluuiatilis, puteana, & stagnans. Postrema omnibus mala censetur, aliæ vtiles esse possunt si bonitatis suæ notas expleant: quas quidem trium sensuũ iudicio proponit Galenus, vbi abstinendũ suadet ab ijs quę turbidæ visui apparent, quæ malè olentes olfactum lædunt, & quæ salsæ gustui minus placent: denique in quibus qualitas aliqua gustu annotari potest, vt astrictio, acerbitas, aciditas, acrimonia, amaritudo, nitrositas, vel etiã dulcedo. Atramẽ iucundam & potabilẽ aquam volentes significare, plerunque dulcem appellant. Et Dioscor. aquam dulcedine commendãs, ait: ὡς δὲ ἐπιτοπολὺ ἄριστόν ἐστι τὸ καθαρὸν καὶ γλυκύ, suo quidem ille ritu dulce vocitans quodcunq; potu

Lib. 1. de sanit. tuen. & lib. 1. de facul. simp. cap. 5.

Lib. 5. cap. 18.

Universidad de Deusto
Biblioteca

potu amabile est. Nam laudabilis aqua sapore dulcis non est, perinde ac mel, saccharum, aut lac: sed nullius qualitatis earum quæ nomine sunt definitæ, particeps. Atque hinc dulcis, id est suauis noncupationē meruisse videtur. Est enim vitium non fœtidæ modò, verum omninò quic quam resipientis, iucundum sit illud licet gra tumque, vt ait Plinius. Eadem pura, lympida, & clara, non lactea, sed nullius coloris censebitur, & veluti exquisitè colata frustillorum in natan tium expers. Id circò laudatissimam esse dicunt ἄποσον, quia (vt cōijcio) eius qualitates cum alijs communes non sunt, & conceptis verbis significari nequeunt. Nam quas visui, olfactui, & gustatui offert, nulla colorum, odorum, aut sapo rum differentię appellatione declarari possunt. Sic cucurbitam, & pleraque huiusmodi commu ni vocabulo Græci ἄποια, id est qualitatis expertia vocant (teste Galeno) clarioris doctrinæ gra tiâ, quæ nullum euidentem saporem habent: ni si quis dicat (ait) aliquem etiam esse qui neque acris, neque acerbus, neq; amarus, neque aliud quicquam eiusmodi manifestè representet, ve luti nec ipsa aqua. Plinius aquæ nullam esse qua litatem debere, eleganter significat, dum inquit:

Lib. 31. cap. 3.

Lib. 1. de facul. alim. cap. de cucu

« Aquam salubrem aëri quàm simillimam esse o-
« portet, quippe syncerus aër nec visui, nec olfa-
« ctui, nec gustatui vllas qualitates offert. Porrò
his tribus notis trium sensuum iudicio proban
dis, quartam adijciunt omnium sanè præstantis-
simam, quæ ad sensum quoque referri videtur,
tactum

tactum videlicet, qui de leuitate & grauitate so lus dijudicat. Est autem leuitas ex præcipuis a-quæ dotibus vna, quę alia parte quàm ventricu lo & hypochōdrijs percipi nequit. Nam quum in alimentis id leue dicatur, quod non premit aut grauat, quæ celeriter præcordia permeat a-qua, nec tarda aut pigra suspendit hypochon-dria, leuissima dici meretur: neque est quod salu briorem postules, quum talis sit longè saluberri ma. Nō enim satis est vt visui, gustui, & olfactui, exactè probetur, cùm ij sensus notas quidem bonitatis percipiant, non tamem vltimam cen-suram adhibeant, quin ab ijs ad alium iure pro uocari non possit. Nam si quę pura lympidáque est, & visui probatur aqua, nec potu insuauis sentitur, nihilosecius tamen circa præcordia hę reat (inquit Galenus) hæc talis aqua vitio nō ca ret. Quamobrem tres illi priores sensus veluti πρόδρομοι nobis erunt, quibus primò occurrens si ingrata videatur, non erit vsui: quum ijs displi cens, hypochondrijs quoque grauis futura sit. At nō contrà semper euenit, vt quæponderosa sentitur, suę prauitatis indicia prioribus illis sen sibus exhibeat: quū ἄποιος videri possit, quæ ta-mem leuissima non apparebit. Itaque aliæ notæ non nisi vt hanc, quæ porissima est, inferant ex-petuntur: quum si nullius qualitatis aliunde cō-tractę particeps fuerit aqua, eam tenuis substan tię esse cōijciamus. Alterius enim rei permixtio nē qualitas insignis consequitur: illud verò crassiorē, & ex crassitie grauem necessariò efficit a-

Lib. 1. de simil. tu.

Universidad de Deusto
Biblioteca

quam. Grauis autem indicia sunt, pondus, vexatio, & inflatio in ventriculo & hypochondrijs, quod non solum molestum, sed etiam nocentissimum est. Siquidem potus ad cibi particulas in ventriculo permissendas, & faciliorem exitum, ac in iecur venásque delationem, assumitur. At talia prestare nequit grauis crassió q; materia. Ob id tantoperè commendant aquę leuitatem atque tenuitatem. Sed quomodo visum, olfactum, & gustatum latere potest aquæ vitium, quod solo hypochondriorũ sensu percipiatur? Quia vbi terra simplex sincerióve est, nullam qualitatẽ prę se fert, non aliter quàm aqua. Ob id se solo pondere prodit, nec nisi tandem longáque obseruatione aquę permista deprehenditur. Hinc rectè monet Galenus, tutissimum esse experientia ipsa de aqua alijs sensibus probata, iudicium fieri. alioqui nonnunquàm proba censebitur, quę tamen grauabit hypochondria. Et Palladius non satis habet à colore, sapore, & odore probari aquas, nec à loco vnde erumpant: quia solet (inquit) his omnibus ad speciem custoditis, occultiorem nóxam seruare natura. Itaque nos hortatur ipsam quoq; ex incolarum salubritate noscere. Tectior verò illi noxa est, quam facit grauitas. Cæterùm grauitatis eius probatio, non ad lancis pondus est, sed (vt sæpè repetitum est) ex sensu hypochondriorum. Hoc enim certissimum, & rationali medico dignum est iudicium: illud parum artis habet. Quòd si prius quam potetur,

Lib. 1. de san. tuend.

Lib. 1. rei rust. tit. 4.

tetur, aliorum sensuum iudicio patum fidens, leuitatis aquæ signum vel argumentum cupis habere, (quod ædepol longè satius est, quàm suo malo potus dubij qualitatem experiri) ligneum κύλινδρον parari iube. Hic in varias aquas, vt cisternæ, fontis, fluuij, putei, aliámve immissus, per leuiorem citiùs descendet. Nam quę leuior, etiam tenuior est, atque hanc facilùs aliud corpus permeat. Grauiorem efficit crassitudo, vt marinam: quæ eo nomine pondera maxima sustinet: & lacus Palestinæ (quem alij mare mortuum, alij stagnum Asphaltites, seu bituminosum appellant) alij Sodomenum, à circumiacentibus stagnum montibus, quos Sodoma vocant, vt ait Galenus ob aquæ grauitatem instar luti omnia fert, nihilque submergi patitur, non si hominem ligatis manibus pedibusque in illum comeceris, vt ex Aristotele docet Galenus. Idem testatur Plinius, & præterea refert in Armeniæ maioris Arethusa nihil mergi posse. Item: in Aphrice lacu Apuscidamo omnia fluitare, & in Siciliæ fonte Pythia, & in Medorũ lacu puteóque Saturni. Cylindro itaque leuitatem extenuitate (nam hæc sese mutuò consequuntur) facilè deprehendes. Atque hæc artificiosa magis est aquarum probatio, quàm quæ bilancis pondere æstimatur. Alia est diuini Hippocratis, ingeniosa valde & secretior, quæ docet leuissimam esse quam citius calor & frigus afficiunt. Leuiorẽ enim appellat, vt Galen° interpretatur, quæ ventrẽ nõ grauat, &

Lib. 4. simpl. cap. 20.

Lib. 4. de simil. medic. cap. 20.

Lib. 2. cap. 103.

Lib. 5. cap. 16.

Lib. 6. ca. 27.

Lib. 31. ca. 2.

Aph. 16. lib. 5.

Universidad de Deusto
Biblioteca

citò permeat. Nam si pondere leuiorem aquam dignoscere vellet Hippocrates (inquit) promptum ipsi fuisset ad proprium eorum quæ ponderantur iudicium rem deducere, eiusque per lancem ac pondus inquisitionem facere. At sic nihil magnum tantus autor doceret. Præterea, id quodam circuitu inuestigaret, quod erat facilè statim inuenire. His verbis Galenus explicatè innuit, quam leuitatē significarint antiquiores, dum aquam leuissimam commendant. Nempè substantiæ tenuitatem, quæ non grauatè cōtrarias qualitates vicissim admittat. Nam quò tenuior fuerit aqua, eò pati promptior: est verò tenuis, quæ minimum limi terrestris habet. Non igitur pondere leuem dijudicat Hippocrates, ait Galenus, sed quæ celeriter calescat, & rursus è vestigio refrigeretur. Huiusmodi signum neque in lutosis, neque malè olentibus, aut quippiam medicamentosum gustui imprimentibus cōuenire potest, nec vitiatis ex aëris corrupti mistione, aut alio malo ipsis ingenito ab ignota causa proueniēte, sed in eâ tantum quæ omnibus hisce qualitatibus caret. Nam iliçò tenuiū est partium facilis concoctu & distributu, atq; præcordia subitò transit: nec modo igni externo admota breui calefit, sed & caliditati natiuę appropinquās, immutari facilè potest. Vt enim cibus laudatur qui haud difficulter à ventriculo superatur, sic & aqua. Hinc rectè proponit Galenus, alterum indicium superiori adsimile, ab oleribus, aut leguminibus, aut fructibus, aut carnibus, aut radici

Lib. 1. de facul. simp. cap. 18.
Lib. de pti sana. Comm. 4.
lib. 6. epid. aph. 10.
Cō. 4. lib. 6. epid. aph. 10.

radicibus aquæ incoctis: scilicet quod in optima celerrimè, in vitiosa tardissimè omnia elixētur. Hos sequutus Aëtius rem paucis exprimit: Optimam (inquit) experimur aquam celerrimè calefieri & frigefieri, facilimèque carnes & reliqua omnia coquere: propterea & cibos in ventre benè conficere. Nam hoc fateri necesse est, absque aqua concoqui nutrimentum non posse, sicut omninò sine aqua nil commodè elixatur. Sed cur leuitatis aquæ probationem ad sterā plerique hodie putent reijciendā, quia non est de Hippocratis aut Galeni sententia, nondū bene constat. Nā quæ sic leuis apparet, quomodo alias leuitatis notās non exibet, quum aërea magis esse videatur, quæ quouis modo leuior reperitur? Nonne leuitas substantiæ tenuitatem arguit, hæc verò alteratu facillima est? Id sanè reijci nō potest, aquam lancis examine leuiorem, etiam tenuiorem & immutationi magis obnoxiam deprehēdi. Verùm quia nimis vulgaris est, nihilque artis habet ea probatio, medicis contemnitur. Malunt enim ex eo quod facilè immutetur, aut ex affectu hypocondriorum (quæ obscuriora τὰ ἐκφήρια sunt) leuem aut grauem aquā definire, vt ingeniosiores vulgo habeantur & suspiciantur. Huic dubio etiam respondet Ægineta, dum inquit: Nonnulli pondere aquam examinant, leuem prestare credentes. Hoc igitur si aliis notis accedit, commendatur: verùm sola hæc bonæ aquæ nota, non sufficit. Et Plinius: Quidam iudicant staterâ de salubritate, fru

Tetr. 1. ser. 3. cap. 175.
Lib. 1. cap. 50.
Lib. 31. cap. 3.

Universidad de Deusto
Biblioteca

" ſtrāte diligentia, quādo perrarū eſt vt leuior ſit
" aliqua, nullo penè momento ponderis aquis in
" ter ſe diſtantibus. Certior ſubtilitas, inter pares
" meliorem eſſe quæ calefiat refrigeretúrque ce-
Lib. 2. cap. 17. lerrimè. Sic etiam Celſus de optimæ aquę natu
ra ſcribens, ait: Leuis pondere apparet, & ex his
" quę pondere pares ſunt, eò melior quęque eſt,
" quò celerius & calefit & frigeſcit, quóque cele-
" riùs ex ea legumina percoquuntur.

Ex antedictis colligere poſſumus, aquam di ci optimam quæ nullius acquiſitæ qualitatis eſt particeps, in quam Cylindrus prompte deſcen dit, quę etiam pōdere leuis apparet, mox calefit moxq; frigeſcit, in qua nihil nō facillimè coquitur, quę hypochōdrijs minime grauis ſentitur, Lib. 1. cap. 50. cuius deniq; potores egregiè colorati ſunt. Paulus Ægineta, Galenū & Hippocratem imitatus, eam frugi eſſe putat, quę æſtiuo tempore frigidior, brumali verò calidior eſt. Lib. 8. de archit. ca. 1. Vitruuius aquæ probitatem experitur, ſi in vas corinthium, aut alterius generis, quod erit ex ære bono, ſparſa, maculam non fecerit. Optimam quoque eſſe dicit, ſi in aheno deferuefacta, & poſtea requieta & defuſa fuerit, neque in eius aheni fundo arena neq; limus inuenietur. Lib. 9. rei ruſt. tit. 20. Palladius eadem refert, dum nouā aquā probare docet. Sunt qui putent aquæ bonitatem ſignificare circa fonte aut puteum frequentem adiantū eſſe: vulgo capillum Veneris appellāt. Iſtud multum quidem humoris, loco ſubeſſe demōſtrat, ſed aquæ præſtantiam non arguit, quū & circa vitioſam luxuriet, perindè ac tenuis iuncus, arundo, hedera,

vitex, alnus, ſalix erratica ranunculus, & aliæ ſitientes plantæ.

Putealis frigida eſt, terreſtris, excretu difficilis & vix pertranſiens, inquit Aëtius. Sic Auicēna improbam eſſe dicit putearium, quòd terra plurimum ſit, vt quæ in arcto contineatur occluſa. Ineſſe verò & putreſcentis materiæ quippiam neceſſe eſt, illic Solis radio minus pertingēte, nec prorſum perflatu illos vapores corruptioni obuios detergēte. Proinde vt profundus maximè puteus quiſq; eſt, ita frigidā in primis aquam reddit, & grauē, quippè cui minimè extimus permiſceatur aër. Hinc damnatur vulgi opinio, quæ puteos altitudine commendat. Nā quum fontana vituperetur quæ Solē aduerſum habet, quî ea probabitur quā Sol nunquā videre poteſt? Hanc autē durioré eſſe probāt legumina, quæ fontanâ aut fluuiali optimè coquuntur & tenereſcunt, puteanâ vix tandem molleſcere poſſunt. Id verò protulimus inter aquæ vitioſæ indicia, quod carnes, legumina, & aliæ res non benè eâ decoquantur: vnde colligimus eſſe craſſiſſimam, & immutatu per quam difficilem. Lib. 3. cap. 165. Fen. 2. prīmi, doct. 2. cap. 16.

Fluuialis inter fontanā & putealem mediū tenere meretur: quāuis dicat Aëtius fluuialē & è ſtagnis omnem vituperari, prēter Niloticā: Nam vix conficitur (inquit) exſiccat, & ſiticuloſa eſt, prēſertim quę morboſas regiones aliquas irrigauit. Reliquis tamen fluuijs præſtant, qui à fontibus perpetuis fluunt, nec alij fluuio permiſcentur. Ea verba ſic mihi videntur interprætanda, Tetr. 1. ſerm. 3. cap. 165.

Universidad de Deusto
Biblioteca

quasi dicere velit, fluuiatilem aquã idcirco fontana deteriorem esse, quia crassior & astringẽs magis est. Nam quum fluminis vnda longè latéque pateat, à Solis calore multùm afficitur: quia fit tenuioris substantiæ continua dissipatio: atqi eo maior, quo flumen placidius est. A rapidis enim multò minus quàm à stantibus aquis vapores exhauriuntur. His duobus nominibus salsum & amarũ fit mare, quia cùm sit amplissimũ, & quiescat, dulciorẽ (quæ & tenuior, & leuior, & superior est) portionem ex eo solis caliditas rapit. Proinde melior esse putatur fluuiorum aqua suæ adhuc vicina scaturigini, & quæ (vt vult Aëtius) alteri fluuio nondum cõmixta est. Hinc enim coniecturã assequimur, non esse magnam eius latitudinem, sed angustiorem alueum: quũ ex aliquot tantum fontibus flumen constituentibus aqua sit, minimè longum à primo exordio dimensa spatium. Vnde nec licuit Soli eam insigniter afficere, nisi quantum est satis ad cruditatis elaborationem. Auicenna tamen (qui fluuiatilem semper bonitate proficere, dum a fonte discisa abit longiùs, existimat) quatuor ex causis Nilo incomparabilem bonitatis vim scribit attributam, quarum primam statuit à cursus lõgitudine, secundam ascribit regionis nitori ac præstantiæ, per quam fit aquarum delapsus, tertiam putat quòd à meridie in septentrionem deferantur: sic enim attenuari amplius: postremò & immensam suffragari fluminis molem. Aristoteles verò, posteaquam Nilum fœcundissimum

Fen. 2. prim. doct. 2. cap. 16.

& alendi facultate insignẽ esse prædicauit, moderatæ Solis decoctioni illud acceptum refert. Ergo, dummodo potiorem substantiam ex cursus longitudine fluuius non amittat, salubrior semper magis ac magis fieri assolet. Porrò, amnes quidem limosi sunt & turbulenti, quorum tamen aquam salubriter bibunt incolæ, per linteum pannúmve transmissam: aut vbi per moram terreæ partes in situlis subsederint, vt posthea dicemus. Plinius signum dat: Si amnis limosus (inquit) anguillis scateat, salubritatis indicium habetur: alioqui vitium est.

Lib. 31. cap. 3.

Stagnorum aquę limosę sunt & graues. Nam quietis ratione veluti mortuæ computrescunt, quod etiam nouerat Ouidius, qui ait:

Et vitium captant, ni moueantur, aquæ.

Tetri præterea odoris sunt, tenacem, olidam, lentámque fœcem habent, situlæ lapidosamquã dam residẽtiam impingunt, hirudines nutriũt, & alia quædam vitiosa animalia. Hæc prorsus reijcienda est. Vtiles sunt omnes quę profluũt: nam cursu percussúque ipso extenuãtur atque proficiunt, vt loquitur Plinius. Lacustres, quia perpetuæ sunt, minus malè habentur quàm ex palude vel stagno, quod temporalem duntaxat aquam hyeme colligi, & æstate siccari solitam habet.

Lib. 31. cap. 3.

Cœlestis seu pluuialis omnium leuissima cẽsetur, & facilè transmutatur, vt inquit Aëtius, Valturius tamen Plinium sequutus, eos hallucinari putat, qui imbrium aquam maximè pro-

Tetr. 1. ser. 3 cap. 165. Lib. de re milit.

Universidad de Deusto
Biblioteca

bāt,ob id ipsum quòd leuissima sit,vt quæ subire potuerit,ac pendere in aëre.Hac enim ratione(inquiunt)niues & glacies,quas constat imbribus esse leuiores, in aquam solutæ præferri debent,quæ tamen(& meritò)repudiantur.Sed huic argumēto satisfacit Paulus Ægin. dum inquit:Glacialis niualisque omnium vitiosissima habetur, quod aquarum congelatione omnes tenuissimę partes exprimantur. Niualē adhuc peiorem glaciali censet Hippocrates,vt quæ ἀρθλασιν, φραγδώδεας,& renales dolores inferat. Causam inuenit Aristoteles,quam sic fermè Gellius explicat: Niualis aqua frugibus sanè & arboribus fœcunda est,sed hominibus potu nimio insalubris,tabémque & morbos sensim atque in diem longam visceribus inseminat.Namque solidius latiúsque concreta est ea quam κρύσταλλον Græci appellant, quoniam quum aqua frigore aëris duratur & coit,necessum est fieri vaporationem,& quandam quasi auram tenuissimam exprimi ex ea & emanare. Id autē in ea leuissimū est quod euaporatur: manet autē quod est grauius & sordidius & insalubrius,atq; id pulsu aëris verberatum in modum colorémque spumæ candidæ oritur.Sed aliquātum quod est salubrius ex niue diffiari atque euaporari,indicio illud est, quod minor fit illo quæ ante fuerat, quam concresceret.Aqua verò pluuia,teste Hippocrate,nullo pondere grauis, dulcore abundanti,lympiditate & tenuitate neutiquam vulgari censetur.Inquit enim:Τῶν ὑδάτων κουφότατα τὰ ὄμβρια, καὶ γλυκύτατα, καὶ λαμπρότατα καὶ λεπτότατα: eo quòd à sole tenuissimum trahitur & leuissimum.Ea ratione Vitruuius quoque pluuiam laudat his verbis: Quę ex imbribus aqua colligitur,salubriores habet virtutes, eo quod eligitur ex omnibus fontibus leuissimis subtilibúsque raritatibus,deinde per aëris exercitationem percolata tempestatibus liquescendo peruenit ad terram. Auerrhois super eo cantico, Aqua pluuialis purior cæteras præcellit, sic fermè prodit:Aqua pluuia optima est, ac fontanis fluuialibúsve excellentior longè. Et rei rusticæ periti,cœlestem aquam ad bibendum omnibus anteferri volunt. Galenum miror, qui hanc omninó reijcit,tū in ἀπομέλιτος confectione, tum in vsu familiari.Sed quomodo reliquis præstare valet,cùm omnium facillimè putrescat?Huic dubio sic respondet Ægineta:Nemo (inquit)citius putrescibilem aquam deterrimam esse iudicet, quum alterationis mutationisve procliuitas virtuti magis quàm vitio ascribēda sit.Quāobrem quæ inculpatę aquæ indicijs prædita facilè putrescit,censenda est saluberrima.Quæ enim facilè cōcoquūtur, vt Galenus ait,facilè itē alterantur,ac corropuntur:contra, quę concoctu sunt difficilia,non facilè quoque tum alterantur,tum corrumpuntur.Plinius in cisternarum aqua motum desiderare videtur,dum ait: Stagnantes pigráſque meritò damnant medici: eóque miror cisternarum ab aliquibus maximè probari. Cui hoc responsum volumus:Aliq adhuc crudæ & nihil à propria natura immutatæ,

Glacies dicitur etiam grando,lib. 1.meteor. cap.12.

Lib.1. cap. 50.

Lib.de aëre,aq.& locis.

Lib.19. cap.5.

Nix fata auget,quia poros terræ occludit.

Lib.de aere,aquis,& locis.

Lib.8.cap. 9.

Tract.2. part.1.cantica.

Lib. 4. de sanituend. Lib.1. cap.

Lib.1. cap. 50.

Lib.1.de lim.facu.

Lib.31. cap.3.

Universidad de Deusto
Biblioteca

agitatione redduntur meliores. At pluuialis iam fatis elaborata, fracta, & commota, solâ quiete in nittido & puro loco optimè conseruatur. Omnium verò laudatissimam, dulcissimam, tenuissimamque cœlestem esse, ex signis etiam prædictis obseruare licet. In hanc siquidem ocyus multò quàm in aliam quamuis Cylindrus demergitur: ad stateræ normam leuior est, promptissimè calefit atque refrigeratur: ὑγρὸν ὄρια non grauat, sed statim permeat: nullam præ se fert insignem qualitatem in colore, odore, vel sapore: quod non alio quàm D. RONDELETII hydropotæ (cuius integerrimum acerrimumque iudicium in omnibus admiror) testimonio confirmare placet. Hic verò, non salubritatis tantùm, sed & suauitatis nomine pluuialem aquam cæteris præfert, & me præferre docuit. Verùm obseruandum est, vt cisterna munda synceraque excipiatur & asseruetur: neque sordes, aut vitii genus aliquod cõtrahat ex tegulis quas eluit, vel à canalibus per quos illi transitus est. Fictiles tubos laudamus, vt salubriores & vtiliores: plumbeis fistulis aquæ noxiæ redduntur. nam ceruſa plumbo creatur attrito, quæ corporibus nocet humanis, vt Palladius admonet. Hippocrates ab aqua procellosa seu nymbosa abstinendum suadet: laudat verò ab æthere excretam cum tonitru, aut (quę omnium præstantissima cẽsetur) temporariam. Hanc Græci ὡραῖον ὕδωρ. vocãt. vt fructus ὡραῖα qui matureſcere solent eo anni tempore in cuius

Lib. 9. rei rust. cit. 11.
Lib. 6. epid com. 4. aph. 19.

ius medio Caniculam exoriri contingit. Nam ὥρα id appellatur, & dierum est XL. vt metipse Galenus docet. Plutarchus ex pluuijs aquis eas rigando aptiores censet, quę tonitru & fulmine aëre concusso impluant, quas etiam à re(opinor) ἀστραπάς vocant, & κεραυνίας. Paulus etiam βροντίας. Nam astrape est ventorum vinubium attritarum vel ruptarum inflammatio: κεραυνὸν verò dici fulmen, sciunt omnes. Igitur ęstate media (inquit Galenus) quę per imbres effunditur temporaria, vt congruo tempore proueniens, optima erit aqua. Nam eius tempestatis calore attenuati vapores in halitus inuisibiles dissipantur, & clam nobis in aërem supra terrã subuolant: deinde propter aliquam ad frigidũ mutationem, ac ventis inter se reflantibus, den sato aëre prętenuatos halitus iterum crassescere, & in aquam sensibilem redire contingit. Tunc imbrem illum temporarium dicimus esse, qui extenuata ac prius ab aëris calore elaborata est aqua, omniũ optima summęque nitida. Nam quæ Ioue tonante de cussa ab Hipp. commendari videtur, vitio non caret. Siquidem natiuam frigiditatem nunquam recuperat, sed tepida, velut ex empyreumate, manet: quódque minimè est negligendum, pediculorum prouentum facit. Illæ sunt aquæ pluuialis suo tempore collectæ, atque loco mundo exceptæ & repositæ dotes: quibus dotatâ non est animantium generi conuenientior potus. Imò neque stirpibus gratum esse potest acceptum ex terra alimen

Lib. 1. de fac. alim. & com. 4. lib. 6. epid.

Com. 4. lib. 6. epide.

Universidad de Deusto
Biblioteca

alimentum, quod cœlestis humoris permixtionem non patiatur, vt mox docebimus. Quæ res euidentissimè arguunt, in hac diuinioris naturæ aliquid latitare, & vegetantium vitæ necessarium quippiam haberi. Plinius Naturalis historiæ conditor egregius, in piscium explicanda natura, inquit: De in modicis imbribus « gaudent, alunturque: quippe & harundines, « quamuis in palude prognatæ, non tamen sine « imbre adolescunt. Et aliàs: vbicunque pisces « in eadem aqua assidui, si non appluat, exanimantur. Corroborant quæ Latinus author « prodit, summi philosophi verba hæc: Piscium « genus maxima ex parte annis pluuijs εὐβιωῖ, id est benè viuit. Ita enim nõ modò plus cibi nanciscitur, verùm etiam omninò pluuio humore « iuuatur, vt ea quæ terrâ gignuntur. Holera e- « nim quamuis rigentur, tamen non tantum pro « ficiunt quantum imbre: quod ipsum & harun- « dinibus lacu prognatis euenit. Nihil enim ferè « accrescunt, nisi aquæ pluuiatiles accedant. Diceres humorem in vapores solutum insita leuitate sursum ferri, vt ab astris & cœlo viuificam vim mutuatus, mox cunctis vitam impartiatur. Quod pluuijs ampliùs quàm fluentibus aquis, arbores ac semina nec-non pisces adolescant, Laitus apud Plutarchum inde fieri putabat, quòd plagæ vi terram diducat pluuia, meatúsque sibi ad radices subeundas paret. Sed hoc neutiquam videtur verum, nam cur stirpes in stagnis exortæ augmentum non capiunt, nec fruti

Lib. 8. hist. ani.

fruticant, cum pluuias suo tempore non admisere? Verius forsan censebitur quod ait Aristoteles, recentem & nouam videri aquam pluuiam: ἔοικεν δὲ καὶ παλαιὸν τὸ λιμνᾶιον, hoc est stagneam veterem & olim datam, computrescentémque. An & hoc probabilius est quàm veriùs? nam τὰ πηγαῖα καὶ ποτάμια ῥέματα, πρόσφατα μᾶλλόν ἐστι καὶ νεογενῆ. id est, fontani fluuiatilésque fluxus recentes sunt & noui. ex quo Heracletus dixit, ποταμοῖς τοῖς αὐτοῖς δὶς οὐκ ἂν ἐμβαίης, hoc est, in eundem fluuium non vtique bis ingrederis: alia quippe subindè influit aqua. Attamen ij alunt pluuijs deterius. Nunquid ergo (inquit Plutarch.) quia leuior quæ ex aëre aqua descendit? prætolli quippe non queat, nisi mirè sit leuis. Proinde flatu remixta, aëríque leuitate referta demigrat momento, insinuaturque in stirpes: διὸ καὶ πομφόλυγας ποιεῖ τῷ ἀναμίξαι τὸν ἀέρα. id est, ideoque bullas excitat aëre promixto. Bonitati huius aquæ astipulari etiamnum Ranæ videntur, cùm vocem præ lætitia exhilarant, pluuiæ suauitatem expectantes. Ingruentium quippe aquarum certius præsagium exhibent ranæ præter solitum vocales: quod Aratus, Plinius, Virgilius quoque prodidêre. Quid quod fluuiorum omnium aqua potu suauior & salubrior multò est hyeme quàm æstate? Imò verò & pestilens alioqui palustris humor mitescit hyeme: quo nomine cœlestis aqua maximè salubris intelligitur, inquit Collumella, quod etiam venenati liquoris eluat perniciem. Meliores enim sunt

Lib. 1. rest. rust. cap. 5.

Universidad de Deusto
Biblioteca

sunt per hyemem aquæ, nõ solum quia Sol, qui suauiorem leuiorémque portionem absumere solet, abest: sed etiam quia pluit frequentius. Æstate fiunt crassiores, asperiores, minusque iucundæ. Hinc Plinius: Omnis aqua hyeme dulcior, æstate minus autumno, minimè, minusque per siccitates. Id experti testantur Romani, qui vulgo Tyberinam bibunt: & Parisienses ex Sequana potum haurientes, ij præsertim qui pontes inhabitant. Tolosates non aliam quàm ex Garumna (rapidissimo fluuio) gustant. Monsbrisonij fluuialem vnicam habent Vizesiã. Ast ij omnes populi longè meliorem suorum fluminum aquam experiuntur ante maximos æstus. Erit igitur, vt hactenus sat esse demonstratum puto, in aquarum genere illo quintuplici pluuialis omnium laudatissima, primasque tenebit, quum omnes prorsus bonitatis notas luculentissimè explear. Hanc fontana sequitur, dignitate secunda: cui fluuialis succedit, tertium probitatis locum sortita. Putealis certè minus quàm prædictæ, laudis meretur: præstantior tamẽ est lacustri, & hæc stagnãtem excellit. Nam omnium deterrima, & minimè potabilis est paludis aqua Sic Corn. Celsus: leuissima pluuialis est, inquit, deinde fontana, tum ex flumine, tum ex puteo, post hæc ex niue aut glacie, grauior his ex lacu, grauissima ex palude.

Lib. 31. cap. 4.

Lib. 2. cap. 17.

Aquæ laudabilis, quam potabilẽ, dulcem, & ἄποτον nullo discrimine vocant, ex authoribus probatissimis ratione & experimento rem confirmantibus, notas, atque adeò dotes ipsas, huc vsque persequuti sumus. Ea præ cæteris est nobis cõmendata, quæ cœli cõmuni quodam fauore omnibus passim hominibus largiri solet. Deus enim (vt est in Euangelio) tam super malos, quàm super bonos, pluere facit. Qui verò hanc in potu negligit aquam, deteriorem quærit. Ea contenti esse possumus atque debemus, & in recipienda seruandaque syncera ac nitida, omnem curam adhibere longè melius esset, quàm nostræ sanitatis dispendio aliarum cæco teneri desiderio, & probitatis quadam specie, qua vulgo decipimur: aut in alijs quas parum salubres esse suspicamur, corrigendis, omne studium collocare. Cisternæ paruo sumptu, minori saltem quàm profundiores putei, ædificari possunt, atque ita construi, vt minimo negotio à sordibus & sedimento abstergantur. In his non solùm aquam, sed etiam vinum diu seruari incorruptum, à multis audiui. Ipse vidi cisternam vinariam in rusticana D. Rondeletii, præceptoris mei amantissimi, domo. Publicæ sunt Venetijs, quæ vulgo aquam suppeditent, infinitæ, multò plures priuatæ. Albenarij Viuarienses publicæ desunt, sed ferè omnes domi cisternam habent. Atque ij pluuialem tantùm bibunt, & saluberrimè degunt. Sic qui vnam ex fortunatis insulis inhabitant, ob id pluuialiam vocatam, quod illic aqua non nisi ex imbribus reperiatur, vt Plinius scribit. Verùm, quia cisternæ vbique non reperiuntur, sed duntaxat (quæ

Matth. 5.

Lib. 6. cap. 32.

i est

Universidad de Deusto
Biblioteca

est aquæ pluuialis præstantiæ ignorantia) vbi fontium & puteorum copia non datur: præterea, quum annis siccioribus & per diuturnos æstus squalidos ex hausta cisternæ aquam non suppeditent: aut qui recens parandam curauit, ante aliquot menses laudabilem aquam habere nequit, donec scilicet inducta crusta optimè exiccata fuerit, & aliquoties madefacta detersáque saporem deposuerit: aliam quoque bibere coguntur, qui pluuialem optimam esse sibi persuasere. Nos igitur qui saluberrimæ notas omnes perstrinximus, operæprætium facturos putamus, si quomodo ex prauis etiam meliores aquas faciamus, & naturę vitia emẽdari possint docuerimus, vt salubrior sit puteana, aquam frequenter hauriri iubemus, quòd ex perturbatione, agitatione, & quadam attritione melior euadat. Vnde fit vt publica sæpius sit priuata longè salubrior: quia hausta crebro magis exercetur, quod maximè probabilem reddit, vt Plinius docet. Proinde ij non sapiunt qui grauatè vicinis sui putei vsum concedunt. Nam in monachorum Cœnobijs, ferè semper totius vrbis quam inhabitant prę stãtissima reperitur aqua, ob id quia facilè communem (vt sunt erga omnes plurimum officiosi) omnibus relinquunt ancillæ verò inde lubentiùs, quàm ex publicis locis, aquam petunt. Detectos puteos esse præstat, vt cœlestem aquam dum pluit, excipiant. Eâ enim aliarum omnium vitia corrigi, & venenati etiam liquoris perniciem elui, paulò ante

Lib. 31. cap. 3.

ante docuimus. Adde quòd dum Sol nequit profundiorem aquam attingere, saltem circunfusum aërem sic afficit, vt ab eo nonnihil probitatis illa suscipiat. Porro aqua omnis salubrior fit, & in colorem vini mutatur, in qua intrabuerit amaranthus (nostri passeuelurum appellant, quod nunquam marcescens flos immortali colore etiam villutum purpureũ vincat) vel elixata fuerit radix oxalidis. Atque nos ea arte febrientibus valde morosis, qui vinum bibere affectant, solemus imponere. Sunt & ciborum nonnulli qui omnium in vniuersum aquarum vitia emendant, vt admonet Paulus Ægine. dum inquit: Alij cicerum decoctionem præbibunt, aut eadem quoque cicera edunt: alij caca'idem similiter cum pisciculo quodam elixam: item, feniculum: reliqui betam & cucurbitam sale conspersam cum vino dilutiore prę sumunt. Plinius tritum pulegium inspergi, cùm aquæ insalubres bibendæ sunt, docuit. Porrò sigillatim alijs atque alijs aquarum noxis aduersantur quæ refert Aëtius, his verbis: Nitrosam emendant cibi hebetantes ac vinum: crassam, secantes & attenuantes, vt alium: alumniosam, vinum tenuissimum, omnia vrinam cientia, & quæ excretionem impellunt. Quæ nimia frigiditate nocent, à cibo sumi debent, non tamen subitò ac vna vice, Paulus ait: sic enim faciliùs obtunditur illarum vitium. Sed longè salubrius foret ante potationem aquæ

Lib. 1. cap. 50

Lib. 20. cap. 14.

Lib. 3. cap. 165.

Universidad de Deusto
Biblioteca

noxiam qualitatem emendare, quàm tum demum in ventriculo suspectæ vitiosæque naturæ mederi. Illud fit (vt prædiximus) aliarum rerum permistione, idque per macerationem aut coctura: præterea calefactione, refrigeratione, transcolatione, elixatione, distillatione, & alijs modis de quibus post hac nobis erit sermo. Non enim sunt audiendi, qui sola coctione aquarum omnium correctionem fieri putant quorum tamen sententiæ viderur suffragari
" Plinius, dum inquit: Aquæ vitiosæ remedium, ad dimidias partes coquere. Hunc enim modum omnibus ex æquo non posse quadrare, is sibi statim persuadebit, qui tam longa elixatione aquam fieri salsam obseruauerit. Nam omne decoctum, quandiu coquitur, salsius semper euadit: post autem amarum, vt docet Galenus: & vel ipsa aqua optima (inquit) diutiùs cocta salsam qualitatem tandem assumit. Hinc videas ius carnium modicè salsum, si paulò diutiùs decoquatur, vt aquæ portio multa in vaporem abeat, salsissimum euadere. Ob id fontanam elixatione ad meliorem naturam permutari (quæ deterior est natura) dicebat Galenus, hæc cautè & prudenter subiungens: Nisi longiùs decocta, salsa reddatur. Nam salsedo fit, cùm tenuiores aquæ portiones coctura pereunt, & crassiores quæque aduruntur: quo modo etiam mare salsum euadit, Solis calore in halitum soluente quic-

Lib. 3. de facul. alim.

Com. 4. lib. 6. epidem.

quid

quid erat tenuissimum atque dulcissimum. Plutarchus in causarum naturæ libro scribit, Maris aquas hyemali sydere minus sentiri amaras gustantibus. Euentus autem omnibus conspicui, sic fermè rationem pergit promere: Maris illam asperitatem omninò interlitæ dulcedinis habere quippiam, vtpotè numerosis illuc deuolutis fluminibus. Cæterùm quod dulce est, cui genuina insit leuitas, ac proinde fluitans supernatet, corripit è vestigio hauritque Solaris potestas, dum æstiuis horis latius vim propagat funditque: quod hyeme nequit, flaccescente sydèris vi, quia longiùs abscedit. Proinde minus minusque surrigi quippiam ex mari potest. Hinc consequens illud est, vt dulcedine subsistente vniuersa, quicquid amari virulentique est, remittatur, ac dilutius factum dulcescat quadantenus. Quod eatenus verum fatemur, vt & cognitum experimentis sciamus, etiam potui accommodas aquas æstate labi in deterius: quod latè grassans Solis potentia optimum quidque maximè decoquat inde & protollat. Est verò id tenuius, leuiusque, & (vt iam dicebamus) supernatans. Nam authore Plinio, aquæ dulces mari inuehuntur, leuiores haud dubiè. Quædam verò & dulces inter se supermeant alias: vt in Fucino lacu innectus amnis, in Lario Addua, in Verbano Ticinus, in Benaco Mincius, in Seuinno Ollius, in Lemano Rhodanus. Sic quò dulcior est a-

Lib. 2. cap. 103.

i 3 quæ

Universidad de Deusto
Biblioteca

quæ portio, eò superior esse contendit, insita leuitate atque tenuitate: valens. Ea ratione fit, vt mare superius & salsius & calidius sit quàm inferius, inquit Aristoteles: puteis quoque potu idoneis pars superna salsior est quàm ima: quanquam è contrario esse deberet, quia grauius salsum est. Verú id accidit propterea quod Sol & aër partè humorum leuissimâ assiduè detrahunt: dulcissimum autem quod leuissimum est, potissimumque de propioribus locis hauriunt, &c. Ergo minùs iucundam facit aquam, decoquens caliditas. Et sicuti in animantium corporibus, potabili humore ingresso ad nutriendum, amara salsáque redditur quæ in vesicam corriuarit superfluitas, quia natiuus calor potabile trahit, vt in pulpas & reliquam corporis substantiam vertatsie & in aqua, præsertim maris, contingere solet. Nam quum sit tota pariter dulcis, quod eius potabile est, per euaporationes à calore solari secernitur. Vnde miror quid sibi velint, qui omnem indifferenter aquá pro ægrotantium potu decoqui iubent: quum ex ea præparatione non nisi crassiorem minusque dulcem efficiant, quæ incocta melior apparebat. Nam cur ægrotis (quibus conuenit) salubrior non est, qua sani hydropotæ saluberrimè vti videntur? Num sanis tenuior, leuiórque, ægrotis verò crassior & grauior magis competit? Si in morbo aliquo suspecta est frigiditas, eam calefactione obtundere non dissuadeo: at bullien- *Probl. 30. lib. 23.*

liendam esse vix admitto. Siquidem quam Galenus coctione corrigit, ei vitium inesse apertè significat. Sed quibus aquis, & quanam ratione ad emendationem elixatio prosit, iam discutiamus. Tribus vitiosarum aquarum generibus hanc conferre obseruamus. Primum est palustris, limosæ, lutulentæ, graueolentis, & alia mala qualitate insignis: cuiusmodi aquam decoqui iubet Galenus. Quia quum refrixerit, putorem quem ex putredine plerunque habet, abiicit: omnisque pars terrea facilè subsidet, quæ cum tota priusquàm incaluisset minutatim confusa fuerat. Et quæcunque ex diuersæ naturæ materijs constant, per minutas particulas mixtione conflata hæc post calefactionem refrigescentia facilè dissoluũtur. Etenim calor seiungit διακρίνει, authore Aristot. & quum ea quæ sunt naturæ diuersæ distrahit, in vnum colligit ὁμογένη. Hæc pars in vaporem dissoluitur, illa in spumam cogitur, alia vasis lateribus hæret, aut fundo subsidet. Verùm ista magis frigescente liquore secernuntur: statim enim ab elixatione, prius quàm refrigeretur & quiescat, confusæ adhuc permixtæque sunt particulæ, crassiores quoque fluitant elatæ sublimiús. Motu verò prorsus sedato, & humore per moram sufficientem refrigerato, graues ac terreæ portiones ingenito pondere fundum petunt, leues & aqueæ superfluitant. Sic purior fit aqua, abstractis videlicet rebus diuersis quæ sui permixtione limosam, fœtidam, & malè sapi- 1 *Com. 4. lib. 6. epidem.* *Lib. 2. de gen. & corr.*

Universidad de Deusto
Biblioteca

dam efficiebant. Cæterùm paluſtrem & grauiolentem aquam coctione redditam meliorem puriorémque, non poſſumus ita ab omni noxiæ qualitate abſoluere, quin adhuc ſuſpecta nobis ſit eius conditio. Propterea tutum nó eſt, ea mera vti, ſed vino etiam poſt coctionem temperari debet, vt Ægineta ſuadet. Aëtius non ſolum præ coquendam in fictilibus vaſis docet, ſed & poſt refrigerationem ſpontaneam, rurſus calefactam bibi debere hortatur. Nam hoc modo facilius deſcendit, & quoquouerſum permeat ὑπερχόνδρια, dum inſidens calor illam penetrare facit. Attamẽ quum nullum animal potus amet calidos, nec ij naturales ſint, vt loquitur Plinius, ſat erit non frigidam eſſe, cùm vel tepida vomitum nauſeámve excitet. Atque ſic Galeni quoque verba mihi interpretanda videntur, dum inquit: Ab ea quæ graui hypochondrijs ſentitur, abſtinendum cenſeo, vtique cum prorſus frigida eſt & crudæ cæterum à calefacta non deterreo. Prius enim vult eam decoqui aduerſus cruditatem, & coctam non potari tam frigidam, quàm fieret ſi ſuo genio liberè reſtitueretur. Nam talis etiam noceret, cum ſuſpitione nondum prorſus careat, quę manet frigidior. Alterum genus aquarum quod emendat elixatio, eſt earum quę nec ſapore, nec odore diſplicẽt, ſed oculis ſeſe offerũt gratiſſimæ: quãuis in ſtomacho diu cõmorari, aut percellere, aut inflare, aut degrauare hypochondria percipiamus. Eiuſmodi aquam, ſi

Lib. 1. cap. 50.

Lib. 3. cap. 165.

Lib. 28. cap. 4.

Lib. 1. de ſanit. tuen.

non

non coquendam, ſaltem calefaciendam eſſe Galenus præcipit. Huic cognatæ ſunt quæ ex aëris corrupti miſtione vitium habent, aut aliud quippiam ipſi aquæ ingenitum ab ignota cauſa proueniens. Id enim optimè caloris & ignis vi fugatur atque conſumitur. Poſtremum eſt crudarũ: III. Nam quemadmodum multa olera, ſegetes, fructus, & animalium carnem prælixantes, idoneæ eſui præparamus, quum tamen alijs quibuſdã crudis veſcamur ſalubriter: eadem ratione & aquas nonnullas in meliorem naturam coctione permutamus, quæ crudę nocere poſſent. Huiuſmodi ſunt indomitæ à veteribus nominatæ (vt teſtatur Galenus) perinde ac ipſa legumina quæ difficulter vixque elixantur. Tales eſſe vidẽtur quæ auerſum Solem habent, non fluentes ad ortum: & quas Solis radij nunquam attingunt, puteanæ. Craſſiores quippe, frigidiores, inelaboratæ, & proinde crudæ ſunt, vereque indomitæ: ac niſi arte noſtra extenuentur, rarefecant, incaleſcant, & veluti fermentum accipiãt, perpetuò malæ ſunt, graues hypochondrijs, flatulentæ, pigræ & frigiditate nocentes. Earũ correctio fit attritione multa, veliementi & crebra agitatione, quadam contuſionis aut comminutionis ſpecie, vt dum fuſtibus aliquándiu cedũtur. Id facere ſolent, qui puteánam cruditorem eſſe veriti, equis potandam exhibent. Aliàs farinam aut furfur immiſcent, quæ natiua caliditate aquæ cruditatem emendant, & velut concoquunt. Alij poſtquam inelaboratam biberunt,

Lib. 1. de ſanit. tuen.

i 5 equos

Universidad de Deusto
Biblioteca

equos ad cursum concitant, vt aqua citiùs caleat in stomacho, & caloris ope extenuetur. Pro hominum potu etiam conuenit plurimum percussa fractáque vnda, vt ex vno vase in aliud sæpe & ex alto transfusa. Huic panis siliginei frusta commodè immittuntur, non eius quem secale acidiorem & frigidiorem facit, nisi fortè biliosis. Porrò aduersus aquæ cruditatem, omnium præstantissimum est quod per coctu̇ram fit remedium. Nam ignis operâ crassities extenuatur, grauitas minuitur, & aquæ durities illa mollescit. Duras autem grauésque haud ineptè vocitant crudas, ab effectu videlicet: quippe ventriculum infestant, & ponderis sensum inuehunt, inquit Galenus. Has verò noxas abolet ignis caliditas, quę facit vt dum aqua feruet & agitatur, subiens aër in eam recipiatur, nec aliter permiscеatur quàm si ab alto decideret, aut alio modo turbaretur. Hinc leuior, & eò tenuior euadit, quò magis aërea: quum vniuersa percepto calore dirimitur, secatur, & bullis vndiquaque nascentibus discinditur. Perit quidem extenuatæ iam aquæ nonnulla portio, quæ in vaporem soluitur: at quod supereſt, id omninò meliorem naturam sortitum est. nam ab igne deposita & refrigerata, illatam partium tenuitatem conseruat. Cæterùm, quæ optimæ aquæ notas explet, & satis à radijs Solaribus, aut soli quod vertit tepore est elaborata, quæ nec vitiosam vllā qualitatem habet, nec hypochondrijs sentitur grauis, hanc qua sani saluberrimè vtuntur, pro ægrotis

Gen. 4. lib 6. Epid. aph. 10.

grotis coqui iubere, quid aliud (quęso) est quàm deteriorem efficere? Nam quum attenuatione nulla, nullóque calore indigeat, quid aliud per elixationem continget, quàm tenuissimæ, leuissimæ, dulcissimæ, atque adeò præstantissimæ portionis in vapores abeuntis iactura? Dices, magis magisque extenuari aquam, dum ipsa decoquitur. Atid in crassa & cruda fieri admitto, nō tamen perpetuò. nam si quæ summum suæ tenuitatis gradum coctione acquisiuit, amplius efferueat, certum est illam crassiorem iam euadere quum portiones subtilissimæ vsque & vsque pereant. Proinde, quæ insitam leuitatem & tenuitatem sufficientem sortitæ sunt, ab elixatione vitij plus quàm virtutis accipiunt. Non tamen vitupero aquam, vel laudatissimam, per hyemen nonnihil decoquere, vt frigus obtundatur, quod plærisque naturis noxium esse solet. Videndum quoque est, vt ex frigoris vi contracta crassities aquæ dissoluatur. Nam (vt Plutarchus rectè in libro physiologico annotat) clepsydrę tardiùs multò hyemali tempore profluunt, quàm æstiuis horis: quoniam ex ambientis & obsidentis frigiditatis violentia, grauior corpulentiórque fit aqua. Vnde obseruatum quoque prudentioribus, in fluminibus nauigia sydere eodem tardiùs commeare. Quòd verò crassescens aqua tarditatem inferat, illud item mirum indicio fuerit, quod πλείονα γόμον φέρει τὰ ποτάμια πλοῖα τῷ χειμῶνος, id est, plus deuehant oneris hyeme nauigia per fluuium commeantia.

Universidad de Deusto
Biblioteca

tia. Densior enim aqua obsistit renititurque amplius. Ergo cùm seipsa crassior euadit, densata & velut coarctata frigoribus, tunc salubriter coqui potest, vt ipsa liquescat, fundatur, & rarescat. Quę verò per nimios æstus fiunt deteriores, crassioréque, velut Montis brisoniæ, & omnes aliæ fluuiatiles, nec non fontanæ quarum alueus latissimus caloris Soli valde patet: hæ nequeunt elixatione corrigi. Nam, vnde vitium habent, nisi ex absumpto leui tenuique humore: Quid? coquiráne potest rem dissipatam aquę restituere? Quin potiùs, quo maior est ignis quàm Solis efficacia: contra accidet: vt quod sydus non potuit, reliquum omne dulcius subtiliúsque ignis exhauriat. Sic fiet crassior vnda, & quantò plus attenuare voles, eò amplius exhalabit aquæ subtilitas, quum extenuatæ portiunculæ tandem etiam dissolutæ euanescant. Igitur eæ omnes emendationem quæ coctione fit refugiunt, quæ ab elaboratione natura vel arte facta, vberiùs calent: quum semel absumpta portio tenuis atque iucundior, nunquam reponatur. Atquæ citra absolutam elaborationem subsistunt, illæ dictam præparationem possunt admittere. Sic ex corporis nostri humoribus, crudior pituita concoctione melior fit, & temperatissimus sanguis euadit: quæ scilicet mediocritatis & elaborationis terminum nondum attigerat. Qui verò medium id in quo perfectio est, præteriere succi, nequeunt in naturalem statum vnquam redire, vt salubres fiat, sed prorsus inutiles,

tiles, & verè excrementa videtur. Quamobrem vt huic sermoni finem aliquando imponamus, cruda, indomita, & rudior aqua, nō aliter quàm duriores cibi, coctione salubrior & ad potationem suauior redditur. Quæ verò caloris exsiccantis vi peior euasit, eodem corrigi non potest: nec magis coctione emendatur, quàm marina, salsa, vel nitrosa, quibus ex simili ferè occasione sua vitia innascuntur. Vnicum (opinor) remediū est, eiusmodi aquas bibere coactis, vt Mons brisonio populo, per alambicum (ἀποστάσιον id elegantiùs vocari putat meus Eupistius) distillare. Eo siquidem artificio portiones tenuissimæ extrahuntur, móxque in aquam densantur, quæ scilicet perirent per decoctionem. Atque salubriores quidem sic fient, leues & tenues: sed vereor ne ingrato nidore olfactui & gustui quoq; displiceant. Eadem præparatio crudis, crassis, & limosis conuenire potest: sed alijs etiam modis suauiores fiunt. Crudæ siquidem coctione, vt diximus, crassæ verò & limosæ, tú coctione tum colatura emendantur.

Limosam, salsam, & bituminosam excolatione purgari scribit Ægineta: optimè verò transcolari per arenam dulcis, id est insipidi soli. Ea ratione fit vt in maris littore semper aqua dulcis inueniatur effossa terra, quod docet Alexād. Aphrod. & ante illum Arist. Etenim per terræ (quæ non nisi in superficie salsa est) angustias transcolata marina, ex adustione contractam salsuginem, amarorem crassitiemque amittit, &

Lib. 1. cap. 50.

Probl. 19. lib. 23. Probl 53. lib. 1. & 125. lib. 2.

Universidad de Deusto
Biblioteca

& terræ nouas qualitates accipit. Hinc nautæ dulcis arenæ dolia semiplena semper habent, vt cum ex alto mari petenda est aqua, hanc per dulce sabulum colatam potabilem reddant. In mari autem confusam esse dulcem cum salsa (nam tota omninò nequit à Sole deüri) atque hanc illa multò crassiorem esse, prædicta abundè demonstrant, quum dulcior pars reconditos minimósque meatus seu poros strenuissimè permeet, quos altera subire non valet. Eorú quæ testa operiuntur (inquit Aristoteles) nonnulla immota aluntur humore dulci & potulento, qui per spissa transmittitur, cum tenuior ipse mari concocto eliciatur, quemadmodum & primæ naturæ ortu instituuntur. Dulcem autem contineri humorem in mari, atque ita trãsmitti & transcolari, constat eo experimẽto quo si ex cera vas tenui latere finxeris, idque annexa linea in mare demittas inane die ac nocte vna, dulcis humoris copiam intra se colliget. Vnde hoc? Dulcis aquæ pars alijs confusa, omnium tenuissima & lympidissima, sola vasis poros penetrare potuit. His artibus ex marina & salsa dulcem efficimus.

Lib. 8. de hist. anim. cap. 2.

Bituminosa non aliter quam salsa præparanda vel expurganda videtur. Nitrosæ eadem ratione corrigi debent, vt etiam aluminosæ, sulphureæ, & quæcunque aliæ sunt medicam vim aliquam præ se ferentes, vel calidæ spontè nascentes, & ἀντιφυεῖς vt loquitur Galenus. Id autẽ conijcio, ex eo quod plerunque in sua scaturigine

Lib. 1. de facult. medic. cap. 18.

gine laudabilis est aqua, quæ quia paulò vlterius solum mala qualitate infectum subit (vt cũ per mineras illi est trãsitus) eiusmodi fit, & calida ἐνεργείᾳ euadit. Non enim ex minera ipse fons oritur, quum siccior & calidior sit locus, quàm vt inde liquor possit erumpere. Cùm igitur minimè insita, sed acquisita ea sit qualitas, quomodo per dulcem arenã colatis aquis non peribit? Id sanè videtur rationi conueniẽs, vt quam in se confusam: ex minera acceptam substantiam deuehit aqua, hæc perinde ac maris salsugo facilè abstrahatur. Neque est quod meram nudámque qualitatem ex minera aquã contraxisse putes: nam si hanc bullias, sulphur, nitrum, sal, alumen, aut aliud mineralium super natans spuma erit. Sed vt simplicem esse qualitatem donemus, cur non eam quoque deponet transcolata, quam per transcolationem potuit accipere?

Quæ sola crassitie vituperantur, vt quod lutosæ sint, limosæ, aut alia ratione turbulentæ, nulla mala qualitate præditæ: omnium facillmè pristinæ dignitati restituuntur. Quippè vitium id ex argillosa terra accidere solet, à qua nihil noxæ contrahunt aquæ, præter crassitudinem. Non enim sapore ingrata est, sed substantia permixta displicet. Tales sunt fluuiorum Tyberis, Sequanæ, Araris, quorum incolæ sinunt multas horas aquam quiescere in vasis fictilibus, vt quę materia turbidam facit, paulatim subsideat. Quia statim egent, panno densissimo transcolant: sic

Universidad de Deusto
Biblioteca

sic enim fit vt protinùs lympidissimam parent. Galenus annotat Alexandriæ, & in Ægypto, turbulentas aquas per quædam testacea & rara vasa percolari: aut si ea desint, per linteolum. *Lib. 6. epi. tom. 10. sect. 4.*

Supersunt duæ in aquis qualitates, quarum castigationi intentum etiam oportet esse medicum, quod interdum nocere videatur. Eæ sunt calor, & frigus. Vtrunq; vitio vertitur: hoc quia crudæ & (vt loquitur Galenus) indomitæ indicium est: ille quòd sitim non benè extinguat. Verùm multi sunt affectus quibus calidior prodest, frigida nocet, & contra: proinde ne quid huic tractatui desit, earum qualitatum, vbi nocere videbuntur, correctio qualis conueniat nobis definiendum est. Frigida si ex cruditate est, modis superius explicatis emendabitur. Sin optima alioqui & elaboratissima fuerit, exiguo ignis vel Solis calore frigus id damnosum abijcietur. Calorem verò varijs artibus abigere ab aqua solemus. Vt tactu gelida sit, etiam arte contingit, inquit Plinius, si in altum expressa, aut è sublimi deiecta, verberatu corripiat aëra. Etenim omnium aquarum natura est commotione agitatúque frigescere. Mare autem modo afficitur diuerso: siquidem vndabundum incalescit. In illis quippe ἐπιδόδιος ἐξι καὶ ἀλλοτρία ἡ θερμότης, id est: aduentitia & peregrina habetur caliditas: propterea illâ motus facilè digerit. At eandem ingenitam domesticimque mari amplius excitant venti, & alimenta subijciunt. Caloris insiti argumentum est, τὸ μὴ πήγνυσθαι *Lib. 31. cap. 3.* 1.

καίπερ ὂσαν γεώδη καὶ βαρεῖαν, id est: quod mare non coeat, quamuis terrestre & graue. Sed ad refrigerandi modos redeamus. Calefacta prius maximè refrigeratur, idque subtilissimo inuento. Nam quum per calfactionem seipsa tenuior euadat aqua, aërémque ebullitione recipiat, tãdem faciliùs ad frigidum mutatur: propterea quod tenuis substãtia citiùs alteratur (vt dicunt medici) quàm crassa. Aphrodiseus rationẽ dat, cur aqua feruida in puteum demissa euadat frigidissima, inquiens: Frigor putei calori pugnãs, aquæ demissæ, faciléque præ sua frigidissima copia superans, calorem vniuersum expellit, magnaque cum vi permeat aquam, atque ita vehementer eam refrigerat. Hinc fit vt ignibus attenuata factaque solutior, cõcrescat celeriùs multò: quandoquidem meatibus longè amplioribus penetrare vehemẽtiùs frigiditas potest. Vt exactè refrigeretur aqua, calefacta in testaceo vase vitreato reponitur. Id occidente sole in fenestris vento aduersis sublime suspenditur, vt ibi per totam noctem refrigescat. Ante Solis ortum vas humi depositum frigidâ aquâ circunfunditur. Idem aliâs circundant frigidis lactucę aut vitium foliis, & aliarum id genus, vt ea quã sub nocturno aëre acquisiuit, diu perdure: frigiditas. Cæterùm, vas aliqua ex parte inane esse meliùs fuerit, si operiri velis: nam aër inter operculum & aquam contentus, prius refrigerabitur, deinde attactu aquam refrigerabit. Vt enim aqua faciliùs quàm terrena corpora calet, *Probl. 56. lib. 1.* 11. *Arist. lib. 1. meteor. cap. 12.*

& ocyùs quoque refrigeratur, quia illis tenuior eſt: pari ratione & aër quàm aqua promptius afficitur. Alij vas in domorum ſubterraneis locis atque ſpeluncis frigidum aërem includentibus reponunt. Alia quoque ratione refrigeratio acquiritur: vt ſi fluuio rapidè labenti imponatur, aut puteo: idque bifariam. Nam vel ipſam putei aquam vas attingit, vel in medio tantùm ſuper aquam ſuſpenditur. Hoc quàm illo modo magis frigefit aqua. Nam & puteana deprompta, ſi in eodem puteo pernocter, frigidior erit: cuius euentus cauſam inueſtigat Plutarchus, ſed non ſatis explicat. Id fortè accidit, quia noctu aër frigidior per ἀντιπερίστασιν tepidiorem putei aquam reddit: eóque fit vt iam deprompta minus ſit tepida. Niue circumpoſita aut glacie, quibus hæc in promptu ſunt (vt Romanis, qui ad magnatum delitias adhuc hodie in ſubterraneis locis palea inuolutam niuem & glaciem per maximos æſtus ſeruant, vt audio) vas eximiè refrigeratur. Neronis principis inuentũ eſt, inquit Plinius, decoquere aquam, vitróq; demiſſam in niues refrigerare: ita voluptas frigoris contingit, ſine vitijs niuis. Nõ mirum quod ait Plutarchus, glareas plumbiq́ue laminas in aquá iniectas, eam frigidiorem efficere. ſed mirum eſt illud, nitrum (quod ſanè calidum apparet) frigidiſſimam reddere. Ad principum delitias, qui æſtiuo tempore frigidius bibere appetunt, halinitri libram in maluuio aquâ pleno diſſoluunt. In id lagenas vitreas, ſtamneas, vel argenteas, aqua

III.
IIII.
V.
VI.
Sympoſ. lib 6. Probl. 4
VII.
Lib. 31. cap. 3.
VIII.
IX.
Sympoſ. dec. 6. probl 5.

aqua plenas immergũt, & aſſiduè mouẽt. Ea ratione potus iucũdior, nec in ſalubris paratur.

Iam mihi abſoluiſſe videor de aquarum delectu tractationem, quantũ ad ſanitatis tutelam pertinet: & quibus artibus ex prauis meliores ac potabiles efficiamus. Pluuiam reliquis omnibus præſtare docuimus. Deteriores verò nõ omnes elixatione (vt vulgò exiſtimant) corrigi poſſe mõſtrauimus: quæ duo nobis explicanda fuerant propoſita.

SERVM Lactis seniori febre quartana & pruritu infestissimo laboranti, omnium maximè conferre: idque frigidum non esse, quamuis refrigeret, contra idiotarum medicorum sententiam: Ad egregium D. LVDO. PAPON. *Monsbrisonium.*

PARADOXVM VI.

QVI supra vulgum aliquid nouisse expetit, LVDOVICE amiciſſime, eum non natura modò, verum etiam primis doctrinæ rudimẽtis multùm cæteris præstare oportet: & cùm iam adoleuerit, veritatis insano quodam amore (velut afflatum) teneri: tum sine vlla diei noctisve intermissione properare ac contendere ea quæ à clarissimis veterum tradita sunt discere, eademque vbi didicerit iudicare, multóque tempore explorare quæ rebus sensui patentibus consentiant, & quæ rursus ijsdem dissentiant: ac sic illa quidem suscipere, hæc respuere. Eique vni rei in tota vita, spretis alijs omnibus quæ vulgo studioſè spectata sunt, sedulam operam nauare. Hoc Galeni nostri cõsilium est, quo admonet priscorum vel maximi nominis autoritatem, nec contemnendam, nec sine ratione temerè nobis suscipiendam esse, ne præiudicata opinione semel persuasi, vnà cum illis aberremus. Iis enim qui discere volunt, inquit Cicero, obest plerunque eorum autoritas, qui se docere profitentur: quia desinunt suum iudicium adhibere: id habent ratum quod ab eo quem probant, iudicatum vident. Sed quid si, non modò ratione conijciam, sed & sensibus experiar, aliter rem se habere quàm ab antiquioribus traditum sit: num potior adhuc erit illorum sententia? Potestne, aut debet aliquid autoritatis præ se ferre vetustas, vt mentibus nostris imponat? Num maior est temporis præteriti, quàm præsentis, excellẽtia, & in sentiendo veritas? Non opinor, quum nihil ad ἀγχίνοιαν, hoc est concipiendæ speciei intelligibilis dexteritatem, faciat temporum discrimen: aut si facit, & antiquiorum dignitas maior esse videtur, id nos, qui hodie sumus, & posteriores, vnicè commendabit. Nam tempus (ita fabulari liceat) doctius perpetuò & prudentius quoque ex progressu continuo fit: vt senescens iudicio sit acriore, solidiore, & maturiore. Sic me loqui patiare, humaniſſime LVDOVICE, apud eos qui absolutè ad tempus priscorũ excellentiam referunt. Iam hic mihi respondeant: Nonne omnium primo seculo, dum homines discere incipiebãt, indoctum plànè rem pus erat, vt infans & veluti nascens scientia? Nam succeſſiuis annis, alijs atque alijs subinde nascentibus viris ingenio diligentiaque claris, vario

Lib. 3. de fac. nat. cap. 10.

Lib. 1. de nat. deorũ.

Universidad de Deusto
Biblioteca

vario disciplinarum genere tempus instructum esse cœpit, vt tandem Hippocratis, Platonis, Aristotelis, & Galeni tempora doctrinæ suæ ἀκμὴν, seu vigorem, sint consequuta. Eam ætatem constans siue consistens ordine sequitur, in qua sensuum firmitas maior, iudicique splendor & bonitas esse videtur. Ergo si in proposita analogia insistere velis, dicendum est tempus hodiernum merito doctissimum, & omni artium genere ornatissimum, iudicij ingenijque plus quàm anteactas ætates habere. Siquidem verum est omnia ætate perfici, omnésque scientias tandem per additionem absolui: vt nemo vnius artis inuentor & autor eius perfectionem attingere possit. Hinc necessitas scribendi commentaria, vel teste Galeno, vt posteriores nostris semper aliquid superaddentes, facilè doctiores nobis aliquando euadant. Proinde, si temporis ratio in doctrinæ & iudicij comparatione momenti quid habet, cur nos præteritis hominibus non dicunt longè digniores, eo seculo natos quo ætatis suæ consistentiam metiri possumus, quódque nunc doctus esse coniicimus à multis viris eruditum, quàm dum doceri inciperet? Non enim recipio quod ex Argyropylo docet Acciaiolus in Ethica Aristotelis, ob id antiquos veritatem aliquam sciuisse, quòd fuerint rerum primordijs & naturæ propinquiores. Verisimilius esse puto quod alij dicunt, absolutè ipsam antiquitatem commendantes. At nos præteritis verè anti

Com. 1. lib. 1. aphor.

Lib. 1. cap. 3.

antiquiores sumus, antiquiore tempore geniti. Illorum enim seculum, mundo initium constituentibus, nostro multò recentius fuisse cõstat. nam hoc istud ex longo progressu iam inueterauit. Quamobrem si antiquitatem, non ex hominum ætate particulatim (cum & iuuenes plęrique doctrina præstantes interierint) sed temporis partium varietate nuncupemus, nos Hippocrate atque Galeno sumus antiquiores: Et si quid maioris autoritatis antiquitati est tribuẽdum, quod ipsius temporis maturitas ad ingenium & eruditionem faciat: nos prouectiore tempore nati, & meliùs sapimus, & præteritis etiam hoc nomine digniores esse videmur. Sed valeant qui præsens iandudũ elapso seculo longè præstantius parui faciunt: quique prioribus tum medicis tum Philosophis, solius antiquitatis ergo, plus autoritatis quàm nobis attribuunt. Debemus quidem plurimùm illorum diligentiæ & humanitati, quòd nos scriptorum suorum opera iuuerint, effecerintque vt quod ipsi multis annis, & improbo labore didicerũt nos paucis & facilè concipere valeamus. Nam reliquum vitæ nostræ curriculum in addendis nouis, aut melioribus excogitandis, insumere licet. Illis verò penitus esse addictos, & iurasse in verba magistrorum, tam ineptum mihi videtur, quàm quod maximè. In eo errore permultos hodie versari video, qui miserè socordes, ignaui, & pusillanimes nõ audent, vel nesciunt, ab autorũ sententiis discedere, quamuis non-

Universidad de Deusto
Biblioteca

nullæ hactenus pro veriſſimis habitæ ſenſuum iudicio repugnare videantur. Quibus ſi hoc demonſtres, & vt fateantur optimis rationibus cõpellas, nunquam tamẽ veritati acquieſcent: ſed velut cæcutientes, aut præiudicata opinione illaqueati, veteri ſententiæ mordicùs adhærebũt. Alij ſunt quorum mens à craſſiſſima ignorantiæ caligine occupata, nihil videt, nihil diſtinguit. & quia tandem ex longo vſu in prouecta ætate doctiores vulgo eſſe creduntur, præarrogantia indelebile vitium contrahunt. Nam neque diſcere aliquid de nouo ſtudent, neque veterum ſcripta, vt eorum placita intelligãt, euoluunt: interim tamen obtrectatores & garruli non ceſſant ijs male dicere, qui optimè inſtituti & ſolida imbuti doctrinâ ſupra vulgum ſapiũt, & quorum ſplendorem caligantes ſciolorum oculi non patiuntur. Eorum temeritatem ferre nequeo, LVDOVICE incundiſſime, non tamen contumelijs in hos publicè ago: ſed vt mitẽ probúmque virum, ſapientiæ & veritatis ſtudioſum decet, ſcripto quod illi ignorant edoceo, vt ſibi aliter perſuadeãt quàm prius crediderint: prudẽtiores verò & doctiores, in quorum manus cõmentatio fortè inciderit, iudicẽt quanto ſit difficilior inani reprehenſione iuſta imitatio. Eadẽ occaſione motus hæc ad te nunc mitto, quod heri ex te reſciuerim, male audire IOVBERTI ſententiã de ſero lactis propinando homini ferè ſeptuagenario, quum id frigidius eſſe videatur, quàm vt ſeni cõuenire poſſit.

Illud

Illud mirari vulgus indoctum, nihil minor ipſe, cùm in aliarum multarum rerum naturâ plurimum hallucinetur. Sin medicinam profitetur huius in me calumniæ autor, is ex hominum cœtu protinùs explodendus cenſebitur, vt qui in facillimis hebes deliret. Nam ſi in domeſticorum, vſuque frequentiſſimorum dicendis qualitatibus aberret, quomodo ei fidendum iudicabis peregrinis & minus conſuetis medicaminibus vrenti? Sed culpandus eſt nemo mihi, cùm autoris incerti fama ſit. Hoc contentus eſſe debeo, vt tu qui me id non temerè, ſed aliqua ratione adductum conſuluiſſe defendis, ad manũ prompta habeas argumenta, quibus detrectantium calumnijs (pro ea quæ inter nos interceſſit amicitiâ, & quam de me iandudum concepiſti opinione) reſpondere poſſis. Rem, vt ſe habet, tibi primum narrabo: mox firmis demonſtrationibus oſtendam, quàm malè conſilium noſtrum accipiant & interpretentur, qui ſibi quidem nimis, pro aliorum verò exiſtimatione parum omnino, & mihi nil prorſus, ſapere videntur.

REGIVS Patronus me ad ſe nuper vocauit, vt de morbi curatione conſuleret. Is iam à multis menſibus quartanâ laborat cum pruritu infeſtiſſimo, & vniuerſum corpus occupante minuta ſcabie, quam fouet ſudor valdè copioſus, non modò in acceſſionum febris ſolutionibus, verum etiam noctibus ferè ſingulis, erumpens. De ætate roganti reſpondit (ſi benè memini) ſe

Universidad de Deusto
Biblioteca

annos plus minus sexaginta quinque natum esse. Hunc robusto & bene habito corpore fuisse, nec solitũ purgantibus pharmacis vti (vel morbis vrgentibus) intellexi: atque in ea consenuisse opinione, vt medicos quidem veneraretur, sed medicamenta omnia despiceret ac respueret. Ex notis temperaturæ, & victus præcedentis ratione cognita, facilè conieci melancholiæ naturalis, aut ex bile adusta genitæ, reliquias in cutẽ excretas tantum pruritum facere, permixtas salsis pituiteis humoribus, quorum ad putredinem refertur origo. Horum vtroque plena est huius senectus nondum decrepita, & maximè biliosa, cui victus nulla vnquàm lege fuit obseruatus. Porrò excremẽta omnia ex putredine vel adustione calida esse, tum ratio, tum experimentum, & morborum inde genitorum natura, satis docent. Melancholicum verò humorem per febres quartanas aduri, atq; hinc maiorem cõcipere acrimoniam, & postremò velut in cinerem redigi, medicorum omnium consensus recipit. A dulci verò & insipida, vel etiam acida materia, pruritum & vellicationem fieri, non est qui admittat: cum solius bilis, vel vstorum, vel seroſorum humorum, vel pituitæ salsæ acrimonia eos dolores committat, qui ad arrosionem & vlcerationem proximè accedunt. Ergo non frigidi, sed calidi affectus in hoc sene apparent: nec iam dubium esse potest, febris & pruritus naturâ id arguente, quin acerrimis & caliditate pungentibus humoribus scateat corpus vniuersum.

Eorum verò subtiliores, dilutioresque portiones, in sudorem solutæ tam natiui quam acquisiti caloris vi, effluunt: crassiores verò cutim vix penetrantes cuticulæ longè densiori (in sene autem densissima, vt aridissima quoque & rugosa) tenaciter inhærentes, scabiem gignunt. Neque vero absurdum videri debet in hoc valde acres contineri humores, quamuis senior existat. Nam tales ex facta per ætatem constitutem adustione superesse possunt, largior copia ex febris quartanæ præsentis fæuitiâ, atque pituitæ salsæ (quæ ex putrefactione vel bilis mistione fit) cõditione colligitur. Hæc dum cogito, refrigerationis indicatio mihi in mẽtem venit (quia contrariorum contraria sunt remedia) vt cruciatum ex pruritu maximum, si non prorsus tollerem, saltem mitigarem, & febris malitiam in sene reprimerem. Ea verò omnium potissima visa est refrigerandi forma, quæ per causæ morbi ablationem fit, quantum scilicet ad id valere possunt mitiora medicamenta. Ab ijs enim abstinendum putaui, quæ suaptæ natura, seu ab insito temperamento refrigerant, quamuis talia vsui esse posse non repugnem. Nam quandiu multo excessu supra temperiem ætati conuenientem aucta manet qualiditas, minimè verendum est ne calor natiuus (in sene quidem exiguus) frigidorum vsu minuatur: quippe cum mediocritatem excedentes caloris extranei gradus obtundendi prius occurrant, quam innatum vis medicamenti aggrediatur. Quapropter, vbi febris

Universidad de Deusto
Biblioteca

bris & pruritus adsunt, leuiter refrigerantia innatæ caliditati nocere nequeunt: iuuant autem quam plurimum, quod humoris acrimoniam frangant, caloriſque exceſſu repreſſo hunc in priſtinam ſymmetriam reducant. Verum ea tũc præſcribere conſilium non fuit, ſed quæ per aluum expurgarent ſalſos, acres, aduſtóſque humores, & ſerum plurimum (ſudoris inteſtiſſimi materiam) ad vrinæ vaſa retraherent: qua ratione fieri poſſe putabam vt alui fluxus homini ſuſpectus, vel non ſine cauſa moleſtus, auerteretur. Id poſtremò curandum erat, à moribus & conſuetudine ſumpta indicatione, vt (quandoquidem omnis generis medicamenta illum odiſſe ſciebam) ijs quæ medicamenta eſſe non videntur, vterer. Hæc diu animo voluenti, deniq; viſum eſt perſuadere vt lactis ſerum, cui per noctem eſſet infuſa fumaria, quotidie mane potaret: vnam aut alteram hebdomadam experiretur, ac diligenter obſeruaret quid ex illius vſu accideret. Id ſatis eſſe ſperabam, & apprimè etiã conuenire ſeni, pro humorum ſalſorum aduſtorúmque leui (citra vim ſcilicet, aut turbulentam agitationem) purgatione, quandoquidem ſenile corpus multo langore fractum, amplius diuexandum non erat. Tantum morbum, adeò leui & miti remedio, vix vnquam ceſſurum noueram quidem: at ſeni afflicto, id à me contendenti, ſolámen refrigerijque nonnihil moliendum eſſe putaui, quo ſaltem minus graues moleſtias atque dolores, mitigata morbi occaſione, in poſterum

ſterum ſentiret. Aliqua ex parte ſuorum malorum ſomitem extingui poſſe prædictorum vſu homini facilè perſuaſi. Lactis ſerum lubentiſſimè ſumpturum ſe dixit, quo etiam per annos triginta ſingulis Maij mẽſibus aliàs ſe vſum eſſe ſignificauit: quod cùm reſciuiſſem, magis ſententiam confirmaui, docens à conſueris vel deterioribus minimè offendi naturam. His inter nos conſtitutis, diſcedo. Poſt tres aut quatuor dies ægrotum reuiſo, vt quo modo ex vſu ſeri haberet intelligerem. Audio nullam de ſero lactis mentionem fieri. Interroganti multa, velut indignabundus ad omnia reſpondet. Neſciebã quid hoc ſibi vellet, donec accepi me iam publicam ſuſtinere accuſationem, quòd ſeni frigidiſſimam rem (vt vulgo prædicant) præſcripſiſſem. His auditis, facilè conijcio homini ſuſpectum fuiſſe remedium, ab aliquo rerum facultatis imperito damnatum. Proinde vt me à calumnia, & tam inepto de mea opinione iudicio abſoluant atque vindicem, paucis demonſtrare decreui, me non inconſultò aut perperam, ſed alios de re ſibi prorſus incognita, ſententiam protuliſſe. *Aph. 49. & 50. li. 2.*

Id mihi primum concedi poſtulo, quod Medici pro axiomate habent, & omnibus confeſſum videtur, contrarijs contraria curari. Nam quum talia ſeſe mutuo afficere nata ſint, penes id quod valentius eſt remanere ſolet victoria. Ob id refrigerantibus calidi morbi cedunt, & frigidi calefacientibus: quos fecit repletio humorum

Universidad de Deusto
Biblioteca

morumque copia, soluit inanitio, & contrà. Porro, morbos hic nobis propositos caloris effectus esse, & ab humoribus corruptis pendere, facillimum est assequi. Nam febris à feruendo dicta videtur, non aliter quàm ἀπὸ τοῦ πυρὸς, πυρετὸς. Hippocrates nonnunquam πῦρ absolutè vocat, quòd ignis & incendij more corpus discruciet. Caloris ignei indicia sumuntur ex pulsu concitatiore, sitique immensa, præter id quod tactu facilè dignoscitur. Eò verò actior est caliditas, quò in sicciore densioreque materia est. Nam accensorum lapidum, aut ferri, vehementior sentitur, quam aquæ feruentis calor. Sic melancholia vel vsta vel putrescens, maiorem excitat feruorem, quam alius quiuis humor: in senili verò corpore, quia id ætatis decursu exiccatum & durius euasit, longe mordacissimum. Hinc fit vt eiusdem magnitudinis quartana, in puero minus acutum, quàm in sene, calorem præter naturam efficiat: quia puerorum mollis, laxa, & humida substantia est. Ergo febrilis calor in hoc viro sanè acerrimus nullo miraculo sentitur, quia in materia sicciore conflagrat. Incendium verò non priùs cessat, quàm humor in cineres (vt medici loquuntur) fuerit redactus. In cineribus autem, siue crassamento ex materia vstionem passa relicto, aliquid ἐμπυρεύματος restare solet: atque humoris qui accessiones fecit reliquiæ, excrementa fuliginosa, acria mordaciáque euadunt. Hæc dum ab interioribus ad cutem expellũtur, & pituitæ (quâ senum corpo

corpora referta sunt) permiscentur, hanc ex vstione iam antea salsam, acriorem efficiunt magisque arrodentem. Inde pruritus valdè molestus fit, quando in sudorem copiosum desinit febris, & diebus quibus intermittere solet. Hinc scabies nocentissima pullulat, minuta & aridior, ex terrei ac fæculenti humoris vstione, cuius partes crassiores dum cuticulam (Græci ἐπιδερμίδα vocant) ob densitatem penetrare non possunt, in illam sæuiunt. Hæc si vera sunt, quis iam non videt calidos humores omnium malorum quæ iste patitur, occasionem esse? Atqui (dices) corpora senum frigida sunt. Quid tum? Si febrem, quæ calidissima passio est, sustinere videantur, cur non etiam calidos quosuis morbos, ex calidis humoribus ortos, experientur? Temperamentum non ex humorum prædominio debet nuncupari, vt vulgares medici cum indocta plebe in vsu habent, qui temperiem seu complexionem dicũt sanguineam, pituitosam, melancholicam, cholericam. Non enim temperamenti nomina hæc esse debent, sed humorum redundantiæ, quæ non semper confinibus sibi temperamentis respondet. Siquidem frigidi & humidi quidam, bilis plurimùm & sæpe vomunt, vt testatur Galenus: calidi & sicci pituitam. Sed nonne delirum est ab ijs humoribus qui præter naturam sunt, temperiem denominare, quum hi frequenter ciborum naturam, & anteactæ vitæ conditionem, potius quàm propriam corporis constitutionem, sequãtur? Hoc qui

Lib. 2. de temper. cap. 7. & artis med.

Universidad de Deusto
Biblioteca

qui ignorant, & hebetes non vident rerum discrimina, quique turpiter omnia confundunt, si quem audiant senes biliosos, vel cuiuslibet generis humorum acrium plenos, dicentem, stupent: quia certum est senile corpus non modò siccius, verum etiam frigidius esse: putant verò illi excrementa frigida & humida tantùm, qualis est pituita, in senum corporibus aceruarinc scientes aliam solidis partibus (quarum propriè est temperamentum) aliam excrementis inesse naturam. Sed redeundum nobis est vnde digressi sumus. Quum perpetuo effectus causis respondeant, ex dictis rationibus euidentissimè est demõstratum, ni fallor, nobis propositum senem calidis affectibus laborare, & calidis plenum esse humoribus. Cõsulo vtatur lactis sero, in quo maduerit fumaria. Quid hic reprehendunt? Si bene coniecto, serum frigidius esse, quàm vt seni conueuire possit, arguunt: eo quòd idem iuuenibus, ad compescendam hepatis calidam intemperiem, propinari vident. Hinc serum valdè refrigerare colligunt, quia iumorum calorẽ etiam feruescentem remittere valet. Cùm verò senes tanto refrigerio quanto iuuenes non indigeant, illud minus consultò senibus concedi arbitrantur. Ea est (opinor) eorum ratiocinatio: sed quàm falsa & fallax iam videant, móxque resipiant. Si multum refrigerat lactis serum, id in morbis calidioribus quancunque naturam occupent, optimè conueniet: cùm nõ temperiem emendare, sed potius morbum (qui affectus est præter

præter naturam) prorsus destruere conabimur. Est senis huius quartana, quæ in humore crasso maximum incendium facit, acriorem quàm in alia quauis ætate calorẽ excitat, vt superius exẽplo de lapide & ferro accensis monstrauimus. Porrò materiæ febrem committentis cineres acerrimi sunt, qui pituitæ ex adustione salsę permixti, longè magis arrodentem faciunt. In hoc præterea bilioſi humoris non exigua quantitas ex ætate præcedente relicta est, vt coniecturâ assequor. Adde quòd in ipso paroxysmo, dum febris hominem vehementiùs exercet, & sitis infestat, à vino (quod incendium maius facit) nõ abstinet. His omnibus in vnum coactis, & sedulò examinatis, quis iam audebit negare propositum ægrotum calidissimis affectibus infestatum, nõ alijs quàm refrigerantibus egere? Nunquid seri lactis frigiditas huic suspecta esse debet, si iuueni duntaxat bilioso, necdum morbo calido laboranti, benè conuenit? Quis adeò stupidus est vt non assequatur, senis istius affectum longè calidiorem esse, quàm calida hepatis intemperatura, etiam in iuuene admodum bilioso, citrà morbum? Quòd si ad hanc lactis serum rectè præscribitur, cur non seni calido morbo, à calidissimis humoribus nato, laboranti etiam concederur? Frigida non prius in natiuum calorem (quem senibus languidum esse fateor) agunt, quàm omnes gradus quibus vi morbi suã temperiem excessit, debellarint. Dum id opẽ medicamenti nos esse assequutos coniicimus,

Universidad de Deusto
Biblioteca

iam sanitati restituto homine, serum lactis subtrahimus. Nec solum in senioribus illud obseruandum putamus, sed & in iuuenibus quos refrigerare studium est. Nam quum satis refrigeratum esse nouimus, hoc est excessum à medio (in quo debitus cuique ætati calor consistit) omninò superatum, & nos in symmetriam conuenientem peruenisse, tunc ab vsu refrigerantium cessationem indicimus. Ea verò in calidis affectibus nunquam nocere possunt, quandiu supereſt excessus à natiuo calore oppugnãdus. Cùm hoc siquidem primum dimicatur: eo superato si perseuerent frigefacientia, tandem natiuum calorem offendunt. Ergo si per istius senis morbos, excessus caloris est maximus, & eò maior quò ætati minus conuenit: quis, nisi stupidus, frigidorum vsum reformidet? Id ratum & firmum est, quod omnibus ætatibus, naturis temperaturis, & conditionibus hominum quadrat, contraria cõtrariorum esse remedia. Quid ad hæc respondere valeant, ignoro, cùm tam euidentes sint rationes, vt me sanè pudeat adeò leuia tractare argumenta. Desinant igitur mirari senum affectus calidos, refrigerantibus indigere. Quòd si prædictas demonstrationes aliquis, stipes veriùs quam homo, non intelligat, faxo vt statim à suis calumnijs abstineat, vbi significaro vulgares medicos de lactis seri qualitatibus malè sentire. Sed prius ex eorum quoque opinione consilium à nobis datum, defendere placet.

Si hu-

Si huius senis affectus refrigerantia postulãt, vt superius abundè monstratũ est, & serum lactis de vulgi sententia refrigerat, quomodo non bene propositæ rei conueniet? Respondebis, frigida quidem vsui esse posse: at ætatis ratione habita, senibus (quia sunt plus iusto frigidi) alia minus refrigerantia quàm serum lactis conferre. Facillimum quidem est istam obiectionem soluere: vt si dicamus, vulgo suspectam seri frigiditatem fumaria infusa corrigi. Fumariam verò seu fumum terræ (Græci καπνον vocant, eo quòd succus eius oculis inditus, veluti fumus pungit & lachrymas mouet) calidam esse ratio ab experimento ducta comprobat. Acris enim & amara gustui sentitur, atque adeò (ni fallor: Scio enim de hoc diuersas haberi opiniones) secundum caliditatis gradum attingit. Quid iam illi calumniabuntur? Suspecta seri frigiditas calidâ herba emendatur. Sed si ostenderimus lactis serum minimè ex sese & propria natura refrigerare, quid amplius effutire poterũt? An non pudore suffusi latebras quærent, vt cũ sua ignorantia ipsi sepeliantur? Satis superque docuisse videmur, propositos nobis morbos refrigerantibus egere. Id vsu seri cõmodè fieri, etiam monstrauimus. Iam si probem lactis serũ non refrigerare, sed euidenter calidum esse, & calfacere, quia ratione dicẽt seniores ab eo abstinere debere, propter ætatis naturam scilicet, quĩ id iunioribus & biliosis benefacere putent? Atqui serum esse calidũ, non modò probatissi-

Universidad de Deusto
Biblioteca

morum autorũ testimonio, verum etiam ratione & experientia, docebo. Galenus calidam & acrem qualitatẽ lacti ex sero inesse dixit: in explicandis facultatibus alimentorum (cuius sententiæ immemor, serum lactis frigidum & humidum esse, alio in loco pronuntiat) pinguem verò & mediocriter calidã à butyro. Reliquum omne frigidum esse, ac succi crassi, demonstrat. Nam quod lac quodcũque aluum subducat, id seri acrimonia, non humiditas facit. Etenim serosa lactis portio ventrem mouet, crassósque succos attenuat. Proinde inquit) lac quod serũ habet plurimum, etiã si semper eo vtare, nil penitus adferet periculi. Igitur seri caliditas obscura non est, quã testantur acrimonia, & deiiciendi facultas. Nã purgantia omnia calidiora quàm frigidiora sunt, vt experientia monstrat. Præterea, digerendi & abstergẽdi vim habet, vt idem Galenus admonet. Has verò facultates, in alijs quam calidis medicamentis, inuenire nõ licet. Serum autem digerere & abstergere, id confirmat, quòd ecchymomatis, id est sugillatis & hypospagmatis prosit. Quũ itaque lactis serum his qualitatibus præditum sit, quis frigidum, vel adeò refrigerans vt morbis etiam ex calore genitis non conueniat, dicere audebit? An narcoticum & stupefaciens esse putant, quale non nisi ad extremos dolores Medici prudentes vsurpare solent? Nequeo satis mirari eorum impudentiam, qui serum, frigiditatis ratione suspectum habent, quum id à tali cõditione prorsus & ex diametro distet. Neque enim frigidũ vocari potest, quod vim purgandi obtinet, neque si eiusmodi esset, morbis calidis & ex humorum acrimonia natis, noceret: quin potius morbi materiam euacuans, omnium maximè conferre videretur. Quãobrem nó possunt, quomodocunque respondeat, ignorantiæ & temeritatis crimen effugere. Sed tã ineptos homines amplius persequi nolo. Sat est nostram sententiam ab eorum reprehentione (ne dicam calumniã) vindicasse, atque euidentissimis rationibus demonstrasse, lactis serum ex fumariæ infusione, seni quartanã, pruritu, scabie, & largo nimis sudore laborãti non esse reijciendũ: imò verò plurimũ conferre, vt quod effectus planè morbo contrarios edat. Id quomodo præstet, nõdum apertè docui, duntaxat admonui, quũ adferrem morbi curãdi indicationes. Dicã igitur & clariùs explicabo, qua ratione fiat vt serum lactis, suapte naturã calefaciens, morbis à calore ortum habentibus, conuenire possit, quum tamen semper contrarijs contraria sint obiicienda.

Lib 3. de fac. alim. Lib. 4. simpl med. cap. 17.

Eorum quæ calefacere dicuntur, alia ex sese & propriã naturã id agunt, vt piper, sinapi, castorium: alia per accidens, hoc est ascititia qualitate, vt aqua calefactã. Hæc enim calorem ex propria temperie non habet, sed illi accidens est, quod ab igne accepit. Id tamen alijs cõmunicare potest, & primo statim occursu calefacere. Per accidẽs quoque fieri aliquid dicimus, cum alio casu interueniente, non immediatè, euenit

Casum hic significat de sultum ab vna quapiam causa in alterius causæ effectum. Quũ ergo aliquid per accidens à quoque fieri statuimus, tacite significamus nos interrupto ordine causarum seriem recensere.

Universidad de Deusto
Biblioteca

Eo loquẽdi modo frigida calefacere, & calida refrigerare, asserimus. Nam si aqua frigidissima corpus affatim perfundas, primo quidem attactu (quod est per se efficere) cutem & subiectas partes refrigerabit: at paulò post vniuerso calore in vnum sese colligente, maior fit eius ad exteriora impetus. Hinc vehemẽtior quàm prius caliditas percipitur, cuius euidens testis rubor est. Sic calorẽ adauget aquę frigidioris perfusio: verũ per accidens, & alterius intercessione, id cõtingit. Nam ex se nihil nisi refrigerare potest: sed dum natiuum calorẽ recolligit, qui subito cõtrarij sui appulsu ausugerat, facit vt vegetior alacriórq; (nimirũ viribus adauctis ex collectione) magno impetu in partẽ aqua refrigeratã irruat, nec modo frigus inimicũ dissipet, verum etiã insigniter calefaciat. Propterea suadet Hippocrates, iuuenẽ bene carnosũ tetano (qui morbus est frigidus) laborantẽ, æstate mediâ, largâ frigidæ perfusione madefacere. Id enim calorẽ reuocat, inquit: calor verò hæc soluit. Idem in phlegmone, arthritide calida, & similib. experimur: nã frigidorum nimio vsu calor, & inde dolor augetur, quia talia cutim cõstipant, & acriũ vaporũ perspirationẽ impediunt: vnde fit, sed per accidẽs incendiũ maius. Contra, refrigerare videntur calida, nõ ex se vel propria natura, sed dũ quod calefaciebat euacuant. Sic calidos tumores nonnunquã persanat calidorũ fotus: quia parte affecta rarescente, in halitũ facilè dissoluũtur & discutiuntur eadẽ operâ extenuati humo-

Aph. 21. lib. 5.

humores. His eductis, calor qui præter naturã ex humorũ copia partem infestabat, etiam cessat. Simili modo καθαρτικὰ seu purgantia medicamenta, quæ bilẽ, & alios quosuis humores calidos deturbant, refrigerare dicuntur, quia materiã corpus calefacientẽ educunt. Ea propter rha barbarum, aloen, scãmoneam, & calidissima quæque pharmaca, refrigerare asserimus, quòd bilioso atque adeò æstuanti corpori propinata, vehemẽtis caloris occasione semotâ, refrigerium inducant. Nõ aliter, opinor, serũ lactis hepar refrigerare dixerũt antiquiores, quia biliosa excrementa à calidiore hepate cõtinuò genita expurgat, humoréſque adustos & serosos excernit. Proinde sanguinẽ mundiorẽ reddere creditur, præsertim caprinum, idque ex lacte caprarum nigrarum & iuuenum. Ergo lactis serum minimè frigidũ esse recipimus, sed tamen refrigerare posse fatemur, quum scilicet acres humores per aluum extrahat. Hac enim ratione calorẽ præter naturam excitatum delet. Quòd si more vulgi serũ frigefacere putes, nempe ex propria natura seu temperie, quemadmodum solet aqua frigus ex sese inducere: & absurdam & indoctã fouebis sentẽtiam, eorum opinioni ad similem, qui illud senioribus non esse propinandum censent. Hęc sunt quæ pro mea defensione ad te scribẽda putaui, LVDOVICE humaniſſime, vt argumenta suggerã quę illis obijcias, qui non cessant benè dicta malè interprætari. Hi si Medicinã profitentur, Medici-

Universidad de Deusto
Biblioteca

næ maximam faciunt iniuriã, quę vel penã merentur: alijs ignoscendum puto. Sed vt præter calumniarum propulsiones, etiam nostrum habeas explicatum consilium, quod tibi & amicis aliquando vsui esse possit, lubet indicationes, & (vt vocant) intentiones nostras exponere.

Lactis caprini serum ex fumariæ infuso per noctẽ, quotidie mane in crepusculo potãdum, Regio patrono præscripsimus, vt acres, mordaces, pũgẽtes, salsi, nitrosi, amari, & adusti humores, ex bilis, pituitę ac melãcholię serosis excremẽtis procreati, cum par aluũ, tũ per vrinas expurgentur: id quod citra vim, aut tormina ventris, futurum scimus. Nam quamuis serum acre dicamus, ad alias lactis partes facta comparatione, non tamen pungit aut vellicat per euacuationes, sed potius humorũ mordacẽ qualitatẽ extinguit. Hinc Dioscor. Datur quibus sine acrimonia volumus deiectionẽ moliri (inquit) vt melancholicis, comitialibus, lepris, elephantijs, & erumpentibus toto corpore papulis. Autor quoq; est Galenus, serũ lactis intestinorũ acrimoniam citra mordacitatem abluere, & abstergere, dum vlcera acri sanie infestata eluit. Ergo verendum non est vt colicum dolorem excitet, siue is ex humorum acrimonia, siue ex flatibus aut pituita pendeat: quippè quum expurget, detergat, & sine morsu quoque aluũ subducat. Id ignorasse videtur, qui eius vsum colico dolori obnoxio nobis proposito homini suspectũ, temerè

Lib. 2. cap. 72.

Lib. 10. simpl.

merè dissuasit. Neque verò medicamenti huius vehementia est formidanda, quum benignè admodum, & citra violentiam, humores sibi familiares educat. Vnde & senibus maximè conuenit, & debilibus cibos auersantibus, & ijs qui imbecillum stomachum habentes purgatione indigent, vt scribit Aëtius: cuius consilium est, pueris, mulieribus, & senibus citra omne periculum exhiberi, & in caniculæ æstibus intrepidè dari, quamquam tunc temporis alia medicamenta suspecta sint. Minimum enim calidum est, eorum comparatione quæ non citra vim humores eliciunt. At fortiori sero, id est non simplici, sed quopiam medicato admixto, vti quis potest (idem Aëtius inquit) ad corpora & vitia vehementioribus medicamentis egentia, præsertim ad vitiatos sub cute humores, &c. Atque ea ratione nos sero lactis caprini fumarię qualitates adiungendas putauimus, vt ad humorum acrium expurgationem citra vim aut impetum, magis valeret. Nam quum fumaria (autore Dioscoride) bilioſam vrinam multam prouocet, seu bilem per vrinam trahat, vt loquitur Plin. fit vt alui fluxum superfluum imminentem retineat, siquidem humoris portione plurimâ ad vias vrinæ deriuatâ, siccior aluus est. Vnde Hippocra. Mictio noctu multa facta (inquit) paruam significat deiectionem. Non est igitur verendus ex seri lactis vsu alui fluor immodicus, quem Patrono regio suspectum fuisse cognoui. Sed neque ventriculi læsio vlla verenda

Tetr. 1. ser. 2.

Aph. 83. lib. 4.

Universidad de Deusto
Biblioteca

est, quum fumaria præter amaram qualitatem, etiam nonnihil acerbæ obtineat: quibus nominibus ad stomachum egregiè roborandum (μετὰ τοῦ καὶ γαστέρα λαπάττειν, vt loquitur Galenus: hoc est simul ventrem vi abstersoria lubricum efficiendo) plurimum valet: præterea, iocinoris obstructiones & imbecillitates sanat. Dices: lactis serum calidum esse, dictis priùs argumentis persuasus, admitto. Cur ergo febricitanti præscribitur, quum febri refrigerantia debeantur? Calefacit equidem propinatum, velis nolis: at ex purgatione quam efficit, longè plus commodi assequimur, quàm negligendus calor mali adferat. Ea ratione fumariam sero lactis multò calidiorem, febricitantibus omnibus etiam decoctam confidenter exhibẽdam suadet Aëtius. Iam nullos video prauos affectus huic seni imminere, qui sanæ mentis medicum ab vsu lactis seri vnà cum fumaria dehortari possint, nulli sunt præsentes, quibus id non benè conueniat. Nam sudoris copiosissimi & frequentissimi materiam per vrinas expurgabit, humorem crassiusculum & fæces per aluum deijciet, ad acribus & vstis humoribus corpus liberabit. Hæc sensim fient, neque ventriculi robur deijcietur, neque erit alui fluor immodicus, neque tormina excitabuntur. Sed non parum interest quantũ singulis diebus, & quandiu sumendum sit: quæ præsentis medici docti & prudentis iudicio relinquuntur.

Lib. 10. de facul. simp. medic.

Tetr. 1. serm. 1.

Hactenus explicaui (iucundissime Lvdovice)

Lvdovice) quibus rationibus impulsus ego medicamentum facillimum, tum senili ætati conueniẽtissimum, contra vulgi opinionem præscripserim, ex lactis sero cum fumaria. Tu iam mirari desine, & vt cæteri sententiam mutent his argumentis, tanquã fustibus, coge. Multò plura adferre potuissem, ni me eorum qui medici ex professo non sunt captui voluissem accommodare, vt hęc ab omnibus literatis viris intelligerentur atque iudicarentur. Ignoscant si quid arrogantius dictum legerint, idque bile mota scriptum putent: vel potiùs cogitent, pro famâ, non aliter quàm pro aris & focis, dimicandum esse. Vale.

CLA

CLARISS. VIRO, D.

LAVR. IOVBERTO, INSIgni Philosopho, & Medico experientiss. Enim. Bonefidius. S. D.

PRidie quod proposueras enuntiatum, vir humanissime & doctissime, tum vnà essemus in bibliotheca tua, Adipẽ frigore non concrescere, me mirum in modum torsit toto hoc antelucano tempore. Quid enim magis humanam excedere videtur fidem? Perinde est ac si quis butyrum frigoris ope non coalescere coagularive asserat. Primùm, calidum & frigidum qualitates actiuæ sunt, & è diametro oppositæ. quod est sine probatione, ipsis sensibus apertissimum. Contraria autem nemo neget, in effectus abire contrarios sibi ac repugnantes. nisi κατὰ συμβεβηκὸς aliud res ipsa donet: veluti cum propositas qualitates desiccare euenit. Calidi est ἑτερογενῆ separare ac dissoluere, ὁμογενῆ congregando: per accidens rarefacere, attenuare, digerere, fundere, laxare. Exempla in metallicis officinis, & in medicatione passim sunt obuia. Rarefactio est cum partes expanduntur, & quasi ex priore loco discedunt. Liquefa-

factio est solutio coagulatorum. Frigoris ergo vis est propria, congregare ὁμογενῆ τε καὶ ἑτερογενῆ, atque adstringere. Quod & ipsum sat est perspicuũ in aqua gelu concreta. Atqui adipem igni admotum liquescere ac dissolui cernimus, non aliter quam Simethæ cera apud Theocritum εἰδυλ. β.

Ὡς τᾶτορ τὰν κηρὸν ἐγὼ σὺν Δάιμωνι τάκω,
Ὡς τάκοιθ' ὑπ' ἔρωτος ὁ Μιώνιος ἀντίκα Δέλφις.

Et apud Vergil. egl. 8.

Hæc vt cera liquescit
Vno eodémque igni.

Igitur frigore concrescat adeps, & vt verè dicam progignatur, est necesse. Præterea, corporibus quibus est frigidior natura, copiosius, calidioribus verò paucus innascitur adeps. Quinimo solet ἀστίβοις immodicis, laboribus, & inedijs profundi ac dissipari. Ideò autem in ventre inferiore cumulatius ac durius increscit, quòd maiori seiunctus est interuallo à fonte, quem vocant, caloris. Quamobrem non mihi persuadere possum, adipem, seuum, & cætera huius naturæ, aliunde quàm frigoris vi prouenire. Bene vale.

ADIPEM, qui igneo calore dissoluitur, in corporibus animalium frigore non concrescere: Ad doctiss. & omni doctrinæ & linguæ genere absolutiss. iuuenem D. ENIMVNDVM BONEFIDIVM, *iuris prudentiæ professorem clarissimum.*

PARADOXVM VII.

PARADOXVM tibi meritò visum est enuntiatum quod nudiustertius pronõciabam, ENIMVNDE, quum id sensibus & experimento refragari existimes. Scio & medicorum nostrorum vulgo inauditam esse hanc opinionem, & Galeni placitis repugnare, neque facilè ijs persuaderi posse qui præceptorum suorum autoritati magis quàm rationi fauent. Ast tibi ingenij splendore & iudicij integritate pollenti, variaque in lectione exercitatissimo, ex Physices & Medicinæ theorematis hoc statim demonstrauero: nec aliunde argumẽta petam, quàm ex solis rerum euentibus certâ obseruatione probatis, vt intelligas me nulli sensuum fidem abrogare. Butyrum frigore non coalescere affirmantem, insanire fortè putabis, donec saltem videris id componi dum baculo multum

tum diúque exagitatum incaluerit. Eo etenim modo cogitur, & in massam concrescit quicquid est butyrosæ crassitiei, & à sero secernitur: vt solitũ est caliditati τὰ ἐπιγενήτα (quod tute rectè annotasti) separare. Ob id hyemis tempore butyrum ad ignem percutitur, quia non satis ex solo motu caleret. Quòd si factum iam butyrum ignis Solisve calore dissolui (vt accidit) videatur, id à frigore coagmentatum fuisse non protinus infert. Neque enim tunc locus esse debet illi physico axiomati, quod temere in nos plærique iactant, quicquid funditur calore, concretum anteà fuisse frigore: quam propositionẽ sic interpretari decreuimus, vt quod nunc pro validissimo telo habent aduersarij, mox omnium innocentissimum iudicetur. Frigidis corporibus nullam gigni adipem, vt nec calidioribus quoque minimo negotio (vbi primùm optimè iacta fuerint fundamenta) confirmabo. Deinceps monstrabo quî fiat vt per æstus maximos, & per improbos labores, emacientur, non crassiora euadant, corpora, etsi pinguedinis causam efficientem calori concesserim. Postremò, cur in ventre inferiore cumulatior & durior proueniat adeps, & quare minor eius portio ad Cor gignatur, edisseram. Hæc ferè sunt dubiorum quæ mihi scripsisti capita, Enimunde ingeniosissime: tuum animum hi scrupuli torquent, nec cedunt (prius quàm euellantur) nostræ opinioni locum. Igitur, ne te probationum mearum quibus rem persuadeo auidissimum,

Universidad de Deusto
Biblioteca

simum, amplius distincam, accipe satis susam & explicatam enarrationem: tuoque nomine susceptum laborem æqui & boni cõsule. Erit hoc munusculum contractæ inter nos amicitiæ, & iucundæ familiaritatis, si gratum fuerit, σύμβολον.

PINGVEDINIS appellatione id in vniuersum significamus, quod instar crassioris olei in animalibus concretum apparet, & vi caloris ignei dissolutũ liquescit. Eius variæ sunt species, formâ & consistentiâ prorsus differẽtes, idque non in diuersis tantùm, sed & in ijsdem corporibus. Varia quoque nomina his imposita tũ à Græcis, tum à Latinis autoribus, qui rerũ essentias accuratè distinxere, accepimus. Græca sunt πιμελὴ, στέαρ, ἄλοιφὴ, λίπος, λιπαρότης, κνίσσα: sed hoc postremum, nidorẽ qui à re pingui deústa sentitur, potius denotat. Illis respõdent apud Latinos pinguedo, pingue seu pingnitudo adeps, seuum vel sebũ, axungia, sagina, vnguẽ, vnctio, & alia quædã. Pinguedo generis nomen esse videtur, quid τῇ πιμελῇ respondet. Vtrumq; tamen speciatim vsurpari solet pro humidiore pingui, oleo longa vetustate incrassato adsimili. Ea fuit Galeni sententia, dum inquit πιμελὴ ὑγρόν τι χρῆμα ἐστι παραπλήσιον ἐλαίῳ διὰ μακρὰν παλαιότητα πεπαχυμένῳ. Interpretes ferè vbique pinguedinem vertunt. Colligitur plurima in valde humidis animalibus quæ crassa & obesa euadunt, in suibus præcipuè. Sic enim idem Galenus: τῆς μὲν ὗν (inquit) ἐντροφῶν πιμελὴν πλείστην ἔχει, διὰ τὴν φυσικὴν

Lib. 3. de facul. alim.

Lib. 11. de facult. medicam.

φυσικὴν τῆς κράσεως ὑγρότητα. Adipis verò & seui natura siccior densiórque est, vt στέατος Græcorum, quod animantibus totam naturam terrestriorem habẽtibus prouenire dicunt. Quippe Galeni hæc sunt: τοῖς γεώδεις ἕξιν ἐχούσιν τὴν ὅλην φύσιν ζώοις, τὸ στέαρ γίνεται. Et paulò post. Βόες δὲ καὶ αἶγες, ὅσα τε ἄλλα κερασφόρα, διὰ τὴν ξηρότητα τὸ στέαρ πλεῖστον γεννᾷ. Verùm hoc discrimen non esse mordicùs retinendum, ijs qui rerum essentias, non verba, curant, sequentia docent: Σὺν δὲ βύλῃ, τὴν ἐλαιώδη καὶ λιπαρὰν ὅσιαν ἅπασιν ἐν τοῖς ζώοις κάλῃ στέαρ, ὥσπερ οἱ πλεῖστοι τῶν ἰατρῶν. ἔξεστι δέ σοι καὶ πιμελὴν ὀνομάζειν ἅπαν τοῦτο τὸ γένος. Theodorus Gaza apud Aristotelem στέαρ seuum vertere solet, πιμελὴν verò adipem. Seui autem & adipis hanc differentiam facit Aristoteles, vt quorum sanguis corpulentior & crassior est, ea seuum potius quàm adipem habere dicantur. Id enim terrenum est: proinde sanguinis fibrosi modo cogitur, tum ipsum, tum illius decoctum. Cornigera verò, non vtrinque dentata, sunt quæ seuum habent. Adeps non cogitur, nec siccitate frangitur, quia minus terrenâ est naturâ. Plinius illum sequutus, eandem distinctionem ponit inquiens: Cornigera vna parte dentata, & quæ in pedibus, talos habent, seuo pinguescunt: bisulca scissíve in digitos pedibus, & non cornigera, adipe. Hæc nominum varietas toto propè genere disiungit pinguis materiæ species: cui si addas sanguinis & loci in quem inciderit naturam, horum certè differẽ-

Ibidem.

Lib. 2. de part. animal. cap. 5.

Lib. 11. cap. 37.

m tia

Universidad de Deusto
Biblioteca

tia illius magnam dissimilitudinem suscitabit. Cæterùm, distinctioris doctrinæ gratia lubet sic pingue omne definire: Seuum est terrenum siccum, & non modò concrescens, verùm etiá friabile, statim atque refrixit: cor nigeris animalibus proprium est, ijsque ventri inferiori, circa renes potissimum, adnascitur. Id optimis candelis materiam præbet, quia durius est, nec facilè liquatur: parum enim aquæ, multum terræ continet, vt docet Aristoteles. Adeps peculiari nomine dicitur, qui in minus siccis, non tamen humidissimis corporibus, gignitur ad epigastrium & circa renes: in cornigeris verò animalibus, quicunque circa musculos & cutem crurum partiúmque inferiorum concreuit siccior duriórque. Porrò Græci autores id discrimen non annotarunt. Nam vno στέαρος nomine, quod nos seuum & adipem vocamus, exprimunt. sed (vt prædixi) facilitaris ergo mihi liceat hoc comminisci, atque seuum id vnum dicere quod est friabile & siccissimum, ex terrena portione copiosissima: adipem verò aëreum magis durum minus, quódque tardius concrescit, medium scilicet pinguedinis propriè dictæ (quàm πιμελὴς dictione intelligo) humidioribus animalibus conuenientissimæ, & seui. Pinguedo enim aquosa & mollior apparet, nullo modo friabilis, nec solida. Sus animalium ferè omniũ humidissimus, pinguedinem multam colligit. Homini etiam pinguedo veriùs est quàm seuum aut adeps. Præterea, siccioribus quoque ani-

Lib 2 de part. animal. cap. 5.

animantibus sua est pinguedo circa venas & arterias, in partibus quæ sub pectore conditæ sunt, in musculorum finibus, & carnis pulpa. Sic Plinius in fine carnis, id est ad cutem, gignit adipem vult: pingue verò inter carnem & cutẽ, succo liquidum. Ab eodem didicimus, Græcos suillum adipem vocasse Axungiam. Nos hanc dictionem pro liquidiore pingui vsurpamus: pinguedinem verò generis nomen facimus, cuius tres hactenus species recensuimus, seuum, adipem, atque axungiam. Medulla his quarto loco annumeranda venit. Nam cùm id pingue esse in animalium corporibus definiatur, quod ignis calore fundi potest, pinguedinis appellationem meretur ossium medulla, quam Græci μυελὸν absolutè vocant. Huius generis non est quæ vertebris inclusa spinalis & dorsalis vocari solet, à Barbaris nucha, Græcis μυελὸς νωτίαιος καὶ ῥαχίτης nuncupatur: Galeno etiam διαχύτιος ψοΐτης. Neque cerebri substantia, quam plerique medullam vocitant, pinguedinis species est: quia non liquefit. At quæ ossibus continetur medulla, aliorum more pinguium fit ex sanguinis oleosa aëreáque portione in ossium cauernas influente, & tandem concreta. Nam vt reliqua pinguis genera, distinctam sedem habet. Esse verò hanc pinguedinis speciem, autor est Aristoteles. Dictum confirmat ex eo quod medulla sit adiposa in ijs animalibus quæ adipem gignunt, & similis seuo in ijs quæ seuum. Hinc rectè infert, medullarum alias seuosas,

Lib. 11. cap 37. Lib. 28. cap. 9.

Lib. 2. de part. animal. cap. 6.

Universidad de Deusto
Biblioteca

alias pingues & adiposas esse. Plinius idem sentit, inquiens: Medulla ex eodem (adipum genere videlicet) videtur esse, in iuuenta rubens, in senecta albescens. Est autem pinguis ijs quibus adeps, seuosa cornigeris. Hactenus pinguedinis varias nuncupationes, atq; adeò distincta genera recensuimus. De eius natura & cõditione dicturo supersunt explicanda, materies, causa efficiens, & quæ finalis dicitur. Nam quæ sit forma, quantum ad præsens institutum pertinet, ex supradictis sat explicatum videtur.

Lib. 11. cap. 37.

Lib. 3. de hist. animal. cap. 16.

Aristoteles pinguedinis omnis materiam esse sanguinem denotat his verbis: Caro vertitur in pingue, quoties pabuli copia suppetit. Quasi diceret, quum eadem sit carnis & adipis materia, si ea fuerit abundãti or, quod carnem solum gignebat, in adipem conuertitur. Id verò est sanguis, quo sane multo opus est vt ambobus sufficiat. Quippe natura priùs est de carne sollicita, quia magis necessaria: adeps post modum fit ex benigno superfluo. Sic ex carne pinguedo fieri videtur, quum eadem sit vtriusque materia, & in adipem nõnunquam abeat, vbi quæ carni dicata fuerat, plurimùm abundarit. Idem Aristoteles alio in loco rem explicatiùs significat, in hanc sententiam: Nullum ex ijs quæ sanguine carent, vel adipem habet, vel seuum: quandoquidem sanguis deest. Qualis verò sanguis ad pinguedinis generationem conferat, varijs in locis monstrauit, docens purum, elaboratum, & absolutè concoctum esse debe-

debere. Inquit enim: præpinguia omnia sanguinem, quamuis purum, tamen paucum habent: & quò plus pinguedinis, eò minus possident sanguinis. Pingue enim omne exangue est. Obesa item sanguinem habent imputidum. Et alibi: Quantum relinquitur puri sanguinis (transcolatione facta in renibus) facilè concoqui potest: finis autem probæ concoctionis sanguineæ, adeps & seuum est. Cæterùm, Galenus & medici omnes confitentur, ex portione sanguinis oleosa, fluxili & pingui fieri pinguedinem. Hinc illud libro de temperamentis: Quod oleosum in sanguine est, fluxiléque & pingue, vbi in frigidum venit locum, cogitur. Rursus ibidem: Quicquid in sanguine pingue, leue, tenuéque est; id in frigidioribus corporibus seruatur: vbi in frigidas particulas incidit, in ijs concrescit. Ergo eadem est materia bilis flauę, & adipis, quod etiam dixit Galenus: vtrunque enim fit ex sanguinis parte pinguiore & tenuissima. Aristoteles spermatis & pinguedinis materiem proximam eandem constituit, atque docet minus fœcundos esse qui multam aceruant pinguedinem, & egregiè saginati sunt: quia sanguinis pars elaboratissima & aërea, semini gignendo conuenientissima in adipem conuertitur. Eius verba sunt: Hominum nonnulli, vbi per habitum corporis bonum carnulẽti aut pinguiores euaserint, minus semen emittunt, minúsque rem veneream

Lib. 3. de hist. animal. cap. 19.

Lib. 3. de hist. animal. cap. 9.

Lib. 1. de temp.

Lib. 2. de differ. febr. cap. 12.

Lib. 1. de generat. animal. cap. 18

Universidad de Deusto
Biblioteca

« expetunt. Et paulò post. Viri etiam mulieréſ-
« que pingues, minùs fœcundæ eſſe quàm non
« pingues, videntur: quoniam in vegetioribus
« excrementum concoctum tranſit in pingue.
« Nam & pinguedo excrementum eſt bonitate
Lib.1.de generat. animal.cap. 19. ſubſtantiæ ſalubre. Et alio in loco: Pinguia mi-
nùs feminis habent quàm macilenta; cuius rei
cauſa eſt, quòd & pinguedo excrementum vt
ſemen & ſanguis cõcoctus eſt, quanquam non
« eodem modo quo ſemen. Itaque ratione op i-
« ma fit, vt cùm materia ſuperuacua conſumpta
Lib.11. cap.37. in pinguedinem ſit deficiat genitura. Plinius his
aſſentitur, dum inquit: Steriliora cuncta pin-
guia & in maribus & in fœminis. Id confirmat
experientia, cùm animalia quæ ſaginari volu-
mus caſtrentur, quia eadem eſt feminis & adi-
pis materia. Quæ igitur in adipem conuerti-
tur, res frigida non eſt, vt multi exiſtimãt: quum
ex eadem nunc bilis, nunc ſperma fiat, quę ne-
mo ſanæ mentis frigida eſſe dixerit. Verùm, ne
que adeps ipſe frigidus eſt, ſed inſignis caloris
particeps: quod variis argumẽtis & autoritati-
bus probare licet. Hoc habet Ariſtoteles: Pin-
Lib.2.de generat. animal.cap. 2. gue nec terræ eſt, nec aquæ, ſed ſpiritus: ex quo
fit vt per ſumma aqueę fluitet. Et paulò poſt: Spi
ritus autem, aër calidus eſt. Rurſus alio in loco:
Lib.2.de part.animal.cap.5. Pingue inter humida cõmune ignis & aëris eſt.
Probl.23. lib.10. In problematis, ſuem calidiſſimũ eſſe pronun-
tiat, & parti eius corporis calenti pilos adhære-
re: quippe quum pingue tale eſſe neceſſe ſit. Vn
de ve

de verò accidat pinguedini calor, explicat his
verbis. Vt in combuſtis ſiccis, velut cinere, ali- Lib.2.de part animal.cap.9.
quid ignis relinquitur: ſic in cõbuſtis humidis
nonnihil caloris qui effecerit, relinquitur. quo »
fit vt pingue leue ſit, & humoribus ſuperfluitet.
Adipẽ omnem calidũ eſſe naturâ, Galenus mil-
lies dixit, probauitque experimento, quòd eo
in medicamentis referentibus, attenuantibus,
diſcutientibus, maturãtibus, & alijs multis quæ
calidorũ ope fiunt, vtamur. Quid quod flãmam
promptè concipit adeps, ſymbolo quodam in-
ter hunc & ignẽ, vt eſt veriſimile? Propterea e-
tiam partibus noſtri corporis circunfuſa caloré
ſuauiſſimè fouet. Galenus quoque ἐπιπλόὸν v- Lib.4.de vſu part.
ſum docens, idem explicauit, inquiens: Quod
quidem pinguedo res calida ſit, cognoſcit & i- »
pſe ſenſus vtentium ea velut oleo. Indicat non »
minùs & hoc, facilis eius in flãmam conuerſio, »
tanquã ad flãmæ naturã proximè accedat. Nul- »
lum enim frigidũ promptè cõburitur. Et pau- »
lò poſt: Quod autẽ calefaciendi gratiâ factum »
ſit ἔγκαυλον, euidenter eſt diſcere in illis in qui- »
bus vulneratũ habentibus ἐπίφραγμον, excidit o- »
mentũ per vulnus, deinde liuidũ factũ ad neceſ »
ſicatem ablationis læſæ partis impellit medicos, »
&c. Igitur calida eſt pinguedo, idq; inſigniter,
quum ex multũ calida materia gignatur: ſiqui-
dem verũ eſt quod ſcribit Galenus, eorũ quę in Lib.1.de tempe.
corporibus noſtris cõtinentur, ſanguinẽ calidiſ Lib.2.de temp.
ſimũ eſſe. Reſpondebis, apud eundem alio in

Universidad de Deusto
Biblioteca

loco bilem omnium calidissimã dici: aſt eo argũ mento nõ euertes propoſitionẽ quã aſſero, ex materia omniũ maximè calida fieri pinguedinẽ, quũ (vt ſupra docuimus) adipis & bilis flauæ materies haud ſit diſſimilis. Imò verò ſanguine calidiorẽ eſſe adipẽ, probãt effectus: ſiquidem è corpore ſeiunctus adeps, ſpecimen omne caliditatis præbet, in corpore verò fouet calorẽ. At ſanguis, vbi primùm venis excidit, celerrimè (vt aqueus eſt) refrigeratur, & ne ſcintillã quidem caliditatis repræſentat, cõſtringit enim exſiccat & frigus inducit, cum eo pro medicamento vti mur. Quãdiu autẽ in viuẽtis corporis venis eſt ab alio cõceſſus ſanguini calor, arteriarum vicinià, & ſpiritus vitalis continuò influentis ope rà, conſeruatur. Atque tunc calidior ſanè quam adeps percipitur, quia nullæ adipi inſeruiunt arteriæ caloris fomites: ipſe tamen ſibi inſitam caliditatem pertinaciſſimè retinens, etiandum è corpore extractus calidior ſentitur. Igitur ex calido genita, non parum calida eſt pinguedo. Idem comprobat efficientis adipem cauſę natura & conditio: vt de hac interim aliquid dicamus, & ſenſim eò deſcendat oratio, quò nobis tandem peruenire propoſuimus: nempe ad eã concluſionem quæ docet vi caloris, non frigoris, cogi pinguedinem. Nam ex re calida, caloris ope fit, & ipſa calida eſt, caloriſque fouendi gratia animalibus conceſſa. Porrò de cauſa pinguedinem generante hoc ſcire conuenit, Ariſto-

Ariſtoteli calidam eſſe, & talem quæ ſuæ caliditatis veſtigia in re à ſe facta relinquat. Id docet eorum exemplo quæ vruntur, & ἐμπύρευμα relinquunt. Et ſanè veriſimile eſt, ex eo quod adipem facit, qualitatem in rem genitam inſculpi: nam etiam ſanguis tunc cùm fit ſuum calorem accipit, non ex ſeſe habet. Ad hæc, quæcunque calida ſunt, à calido, non à frigido proceſſiſſe videntur: vt omnia efficientis ſuæ cauſæ naturam redolent. Vnde maximè miror Galenum dixiſſe, calidam eſſe adipem, tamen à frigore oꝛ ſum ducere. Ex ſanguine puriſſimo & elaboratiſſimo fieri pinguedinẽ non ſolum ſæpius dixit Ariſtoteles, ſed & eius generationis modum elegantiſſimè explicauit. Vult autem ipſam concoctione abſolui, vt dum inquit: Finis probæ cõ coctionis ſanguinæ adeps eſt, & ſeuum. Et alio in loco: Sanguinis per ſe concoctio, ſeuum & adeps eſt. Rurſus: vtrunque eorum ſanguis eſt per bonitatem enutriendi. Et alibi: Fit per concoctionem ex ſanie ſanguis, ex ſanguine adeps. Item Humor prætenuis tandem concoctus, pingue effici ſolet. Atqui concoctionem nunquam frigore perfici, norunt omnes. id opus eſt caloris innati. Igitur pinguedinis efficiens cauſa non erit frigida, vt vulgus medicorum hactenus recapit. Hoc rationibus multis, Ariſtotelis verum dogma confirmantibus, oſtendere licet. Primùm, à frigido nihil præter eruditatem in corporibus animalium fieri, medici omnes vno ore fatentur, qui ſingulas actiones calori

Lib. 4. de vſu part.

Lib. 3. de part. anim. cap. 9.

Lib 2. de part. anim. cap. 6.

Lib. 2. de part. anim. cap. 5.

Lib. 3. de hiſt. anim. cap. 19.

Probl. 3. lib. 10.

Universidad de Deusto
Biblioteca

natiuo acceptas referri volunt. Vnde fit, vt seniores, & quicunque alij temperamento frigidi sunt (seu naturâ, seu ex accidẽti tales fuerint) non adipem, sed pituitam multam coãceruẽt. Nam quum improbè concoquant, macilenti tenuésque euadunt: nec adipem generãt, quòd ea sit concocti sanguinis perfectio quædam, vt ex Aristotele docuimus. Præterea, cerebri menynges nullus circũfundit adeps, vt rarus quoque est circa membranas quæ ossa conuestiunt: & in vniuersum siccissima quæque & frigidissima loca pinguedinis expertia sunt. Quid quod tanta non est in viuenti corpore frigiditas, quæ possit materias congelare, vt illi loquũtur? Nam calor totum occupat, & vndequaque permeat, vt nulla sit, vel densissima pars, quæ laboret eius inopia. Quid esse frigidius est̃at quandiu viuũt animalia, eorum ossa tangentibus tepida sentiuntur, idque natiui caloris per ea diffusi operâ, nec non calidarum partium vicinià & adhæsione. Nulla enim pars est tactui frigida, dum in viuis est animal, licet exanguis & ex natiuo temperamento frigida vocetur. Propterea cautè ad modum Galenus ἀναιμάτων κρᾶσιν examinans, ad materiam & compositionem, potiùs quàm ad tactus iudicium, mentem adhibet. Ergo cùm nihil sit in animalium corporibus secundum naturam actu frigidum, qui non verentur contendere pinguedinem frigore concreuisse, & à frigidâ causâ produci? Dicunt frigidis & exanguibus membranis, non calidioribus particulis, adnasci

Lib. 1. de temp.

adnasci pinguedinem. Eam quidem fateor nulli vsquam parti adhærere, nisi ad ipsius membranam. Nam & quæ inter musculorum pulpas offenditur, earum pelliculis affusa videtur, non carnis synceræ substantiam occupat. Ast eo argumento nõ cõcludunt adipem frigore cogi, uedum gigni. Siquidem ventriculus, quamuis exanguis membranéusque, & propriâ temperie frigidior (vt eius generis omnia) videatur, ciborum tamen vel maximè durorum concoctionem ipse perficit, quod non nisi caloris munere fieri potest. Num dicemus à frigore cõcoqui alimẽta, propterea quod neruosus & frigidior est stomachus? Nõ opinor, quũ is à vicinis partib⁹, hepate, liene, omentóq; superiacẽtibus, substratis verò arteria magna, & vena caua, tã benè foueatur, vt calore multũ polleat, ingestamq; materiã axactè cõficiat. Magis mirũ est quod vesica vrinaria, tanè vẽtriculo frigidior, lapides gignat durissimos. Id enim nõ effícit qua valet frigiditate: neque calculus conglaciatus dici debet: imò verò eximij & penè adurentis caloris, pituitam adaissantis, & in calculum indurantis, opus esse videtur. Tam magnum verò calorem opinor ex partium vesicę proximarum vicinia suscitari. Eadem ratione asserimus, membranas omnes, quamuis exangues, non frigidas, sed calidas esse viuentibus, nimirum calore hinc inde mutuato. Sic calidis pinguedinem adnasci obseruamus. Frigidioribus enim tunicis, quæ ossa integunt Græcis (περιόστια dicuntur) adipem non innasci,

Paradoxo. 7. dec. 2. cõtrariã huic propositionem defendo: nempè spermatica mẽbra sanguinea esse calidiora.

Hic communẽ scholę sententiam retinere placuit.

Universidad de Deusto
Biblioteca

nasci, paulò ante docuimus. Calidiores sunt musculorum & viscerum χιτῶνες, vtpote à subiectis partibus calefacti, atque ijs copiosa accrescit pinguitudo. Igitur non est frigiditati tribuenda adipis generatio, ex eo quod circa membranas natura frigidas accumuletur. Adde quod membris seu partibus calidissimis adnascitur, vt in ventre inferiori, (ὑπογάστριον propriè vocat) vbi plurimus est calor ad ciborum confectionē. Ea enim regio est veluti corporis totius culina. Plures venas & arterias quàm omentum nulla pars habet. Nam totum est ijs ad retis formam (vnde vulgo reticuli nomen) intertextum. Sunt verò arteriæ & venæ, si tangas, multum calidæ, à materia quam continent. Atqui in epiploo pinguedinē non auersantur, quinimo ea obruuntur, si valde obesum fuerit animal. (nam totū est adiposum pinguescentibus, & sebosis sebalē, vt scripsit Aristoteles.) etsi cæcutiens Galenus dicat, circa venas & arterias pinguedinem non concrescere. Porrò, etiam iecur, quod eidem Galeno secundum cor censetur pars calidissima, plærunque multa pinguedine obductum est: imò in quibusdam animalibus totum est adipeum; vt inter aquatilia cartilagineis, quorum iōcinoribus colliquatis oleum facimus, inquit Aristoteles. Renibus paulò minor quam hepati calor esse videtur, quum arenulas & lapillos gignere possint, quod est vehementis caloris opificium. At verò circa renes potissimum adeps colligitur. Renes etenim (vt scribit Aristoteles

Lib. 3. de histo. anim. cap. 17.

Lib. 1. de tempe.

Lib. 3. de histo. anim. cap. 17.

Ibidem.

ex viscoribus maximè pinguescunt, & quæ animalia sebo pinguescunt, magis quàm quæ adipe, in renibus opimandis luxuriant, ac omnium precipuè oues. Et alio in loco: Pinguius renes ambit quàm reliqua viscera. Id satis confirmat experientiâ, quum benè saginatis pecudibus renes toti pinguedine integantur. Sed quid si cor ipsum, partem omnium calidissimam & caloris fontem, adipe non carere mōstrauero? Cor, præter περικάρδιον, tunicam habet peculiarem, illi membranæ prorsùs correspondentem, quæ musculorum ventribus pertinaciter obnascitur. Huic (præsertim in hominibus) ad basin, durioris adipis copia accrescit. aliquādo & per reliquam Cordis superficiem ad mucronem vsque, secundum venarum & arteriarum digressum, vt inspectio docet. At id neutiquam accideret, si adeps frigore nasceretur. Dicunt naturæ prouidentiâ factum, vt cordi pinguedo accresceret, quò nimia eius exsiccatio prohiberetur. Verùm hoc videtur ridiculum: nam aduersus proprias leges Natura nihil aggreditur aut tentat. Præterea, quacunque occasione id fiat, parum nostra interest, modo ex re ipsa colligamus, Naturâ opifice adipem gigni in partibus corporis calidioribus: quod sanè arguit, non esse frigori referendum acceptum. Eadem ratione improbandi videntur, qui manum extremam & pedem quoque naturæ prouidentia non habere pinguedinem asserunt, quamuis frigidiores sint partes: quod

Lib. 3. de part. anim. cap. 19.

carum,

Universidad de Deusto
Biblioteca

carum actionibus nocitura esset crassitudo. Nã quid Naturæ prudentiam absolutè proponere opus est, cùm euidenter repugnent adipis generationi talium membrorum temperies & compositio? Quod enim frigidiora sint, ob id macilenta magis euadunt. Et quia non grandiora vasa, quæ multum sanguinis habent, sed venulæ tantum ad illas perueniunt, non plus alimenti suggeritur quàm quod illis debetur ex necessitate. Nam quæ in medijs sunt spatijs, quia humoris copia fruuntur, benigni quoque superflui plurimum colligere possunt. Hoc modo Naturæ prouidentiam contemplari atque admirari decet, quod partes quibus nocuisset crassities ita formauerit, vt pinguedini coaceruandę forent ineptissimæ. Porrò (inquies) vulgo graciles apparent qui valdè calido sunt temperamento, & (vt Galenus scribit) venas habent conspicuas, multique sanguinis capaces. Huic dubio facilè est respondere, desumpta ex physices principijs propositione, quæ docet agentis ad patiens requiri certam proportionem, in qua est aptitudo. Atqui pinguedinis causa efficiens, agentis nomen obtinet, & materia patientis. Illa calor est natiuus, vt cœpimus probare: hæc verò sanguis tenuior, pinguis, & halituosus. Iã sic arguere licet: Languidior corporis calor, quia deest humoris cóueniẽtis copia, nullum creat adipẽ: quod senũ exemplo cõfirmauimus. Si nimius calor est, omnem, pinguedinis, materiã, tenuẽ. aëreã, oleosam, & suauem ipse depascitur, Tẽperatus

Lib. 2. de temp.

tus calor materiã nõ absumit, & pingui gignẽdo sufficiens est. Hoc demõstrat labor, cùm vix crassescant ij qui se improbo labore nimium torquent, etsi multo, eoque dulci, sanguine abundent. Nam acris est eorum caliditas. Proinde quum otium nanciscuntur, facilè pinguescunt. Ea ratione visum est Aristoteli, ventrem (non alia membra) exercitatione extenuari, quia ventèr pinguis admodum esse solet: exercitiũ verò adipis materiam dissipat. Carnem verò nulla tenus minuit exercitatio, imò potius auget: quia labor concalefacit, ex calore autem qui adipem liquat, caro nihil patitur. Neque enim tam tenuis substãtiæ est atque pinguedo, quam vel dudum genitam destruere potest excitata à labore vehementi caliditas. Quantò facilius nouam fieri non sinet? Ergo, quemadmodum æstuantẽ ventriculũ ructus non excitare dicimus, quia quos gignit flatus & attollit, eosdem mox dissipat: sic ingens & acrior caliditas adipis quidem materiam trahit & præparat, sed confestim etiam absumit. Contrà, otio torpentes obesi euadunt nõ ædepol quòd eo vitæ instituto frigidum corpus reddatur, sed quòd à suæ temperiei modo non recedat calor innatus, quem voraciorem efficit labor. Atque ita dum supperit materia, multa fit pinguedo. Hinc fit vt mulieres & monachi magna ex parte otiosi, calorem habeant mitem & iucundum: & dummodo lautè epulentur, ventre prominentes ac crassissimi fiunt. In multo enim & non illaudato sanguine, plurimum est illius

Probl. 3. lib. 5.

Probl. 4.

Universidad de Deusto
Biblioteca

illius benigni & elaborati superflui, quod ad adipis & spermatis generationem indifferens est. Id verò non absorbet, sed perficit temperatissimus calor, quique nullo vehementi corporis motu exardescit. Cæterùm, non ratione frigiditatis, sed magis calore moderato per quietem aceruari pinguedinem, hinc discas licet, quod naturâ graciles, bilioſi, & calidissimi, aliquando cessantes à laboribus pinguescant. Hi nõ frigidi, sed potiùs temperati censeri debent, cùm sui caloris feruorem & acrimoniã deposuerint. Præterea, humidiores euadũt: & materia quam labor exhaurire solebat, in adipis generationem seruatur. Ea fuit Galeni sententia, qui asserit, naturâ calidioribus otiosam & delicatã vitam expertis, temperiem ad humidius cõuerti, vnde fit pinguedo. Non enim dicit reddi frigidiores, sed tantum humidos, quod est notatu dignissimum. His conuenit etiam, quod in partibus nostri corporis obseruamus, nimirum eas quæ magis exercentur, (vt brachia, manus, crura, pedes) minùs pingues esse: ventrem verò inferiorem (etsi multò prædictis calidior est) multùm impinguari. Id illi accidit ex quiete, & copiosi alimenti abundantia, vt rectè monuit Aristoteles, inquiens: Plurima pars animalium ventre pinguescit, & præcipuè quę parum se moueant. Et alio in loco: Motus pinguedini contrarius est liquat enim pinguedinem & absumit. Rursus: Quibus venter calidus est, quiete immotoneque pinguescunt. Et in problematis:

Lib. 2. de temp.

Lib. 3. de hist. anim. ca. 17.

Lib. 3. de hist. anim. calp. 9.

tis: Venter celerrimè opimatur, & pingue aliquid semper obtinet, nisi morbo laboret: quòd cibo ex vicino positus est. Et paulò post: Sedile ventrem opimat, reliquum verò extenuat. motiones autem perfrictionésque ventrem extenuãt, reliquum corpus augent. Et alio in loco: Venter opimus admodum esse solet, quia cibo propinquus est: dũque cætera membra ex ventre hauriunt, venter ipse sibi sæpius ingerit. Præterea, venter non laborat: flexibus enim hic nullis contorquetur. Ex his manifestum esse arbitror, quietem nihil aliud quàm caloris qualitatem posse moderari, multumque materiei gignendæ pinguedinis aptæ, asseruare. Nam & sues (quos animalium omnium calidissimos esse scribit Aristoteles) ferè tantum ob inertiam pinguedinis molem quàm maximam congerunt. Igitur moderatus adeps, corporis absolutè frigidi, quodque medij temperamenti termi nos præteriit, nota nõ est, sed potius temperati & benè habiti. Ideoque pingues moribus sunt magis compositi, hilares, & humaniores, vitaque salubriore fruuntur, & ad omnes actiones dexterè se habent. Contrà, qui sunt ex caliditate & siccitate graciles, magna ex parte deteriores habentur, animi affectibus malis obnoxij, nisi hos philosophia emendet. Immodicè crassos parum diu viuere dixit Hippocrates, scilicet quia spiritus & sanguinis vasa, nimia mole superposita comprimuntur, vt suo loco dicemus. Moderatè pingues omnium diutissimè vi

Probl. 14. lib. 5.

Lib. 5. Probl. 5.

Probl. 23. lib. 10.

Aph. 44. lib. 2.

Probl. 7.

Universidad de Deusto
Biblioteca

tam trahūt, quia sunt omnium humidissimi (iucunda & vtili humiditate) atque moderatè calidi. Vitā enim in calido & humido philosophi omnes præcipuè consistere dixerunt. Galenus hanc ferè quæstionem tractat, & priscorum de hac re sententias proponit, inquiens: In sanis & bene nutritis corporibus, multa prouenit pinguitudo, quæ ne insanus quidē frigida dixerit. Talia enim fieri robustâ naturâ, quàm omnes philsophi naturales calidam rem esse fatentur. Et paulò post: Nōnulli circa particularia exempla, vniuersāli inter sese ratione contendunt, partim pinguem in nobis succū prouenire nō posse, nisi probè à natura cibi conficiantur, assentes: partim in cibis quidem contineri confitentes, à nostro tamen calore consumi velut à flamma oleum, & vbi infirmior est redditus, in corpore aceruari. Hæc sunt quæ Galenus ex aliorum sententia profert, nostræ opinioni feliciter conuenientia. Alia his prorsus contraria etiam narrat, quibus ad calcem nostræ enarrationis respōdebimus. Doctrinæ ordo requirit, vt iam doceamus, qua ratione pinguedo membraneis & exāguibus particulis semper adnascatur, & quis sit illius gignendæ modus. Nam ex larga humiditate, atque adeò sanguinis laudatissimi copia suppetente, à valido (nō tamen vrente & absumente, sed qui tantùm extrahat & cogat materiā) calore, fieri pinguedinem, quod erat propositum, abundè monstrauimus.

Lib. 1. de simpl. medic. cap. 20.

Lib. 2. de temp.

Galenus adipis formationem suo modo factam

factam, his verbis describit: Quicquid in sanguine pingue, leue, & tenue est, id in calidioribus corporibus alimentum quoddam calido fit: in frigidioribus seruatur, quumque id venæ extra se transmiserint, vbi in frigidas particulas incidit (quod genus membranæ sunt) in ijs concrescit. In partibus verò natura calidioribus, cuius modi sunt carnosæ, à calore ipso absumitur ac digeritur: nisi ficubi frigiditati temperamenti etiam vita indulgentior accedens, ipsis carnosis particulis adipis aliquid allinat, &c. Ab hac Galeni opinione (cui vulgus medicorum assentitur) non tam libenter discedo, quàm miror ipsum & in veterum scriptis examinandis diligentissimè, & in veri indagatione exercitatissimū, Aristotelis philosophorū omniū principis, de adipis generatione sententiam neglexisse. Nam si non placebat opinio, attamen disputatione indigna minimè censenda fuit, quæ tantum autorem haberet. Eam nos studiosè examinandam, non refellendam censemus. Galeno verò arguenda fuit, vt suam firmiùs stabiliret. Membranarum solam densitatem, non frigiditatem, causatur Aristoteles, dum adipis procreationem explicat. Inquit enim de omento verba faciens: Propter membranæ densitatem, quod sanguinei alimenti transmissum colatumque est, id pingue esse necesse est. Tenuissimum enim hoc est, & calore loci istius concoctum, pro carnosa & sanguinea coagmentatione, in seuum & adipem euadere necesse est. Digna tan

Lib. 3. de part. animal. cap. 3.

Universidad de Deusto
Biblioteca

tanto ὑπὸ τῆς φυσικῆς imperatore oratio: qua docet euidentissimè, sanguinis portionem tenuissimã & aëreã, leuémque & oleosam (quibus epithetis ipsemet Galenus adipis materiem donat) in vaporem sublatam vi caloris modici, per carnẽ transfundi atque colari. Hãc enim, quia rarior est, facilè permeat: neque à motu cessat, donec pars offendatur, quæ sui densitate vapori sanguineo penetrationem deneget. Talis est membranosa particula, qua nihil compactius densiúsve in corporibus reperias, vel autore Galeno, vbi τῶν ὑπιπλόων compositionem describit. Nullam siquidem esse in animali partem epiploo densiorem simul & leuiorem, affirmat. Ad membranas igitur tandem coërcitus & quiescens vapor is oleosus ac pinguior, retinetur. Hunc calor multus comitatur, quia duo calores in vnum conueniunt: quorum alter est materiæ ex sanguine detractæ insitus, alter verò influens, cui præcipuum opus debetur. Membranis occurrens sufficienter calida materies, comprimitur, quod nulla ex parte diffluere possit. Nam hinc obsistit membranæ firma densitas, quæ calorem per ἀντιπερίστασιν ingeminat: illinc vaporis continuo excitati copia vrget, trudit, & impellit. Collectam compressamque materiam, calor ille validior concoquens densat amplius (vt in crassando fieri omnem concoctionem volunt) firmat, immotam & compactam reddit. Ea tunc albescit, ex partium naturâ quibus adhæret atque adnascitur, non quia

Lib. 4. de vsu part.

quia est aërea, vt quidam putarunt. Huiusmodi censeo esse philosophi verissimè explicatam opinionem de adipis gignendi modo. Ego verò adipem nuncupo substantiam tenuissimã & candidam, vel fluuam, in sese coactam vi caloris idque nullo fibrarum propriarum substentaculo, quibus eget caro. Ob id nunquam præ siccitate in tantam cogitur duritiem, vt aliquando non possit vi caloris ignei dissolutus fluere. Huius etenim substantia calidiorũ & tenuium elementorum portionem plurimam habet: carnis verò moles maxima ex parte aquâ & terrâ constituitur. Porrò, eo modo genitam pinguedinem, glaciatum humorem dicere, non minus falsum est quàm ineptum. Ex antiquioribus medicis, quorum methodos in inueniendis medicamentorum facultatibus Galenus examinat, nonnulli oleum ipsum congelari negabant, sed duntaxat veluti consistere & incrassari dicebant, quia crassum & viscosum est, non quia frigidum. Eius verba græca apponam, vt exactius incrassationis & cõgelationis differentia obseruetur. Ἀλλὰ καὶ περὶ τὸ πήγνυσθαι ταχὺ τὸ ἔλαιον, ὅπερ ἐδόκει τοῖς ψυχρὸν ἀποφαίνουσιν αὐτὸ, τὸ μὲν σφοδρῶς πήγνυσθαι καθάπερ τὸ ὕδωρ, ἀντιπρατάττουσιν οἱ θερμὸν ὑπάρχειν αὐτὸ φάσκοντες. δεῖ γὰρ δὴ πᾶσιν εἶναι τὸ γινόμενον ἐπ' αὐτῷ φασὶν, ἀνακριβῶς ἐξετάζοντες. ἀλλ' εἴσονται σύγχασίν τινα μὴ παχύνουσιν. καὶ γίγνεσθαι τοῦτο λέγουσιν, ὅτι παχὺ καὶ γλίσχρον ἐστὶν, οὐχ ὅτι ψυχρόν. Hoc est: Ad celerem olei congelationẽ, quod visum est ijs qui frigidum illud statuunt,

Lib. 2. de simpl. medic. cap. 20.

Quid inter sit inter τὸ παχύνεσθαι καὶ πήγνυσθαι. vide Aristote. lib. de mixt. aff.

Universidad de Deusto
Biblioteca

« alij calidum esse professi contra opponunt, non « valide congelari instar aquæ. Neque verò con- « gelationem esse quod oleo accidit fatentur, si « quis exactè rem examinet: sed veluti coagmen- « tum & crassitudinem. Atque id fieri dicunt, « quia crassum est & viscosum, non quia frigidũ. Ego huic opinioni facilè assentior: quin & au- dentius multò, pinguedinem (oleo sanè crassio rem) non congelari, sed duntaxat concrescere affirmo: eamque fieri concretionem intelligo, quæ propriè dicatur conglutinatio. Coagmen- tatur enim & cogitur circa membranas, quum que multa elaboratione facta crassescit am- plius, eam consistentiam acquirit, quę multis in locis ad carnis soliditatem proximè accedat. Caro tamen propriè & perpetuò fit ex terrea magis portione sanguinis: vnde accidit vt nul- lo igne possit liquescere. Dum igitur sangui- nis vapor oleagineus (qui adipis materia est proxima) per carnis rariorem substãtiam trans- fusus, à carne ipsa non absumitur, sed ad par- tes longè densissimas tandem sistitur, atque ibi concoquitur, pinguedo fit. Eam fuisse Aristote- lis sententiam, facilè est intelligere, quum de

Lib. 2. de part. animal. cap. 5.

« sevo & adipe loquutus, dicat: Vtrunque sanguis « concoctus est per bonitatem enutriendi: consi « stitque ex eo quòd in pulpa quidem animalis « non assumatur, sed concoctionis alimentique « bonitate præditum est. Cæterùm, non tantum leuitatis, tenuitatis, & aëreæ conditionis, sed e- tiam crassitudinis, atque lentoris participem esse

esse debere pinguedinis materiam, hinc facilè coniicias, quod si ista deessent, nulla membra- narum densitate coërceretur. Tenues enim spiritus atque exhallationes, quaquauersum permeant corpus, vt totum est ἄσαρκον καὶ ἔκ- πνουν, quod dicere solebat Hippocrates. Hinc fit vt fumi & vapores conspicui sint, dum quis plus iusto fuerit exercitatus. Nihil dico de sudoribus, qui tamen longè crassiores quàm fuligo, ad cutem vsque & vlterius penetrant. Sola verò membranarum densitate, non etiam frigore cogi & velut coagulari pinguedinem, satis superque monstratum est, quum tunicas omnium corporis partium maximè densas es- se, Galeni autoritate confirmauerimus: & in viuentibus membranea exãguiaque nusquam calore destitui. Quod exemplo ventriculi cibos difficillimos coquentis, & vesicæ pitui- tam in lapillos indurantis, demonstrauimus. Ast faxo vt mox lubentius in nostram omnes descendant opinionem, vbi quæ pauca super- sunt addidero.

Densitatem causam esse qua deficiente non fieret pinguedo, id abundè testatur, quod ad cutem soleat copiosior acumulari: scilicet quæ portio sui tenuitate rariores alias tunicas præ- teriit, hîc tandem effugere non potest, quin à spissiore cute retineatur. Idcircò animalia quæ corium habent densissimum, vt ex terre- stribus sues, & ex aquatilibus delphini, plu-

Universidad de Deusto
Biblioteca

timum adipis gignũt. Per hyemen quoque omnia magis pinguescunt, nõ alia ratione, quàm quia fit maior cutis densatio à circunstante frigore, quod illã cogit & cõstipat, neque sinit vel portiunculã eius suauissimi & oleaginei vaporis ex quo gignitur adeps, effluere. Adde quod brumæ tempore animalium corpora alimẽtari humiditate abundant, ex copia ciborum quam requirit maior appetẽtia, & calor multus (somni

Aph. 15. lib. 1. Jõgioris fauore, vt de Hippocratis sentẽtia Galenus docet) cõficit. Neque est quod aliquis efficientẽ pinguedinis causam frigidã esse hinc probet, quia per hyemẽ (vt diximus) accrescit. Nam internæ partes eò magis calent, quò amplius obtecta est frigore cutis, modo id viscera adire nequeat. Siquidẽ per ἀντιπερίστασιν calor ex sese augmentationem accipit, dum aliquid ei perpetuò effluenti opponitur. Proinde rectè Hippo-

Aph. 15. lib. 1. crates hyeme natura calidissimos ventres esse dixit, quo argumento iis satisfit, qui (vt refert Galenus) adipem frigidum esse contende-

Lib. 2 de simpl. medic. cap. 20. bant, eo quòd inter gentes vbi frigus superat, pingues proueniunt homines, vbi vero calor, graciles. Porrò earum quæ sola densitate, non etiam frigore, membranas ad pinguedinis generationem conuenire probant, potissima ratio est, quam superius explicaui, quum demonstrarem in animalibus quandiu viuunt nullam

Pag. 190. particolam frigidam esse. Quod si addidero, spermaticas partes cæteris calidiores esse suapte

apte natura (vt aliquando probare instituì) iam non erit quod membranarũ frigiditatem pinguedinis causam esse quis dicat. Densitas verò calori coniuncta, minimè inepta est ad faciẽdam concretionem, vt aliquis fortè putaret. Nã feruenti aquæ superpositum operculum, vaporem cogit, & in aquam per concretionem trãsmutat, non solum quandiu frigidius est, sed & abundè calefactum, atque iam adurens. Vnde colligas, non tam frigore, quàm corporis oppositi soliditate vapores firmari & concrescere. Idem monstrat alambicum: nam licet capitellũ euadat calidissimum, non tamen cessant in aquam verti vapores, dum vlterius ferri nequeunt, & acerbati inspissatique crassescunt. Fateor quidem frigidum operculum hehementius repercutere: & hoc multum efficere ad fluidi corporis concretionẽ: (propterea sæpius frigidâ irrorãt distillatoriorũ valorum verticẽ, vt melius fumi coagmententur) ast nego præcipuũ in eo opere censeri debere. Densi etenim propriè est densare, frigidi autem ex sese refrigerare, per accidens verò etiam inspissare, quum dissipationẽ fieri prohibeat. Desinant igitur pinguedinis generationem ad membranarum frigiditatem absurdè referre, quum neque frigido sit opus ad illius concretionem, neque membranæ frigeãt: adeps verò calidissimis quibusque partibus adnascatur, circa earum tunicas. Præterea, calidus ipse est, primùm ex calida materia, deinde etiam ab efficiente calido. quo fit vt caliditatis insig-

Universidad de Deusto
Biblioteca

nes notas, vel corpore extractus, proferat. Corpori verò adhuc hærens, manifestè calefacit. Id iam demonstrare propero, vt declarem proctea tæ in animalibus pinguedinis vsum: quæ est finalis causæ explicatio.

Naturam nihil, ne pilum quidem, frustra facere, ab omnibus philosophantibus receptum audimus. Nec non rem eandem varijs inseruire ministerijs: & quod materiæ necessitate producitur, id in meliorem vsum statim à natura conuerti. Hæc omnia adeò perspicuè monstrat corporum dissectio (ἀνατομὴν vocant) vt nil nisi mirari, & summis laudibus naturæ prouidentiam extollere, nobis relinquatur. Adipem ex benigno alimenti superfluo genitum, calori natiuo multum opitulari, docet Aristoteles, cùm inquit: Pingue omne calidum est: calor autem cõcoquit. renes his de causis pingui operiuntur. Et alibi. Natura omento abutitur ad cibi meliorem concoctionem, vt facilius celeriúsque ei-
bus concoquatur. Calor enim vim habet con-
coquendi: pingue autem calidum est, & omentum pingue est. Eadem fuit Galeni opinio de Omento, quod naturam ventriculo & intestinis tetendisse refert, vt illorum calorem suauissimè foueret. Calefacit verò pinguedo (ni fallor) duplici nomine: primo, qua ratione calidus est naturâ: secundo, qua viscosus & crassus frigori penetrabili meatus occludens. Sic narrat Galenus, aliquos olei caliditatem probare ex eo quod inunctos à frigore tueatur, vel quia innato calore calefacit, vel quia lentore & crassitudine instar vestimenti atque muniméti frigus arcet. His vulgus assentitur, quum pinguedinem optimam vestem aduersus frigora vocat. Ex dictis concludere licet, omnibus ritè examinatis, adipem frigidum non esse, nec à frigore in animalium corporibus concrescere. Eius materia est, sanguinis pars tenuior calidiórque: efficiens causa, natiuus calor præpotens: finis cui dicatur, est membrorum calefactio. Porrò, ipsum calidum esse, nemo inficiabitur, quum & facilè accendatur, & insitâ leuitate aquæ supernatet, atque omnibus probationum modis aëreum igneúmque sese exhibeat. Sed quî respõdebimus vrgenti illi argumento quod ex physicis adferunt: quicquid soluitur calore, frigore concretum fuerat? Nemo nescit pinguedinem ad Solem & ignem colliquari. quomodo hanc non congelarat frigiditas? Dubium hoc, cum plærisque alijs quæ ex nostra enarratione suboriri possunt, præstat seorsim per quædam ἀποφθέγματα accuratiùs explicare. Nam simul veram opinionem docere, & varijs obiectionibus respondere, confusæ doctrinæ opus esse videtur. Iam igitur quod supereſt per quæstiones discutere aggrediamur.

Lib. 3. de part. anim. cap. 9.

Lib. 4. de part. anim. cap 3.

Lib. 4. de vsu part.

Lib. 2. de simpl. medic. cap 20.

ΑΠΟΦΘΕΓΜΑΤΑ.

1. Quomodo non fit adeps frigoris vi, quum igneo calore soluatur, si vera est omnium maximè

Universidad de Deusto
Biblioteca

ximè trita vulgataque propositio hæc, Quæcunque à calido soluuntur, frigore concreuerant? An multa videmus igne liquescere, quæ nefas est dicere congelata fuisse, aut ex frigiditate aliquando coaluisse. Exemplo esse possunt metalla, aurum, argentum, æs, plumbum, & cætera quæ vehemens calor dissoluit, ea verò siccitate atque crassitie, potius quàm frigore, prius fuerant indurata. Ob id etiam non nisi acerrimo igni horum nonnulla cedunt. & sanè eorum cõsistentia longè densior est, quàm quæ frigus cõcrescere facit. Sed neque omnia frigore concrescere, quæ prius liquida fuerunt, sal indicat. Ex calido enim & sicco (vt docet Aristo.) id cogitur, soluitur autem frigido humidoque. Igitur, quum concreta omnia, frigore concreta non sint, multa soluere potest caliditas, quæ frigus minimè concreuerat. Id quidem lubenter admitto, quod & verisimile esse videtur, quicquid frigore coalescit, à calore (vt suo contrario) fugi di. Nam & crystallum caloris impatiens est eadẽ ratione, si Plinio credimus, dum inquit: Crystallum fit gelu vehementiore concreto. Non alibi certè reperitur, quàm vbi maximè hybernæ niues rigent: glaciemque esse certum est, vnde & nomen Græci dedere. Et paulò post: Cæleſti humore paruaque niue id fieri necesse est: ideo caloris impatiens, nisi in frigido potu abdicatur. Si hoc non placet responsum, aliud in promptu est, eiusmodi. Prædictum axioma in ijs verũ esse recipimus, quæ natura liquida sunt, aut aliquan

Id magis est verisimile, quàm quod ex aliorum sententia scribit Galenus, lib. 9. simpl. cap. 2. talia nõ terræ, sed aquæ plus continere. Lib. 4. meteor.

Li. 37. cap.

quando fusa fuere, nunc fluere cessant. Ast in nostris corporibus nunquam hoc secundum naturam passa est pinguedo: neque proxima eius materia liquor dici potest. Remotior quidem adipis materies est sanguis fluens & liquidior: immediata verò, sanguinei vapores, crassi, oleosi & pingues. Hi tenues sunt & aërei, impropriè liquidi, si à liquore nomen deductum esse putes: nam aëris & aquæ mediam naturam obtinent. Cæterùm ex ijs cõponi adipem, non congelatis aut concretis frigore (sed multa & densa coagmentatione in spissatis, à calore materiã amplius cõcoquente & incrassante, in angustijs quæ sunt ad membranas) superius abũdè monstrauimus. Itaque non est quod in nos citatum axioma torqueant. Dictas rationes plærique non admittent, nisi tertiam quoque adferamus, qua in nostræ sententiæ fauorem, illorum propositionẽ interpretari videbimur: vnde agnoscant se perperam in nos tali argumento arguere. Vt igitur rem acu (quod aiunt) attingam, nos id iandudum Galenus admonuit, in disciplinis positiua pro comparatiuis vsurpari: quod etiam vulgaris loquendi consuetudo recepit. Siquidem magnum, paruum, album, & nigrum id dicimus, non solum quod exquisitè tale apparet, sed & quod alio eiusdem speciei maius, minus, candidius, aut nigrius est. Exempli gratia, dicimus granum hoc milij magnum esse, montem illum paruum, qui tamen milij grano comparatus longè maximus existit: At monti

Lib. 1. de dignoſt. pulſ. & lib. 1. de tempe.

Universidad de Deusto
Biblioteca

montibus alijs collatus minimus est, vt milium inter sui generis grana maximum. Sic calidum sæpe vocamus, quod minus caloris quàm frigoris habet, verùm alterò calidius est: & contra frigidum esse dicimus, quod absolutè non est huiusmodi Nam virum fœminâ in vniuersum calidiorem esse constat: nihilominus tamen illum nonnunquam frigidum, hanc calidam esse pronontiamus. Eodem modo (opinor) dicere licebit, quum natiuus calor (qui adipis verè efficiés causa est) temperatus sit, igneo calori qui adipé euidenter liquat & dissoluit, comparatus, frigiditas esse videtur. Siquidem igneus calor acerrimus est, excessumque obtinet: natiua autem animalium caliditas mitis est, temperata, mollis, & cùm igneo calori confertur adeò remissa, vt nulla appareat. Proinde rationi consonum est, pinguedinem ab igneo feruore, vt à suæ causæ contrario, dissolui: nam mediocris ad excellentem comparatus, contrarij naturam sapit: & insitus animalium calor, ignis collatione frigus est. Si igitur eo genere loquendi vtare, verissimū erit quod calore dissoluitur (cuiusmodi est adeps) id priùs frigore coágmentatum fuisse. At si iustâ, & non fucatâ ratiocinatione vti velis, sermonis veritas in re eadem comprobanda venit: scilicet frigore concreuisse adipem in corporibus animalium, etiam ad innatum calorem spectantes fatebimur, si in eodem, & ab eodem secundum naturæ modum se habente, aliquando dissolui videatur. Atqui caliditatum quæ inuicem

uicem contrariæ sunt (cum alia naturalis, alia præter naturam esse dicatur) hæc adipem fundit, illa generat. Dices: labor exercitiúmve pinguedinem absumit, quod alia ratione non fit, quàm calore natiuo illum dissoluente. Et rursus: per febres ardentissimas adiposa excrementa deiicj videmus, quod ædepol non fieret (inquies) nisi animantium calori fundendi adipis vis adesset. His sic respondeo: Motus omnis vehementior insigniter calefacit: pingue verò cõcalefactum dissoluitur. dissoluti pars tenuior exhalat, crassior membris calefactis trahentibúsq; alimẽtum suppeditat. quod etiam per inediam fieri assolet. Per hanc siquidem corpus ad sui nutritionem collecto adipe abutitur. Verùm tantus ille calor, qui per labores adauctus videtur, non is est qui adipem fecerat. Proinde valdè laborioſi ac industrij homines magna ex parte graciles sunt. Ergo absurdum non est, quod alius (nempe mitis ac temperatus) calor fecit, id ab adaucto per exercitia, destrui. Hic tamen adhuc secundum naturam videri potest, etsi mediocritatis insitæ gradum excedat, & cõtrarij speciem sortiatur. Cæterùm, qui nimia defatigatione acrior sicciorque euasit calor, is mulrò euidentius quàm prædictus, natiuo aduersarius est. Sed omnium maximè iam factus igneus, quem febris essentiam continere Galenus putat. Febrem enim definit, calore natiuo in igneum conuerso. Eius verba sunt πυρέτὸς γένος, ἐκτροπὴ τῆς ἐμφύτου θερμασίας ἐπὶ τὸ πυρῶδες ἐξιν. *Lib. 1. de vict. acut. comm. 18.*

Universidad de Deusto
Biblioteca

ἐστὶν. Hippocrates verò πῦρ absolutè, τὸν μέγα πυρετὸν ὀνομάζειν ἐώθει. Itaque, si calor eoúsque præterijt mediocritatis suæ præscriptos fines, vt prorsùs contrarias omnes actiones edat, quis non dicet à diuersis caloribus adipem fieri, atque dissolui? Igitur, absolutè loquentes affirmabimus, pinguedinem ab insito calore gigni, nũquam ab eodem liquari. Frigore verò aliquando concretum fuisse, impropriè loquenti donabimus, vt integrum sit ex physicis citatum axioma: tunc autem frigoris nomine intelligemus, innatum calorem mitissimum, qui igneo, acri, & aduren ti collatus, verè frigus esse videtur.

II. Cur non multa pinguedo Cordi adnascitur si hanc gignit caliditas? An quia vehementior calor adipis materiam absorbet ac dissipat. Peri cardio siquidem nonnihil accrescit pinguedinis, quia densior est tunica, & in exterioribus iam mitior calor est.

III. Cur pueri viris obesiores non sunt, quum (vt scribit Hippocrates) multùm habeant calidi innati, & humidissimi quoque sint: quæ duo ad pinguedinis generationem præcipua nobis dicuntur? An quia nondum satis densæ sunt puerilium corporum mẽbranæ, nec vapores quaquauersum effluentes benè retinere valent. Rarum etenim & minimè compactum est puerorũ corpus. Vnde fit vt maximum propriæ substantiæ fluorem patiantur. An sistitur quidem benigna alimentorum superfluitas, sed tota in corpo

Aph.14. lib.1.

corporis auctionem absumitur. Ideirco enim cumprimum adolescere desierint, incrassari ac corpulentiores fieri incipiunt, deinde pinguescunt. Adeps siquidem (vt rectè docuit Aristoteles) omninò res propria naturæ non est, sed aduentitium. *Lib.15. probl.14.*

IIII. Quare mulieres in vniuersum viris pinguiores euadunt? Num quia frigidiores, vt scribit Galenus? minimè, sed quia humidiores. Mulieb ris enim calor mitis ac temperatus, ad pinguedinis generationem sufficiens est, imò verò propriè qualis in eo opere requiritur. Humiditatis autem copiam, tum ex natiua temperie, tum ex victu pleniore & otio (nã plurimum domi versantur) habent. Eadẽ ratione sues fiunt pinguissimi, dum pabuli vbertas conceditur: nam & natura humidissimi sunt, & innertes nihil aut parum laborant. Porrò quæ hyeme delitescunt animalia, non raro pinguescere, videntur. Id verò fit, quia somnus valdè humectat: per desidiã autem nihil absumitur: quibus accedit, ab ambiente frigore facta constipatio, quæ impedit effluuium. *Lib.2.de temp.*

V. Sed quare obesi magis quàm reliqui sunt steriles, tum viri, tum fœminæ? Num quia frigidi? minimè, sed potius quia parum seminis coacer uant, qui multum pinguedinis habent. Nã sperm matis & adipis eandem esse materiam, suprà ostendimus: atque hinc fit vt salaciores, veneriq ue nimium indulgentes, exũcci & graciles videantur. Idem probat castratio, quã in animalibus

o bus

Universidad de Deusto
Biblioteca

bus quæ volumus impinguari, moliuntur: dum enim testes è venis haurire desinunt pinguem (tenuẽ scilicet aereamque) materiã, tota in adipem cõuertitur, atque sic corpus optimè saginatum euadit. Ex frequẽtiore enim cõcubitu, non solum benigna superfluitas absumitur, verum etiam eius quod alendis partibus apprimè necessariũ esset, bona portio perit. Sterilitatis causa hęc vtrique sexui cõmunis est. aliæ sunt quæ viros peculiariter steriles reddunt, aliæ quæ fœminas concipere prohibent. In viris quidem aqualiculi moles eminentior penè reddit breuiorẽ, quique nõ possit ad vteri recessus semen eiaculari. In mulieribus verò omentũ crassius, (vesicã inter & vterũ descendens) conceptionis spem adimit, autore Hippocrate, qui ait: Quæcunque immodicè crassæ concipere nequeunt ijs ἐπίπλεον vteri os comprimit, & priusquã extenuentur nõ concipiunt. Eius rei exemplũ alio in loco profert, de Scythatum vxoribus, quibus vteri os præ pinguedine cõcluditur, vt nequeat semen susc ipere. Nimia pinguedo mulierũ fœcũditati obest, alia quoq; ratione, scilicet quòd multus sanguis in ea gignenda absumatur, nec sufficiat reliquus alendo cõceptui. Natura enim materno corpori nutriendo intenta, parũ habet superflui quod menstruas purgationes faciat, aut quod fœtũ aliquando educare possit. Idcircò Hippocrates Scythicas mulieres parum fœcundas esse dicebat, propterea quod Lunares purgationes eis non eueniant, quemadmodum

Aph. 46. lib. 5.

Lib. de aëre aqu. & region.

dum est necesse, sed minùs & intempestiuè. Idem tertiam quoque rationem adfert, huiusmodi: Lubricos præ nimia humiditate vteros (quia scilicet multa pinguedine perunc̃ti sunt) genitale semen nõ retinere. Sunt enim (inquit) » ociosæ & pingues, ventrésque earum frigidi & » molles. Huius rei ancillæ eius gentis indicium » exhibent: nam hæ viris misceri plurimùm gaudent, in vteróque conceptum continent, propter corporis frequens exercitiũ carnisque gracilitatem. Prædictis rationibus hanc possumus » addere, quod mulieribus adiposis vsq; adeò carnosus, & pinguis vterus esse possit, vt iustum spacium in locellis fœtui continendo non relinquatur, tunc enim præ loci angustia steriles euadunt. Præterea, venter prominentior non aliter mulieribus quàm viris, coïtum facilem impedire potest. Vnde Aëtius, ex prefatis causis aliquot recitãs, inquit: Hoc velut maximum negligẽdum non est, vt nec vir nec mulier pinguem habitum acquirant. Tales enim inepti » sunt ad pueros gignendos: nam neque pudenda inter se adaptare possunt, & viri parum se- » minis emittũt, & mulieribus mẽses pauci ferũtur, quũ maxima alimenti pars in pinguedinẽ » tran seat, &c. Tot igitur rationibus accidit & viris & mulieribus sterilitas, ex pinguiore constitutione, quarum nulla frigiditatẽ rectè arguit.

Tetr. 4. serm. 2. cap. 26.

VI. Quomodo vitiosa esse potest obesitas, si calor tẽperatus cũ humiditatis copia pinguedinẽ generãt, hæc autem præcipuè vitã determinẽt?

Universidad de Deusto
Biblioteca

An sanguinis quoque & carnis abundantia maior, sanitati nocet, & periculo non vacat. Omne siquidem nimium, naturæ est inimicum. Ideóque athletarum corpulentia nulli non damnatur, autore Galeno. Hippocrates verò eorum ὄγκους minuendam esse suadet, vt in tuto versentur. Porrò, adipea moles magis quàm carnosa vituperanda est, quia (præter id quod multũ sanguinis ad alios vsus valdè necessarij, in faciẽda pinguedine consumitur) pinguedo multa inutilis atque molesta est. Mediocrem laudamus, quod indumenti modò calorem foueat: at nimia grauat, ingratáque est. Mediocris præterea formosiores reddit, corporisque membra rectè format, dum inania spatia replet & infarcit, cutem extendit, lucidiorémque facit. Cõtra, nimius omnẽ articulorum gratiã, & membrorum formam ac delineationes obscurat delétque. Scytharum crassitudinis damnosæ ac inutilis meminit Hippocrates, monuitque plurimos ex iis humeros, brachia, manuumque iuncturas, pectora, coxas & lumbos exurere, vt effluente superflua humiditate corpora validiora fiant, & magis reddantur articulorum vsu potentia. Et Galenus, Nicomacho Smyrneo adtantam molẽ corpus increuisse ait, vt loco moueri non posset. Eum verò aiunt ab Æsculapio curatum fuisse. Fabulosum esse puto quod narrat Plinius, L. Apronij consularis viri filio detractos adipes, leuatúmque corpus immobili onere. Eam opinionem sustinere quidam superioribus annis mihi videbatur, qui asserebat visum hominem cui præcisså transuersim epigastrij & ventris prominuli cute, abdomen à multo adipe repurgatum fuerat. Neque id recipi debere existimo, quod inter pinguedinis vitia referunt, sues quosdam dormientes à muribus ad carnem vsque arrodi: nam vt fatear nullo sensu præditam esse pinguedinem, quæ tamen vniuersum corpus ambit cutis primo contactu nocentia percipit.

Aph. 3. lib. 1.

Lib. de differ. morb. cap. 9.

Lib. 11. cap. 37.

Potéstne aliquis à pinguedine suffocari, vt vulgus credere videtur? Plinius quidem prępinguia celeriùs senescere dixit. Hippocrates verò naturà admodum crassos, citiùs interire quàm graciles, scripsit. Ratio est, quia pinguedo musculis adnascẽs inter venas & arterias, cum multa est, adeò arctè constringit spiritus & sanguinis vasa, vt libera diffiatio plurimum impediatur. Occupatis verò meatibus transpirationi dicatis, insitus calor obruitur ac veluti strangulatur. Præterea, circumposita pinguedo vasorum capacitatem diminuit, vnde fit vt paucior calidæ materiæ substantia in iis contineatur. Licet etiam dicere, ex nimia pinguedinis humiditate natiuum calorem obtundi, ac tandem extingui posse. Nam & Galeno & Aristoteli pinguedo est humidissima. Hanc verò ratiocinationẽ (ne quis ineptam putet) ex Aristotelis verbis colligo, dum inquit: Oues renibus vndique pingui obductis intereunt, quod vbertate pabuli fit vt in Scicilia agro Leontino fieri constat. Et alibi:

V 11. *Lib. 11. cap. 37.* *Aph. 44. lib. 2.*

Lib. 3. de histor. animal. cap 9.

Universidad de Deusto
Biblioteca

Lib.3.de part. animal.cap.9.

Causa cur hoc solis aut maximè ouibus accidat quod iis quæ adipe pinguescere solent, pingue humidum est. Itaque non æquè flatus intercluſi dolorem faciunt, quod causa sideratiõnis est, &c. His argumẽtis facilè (opinor) persuademus pinguedinem non modo immaturam senectutem adferre, cùm fuerit copiosissimè accumulata, & enormi quantitate per vniuersum corporis habitum sparsa, verumetiã repentinæ mortis occasionem quibusdam esse, posse.

HIERO

HIERONYMVS CHAMBON, IOANNI RESINO Bibliopolæ fidelissimo, S.

QVVM intellexissem futurum propediem, vt D. IOVBERTI *τῶν παραδόξων πρώτων δικαίων de integro rursus typis mandes, multo emendatiorem, & recognitam: operæprecium me facturum credidi, si de eo ad te scriberem, quod illius operis autori gloriosum sit futurum, τυπογράφῳ summam adferat diligentiæ commendationem, βιβλιοκαπήλῳ sit quæstuosum, nobis verò ad veritatis cognitionẽ aspirantibus, maximum addat ad reliqua inuestiganda momentum. Id verò est (quod ego summis precibus à te exoratum velim) nempe vt primæ illius δικαίου septimo παραδόξῳ adiungas, quæ ab eo ipso autore περὶ πρόνοιας, non minus piè quàm docte ac eleganter, memoriæ sunt prodita. Ille enim quum superioribus annis inter profitendum nobis explicuisset, quæ de naturæ prouidentia sentiret, tuncque ea excepissent qui ex vniuerso auditorio maiore donati erant eruditione, & ad illius excipiendas præclaras sententias dexteritate erant magis expedita: confeci tandem vt ex quibusque ea*

Universidad de Deusto
Biblioteca

colligerem, quæ quàm maximè conformia deprehendi iis quæ ex docentis ore ipse audiuissem. Hâc autem ipsam περὶ πεθανοίας tractationem, quum mecum diutius perpendissem, tandem percepi geminam vtilitatem ex ipsâ perceptum iri posse. Nam præter quàm quod synceram de diuina Prouidentia doctrinam complexa sit, quidque de ea quæstione piè sentiendum sit, proponat: eadem est etiam veluti appendix septimi, illius παραδείξεως, adeò vt absque illa vix quid sibi hoc velit, assequi vllus facile queat. Quum enim in eo de Cordis pinguedine disputetur, eiusdémque causa quæ sit statuenda illic edisserat autor: ei profectò euertenda fuit eorũ opinio, qui in lãguido otio marcescentes, de ipsâ rogati, nihil, quod respondeant amplius inuestigare sustinent, quàm quod Prouidentia id factum fuisse existiment. Cuius sententiæ absurditas nullo ἐλέγχῳ magis perspicua fit, quàm iis quæ hac tractatione explicantur. Quòd quum ipse vidissem, D. IOVBERTVM (vt sum ei valde familiaris) adii, atque diu multúmque egi cum eodẽ, ne deinceps pateretur se merita laude, ceteros verò synceræ veritatis amantes tanta commoditate frustrari: quin potius gloriosæ à se conscriptæ materiæ auctarium hoc adiungeret. Illum tamen nulla ratione potui in meam sententiam trahere: nescio quæ fuerit renuendi occasio. Quam obrem in animum induxi meum, Benefidii illius exemplo qui primam Decadem olim inscio eodem autore inuulgandam curauit, aliquid esse audendum. Quumque iuuanda communis vtilitatis

tis studium tuum habeam perspectum, non potui de te non bene sperare. Itaque tractationis illius exemplar ad te clam mitto: obnixè rogans, ne tantilli aut laboris, aut dispendii metus te deterreat, ab ea benemerendi de quàm plurimis occasione, quæ tibi meo conatu hac in parte oblata est.

Vale. Monspelii
idibus Maii
1565.

***

DE NATVRÆ PROVIDENTIA, QVÆ SIT, & quomodo explicanda veniat, tum Medicis, tum Philosophis: ex prælectionibus D. LAVR. IOVBERTI, enarratio.

NATVRAM passim Galenus vocat prudẽtem, prouidam, sagacem, iustam, & artificiosam: imò verò optimam & summam artem, quòd etsi nulla ratione prædita sit, per illam tamen summus rerum opifex mirum artificium ostendat. Sic enim cuncta in Natura disposuit, vt singula ratione quadam vti videantur. Sed quia Naturę nomen ex rerum ignorantia impositum (vt rectè dixit Lactantius Firmianus) ambiguum est, id a nobis explicationem requirit: vt deinceps monstremus, quid Naturę artificium, sapientia, iustitia, prudentia, & (cui præcipue insistere volumus) prouidentia dicatur. Naturam duplicem constituunt recentiores Philosophi, primam scilicet atque secundam. Et primam quidem esse volunt, quam Aristoteles primum motorem appellat: Plato, Deum mundi opificem. Secundam verò dicunt, quam Aristoteles definit, initium motus & quietis in eo subiecto cui inhæret,

Lib. 3. cap. 29.

Lib. 2. phys. cap. 1.

ret, primò & per se. Hanc idem primam Naturam vocitat in metaphysicis, scribens: Substantia eorum quæ principium in seipsis habent vt ipsa sint, ἡ πρώτη φύσις, καὶ κυρίως λεγομένη ἕξις. Eandem Plato mundi animam nuncupat, quod sit vis quædam rebus omnibus communis & insita. Ea siquidem corporibus à priore illa Natura creatis coniuncta & annexa manet, & ceu internum quoddam principium motionis eorũ relinquitur. Est enim duplex principium rerum omnium, vti duplex Natura: nempè id à quo singula sic fiunt vt ab eo longè semota sint, ipsumque à se factis rebus non admiscetur. quod Naturam primam, primumque motorem, & Deum mũdi opificem supra nominauimus. Atque huiusmodi Principium verè primum & præcipuum statuitur. Alterum ab illo proficiscitur, & rebus quas facit immixtum manet, estq; priore illo multo minus commune. Porrò secunda hæc Natura, principij nomen ex eo meretur, quod sit interna causa corporibus cunctis insita, quæ non modo pars eorum est, sed etiam illorum essentiam conseruandi vim habet. Atque huiusce principij ratione corpora omnia dicuntur res naturales. Constat verò duabus primis partibus, materia (inquam) & forma simul connexis, quæ communi appellatione Natura vocantur, ab Aristotele, quia substantiam corporum, veluti partes, primò componunt, eique dant motionis & stabilitatis initium. Nam si partes quibus componi videntur

Lib. 5. ca. 4.

inspicias,

Universidad de Deusto
Biblioteca

inspicias, eorum initia quodammodo sunt materia & forma. At si principium, omnium primum atque præcipuum quæras, vnus est Deus qui cuncta creauit. Hoc enim principium in res compositas non cadit, sed præcedit omnem compositionem, planeque simplex & per se est. Quia verò Causa & Initium pro eodem sumi solent, nimirum pro eo à quo primum aliquid fit, vt cum Aristoteles dicit Naturam esse principium & causam: scire licet à nonnullis etiam distingui vt initium propriè sit communis & prima cuiusque rei origo: causa verò, particularis & propria rei iam effectę ratio. Aristoteles, vt ista significet, diuersa ab hac loquutione vtitur. Illud enim τὸ κινοῦν μὴ κινούμενον, hoc verò τὸ κινούμενον & κινοῦμενον vocitat. Niphus interpres aliud dependēs, aliud independens, principium appellat. Neque verò Hippocrates noster aliud, quanquam aliis verbis, significare voluit, dum primum illud principium his verbis notat: δεῖν ἀπὸ φύσιος γίνεται. ἅπαντα γὰρ ταῦτα θεῖα. Alibi vero alterum expressisse videtur, scribens: φύσιν πάντες θεὸν διακοσμησιν. Quibus verbis, significat, ordinem connexionemque causarum cum effectis, in mundo à Deo sapientissimo constitutum. Est igitur solus Deus rerum efficiendarum & verum & vnicum principium: materia verò & forma earundem συναίτιαι, id est causæ adiuuantes, quatenus rei essentiam complent. Cæterum Plato materiam principium alterum facit, Deoque adiungit: quasi Deus sine materia nihil efficere possit.

Lib. 8. phys.

In lib. 1. de ortu.

Lib. de aere.

Lib. 1. de nat. viet.

possit. At nos piè credimus, rerum omnium cōmune subiectum vnà cum mūdo esse creatum: vt quod Physicis tritissimum est ἀξίωμα, ex nihilo nihil fieri posse, in viribus humanis, non diuinis, ijsque tantum principijs quæ Dependentia paulò ante noncupauimus, locum habeat. Itaque si mundi primam constitutionem spectes, aliud eius principiū quàm Deum minime offendes, qui nullo subiecto præexistente omnia primum fecit, denuóque effiecere potest. Ad rerum verò iam creatarum frequentes effectiones, commodè illa adhibentur principia quæ docet Aristoteles: non prima quidem & præcipua, sed à primo præcipuoque instituta, atque ita disposita, vt per hæc veluti causas, res naturales deinceps consisterent. Prima ergo Natura vnicum est illud rerum omnium principium, & prima omnium causa, æterna, infinita, immobilis, incorporea, libera, omniporens, ac propria vi cuncta efficiens, vt mox docebitur. Plato Deū mundi opificem vocat: Aristoteles primum motorem, & τὸ κινοῦν μὴ κινούμενον. Secunda verò Natura est, tum materia ab illa priore creata, tum forma rebus annexa: qui sunt effectus in generatione cuiusque rei ab opifice summo producti.

Explicatis Naturæ significationibus huic nostro instituto conuenientibus, iam tempus est inuestigandi vtri Naturæ prouidentia inesse dicatur. Sed prius quid Prouidentiæ nomine significetur, explicandum venit. Πρόνοια, id est prouidentia,

Universidad de Deusto
Biblioteca

uidentia, fere cum Prudentia coincidit. Hoc tamen discriminis esse volunt, vt illa de rebus diuinis, hæc de humanis magis propriè dicatur. Est autem prouidentia secundum commune significatum, idem quod sollicitudo ac diligentia, vt Galenus ipse docet. vnde prouidere, est curam alicuius rei gerere, & præparare vtilia. Quo in significatu olim apud Philosophos trita & vulgata fuit quæstio, vt idem refert, An mundus prouidentia gubernetur. quam nos hoc loco explicandam suscepimus, non sane vt eam esse doceamus (quippe de hac dubitare impium est) sed qualis sit, & quomodo accipienda. Primum ergo sumamus quidnam ex vsitata locutione Prouidentia fieri dicatur: nempe quicquid ex præmeditatione, consultò, & cum deliberatione peragitur. vt si quis alium volens occiderit, dum multò ante cogitasset quo pacto id posset exequi. Contra, fortuitò factum dicũt, vbi nihil tale cogitanti, ac præter expectationẽ aliquid contingit. Atque ea est communis significatio Prouidentiæ apud bonos autores, quæ oppositam habet fortunam vel casum. Iam ergo videamus qua ratione dicatur Natura cunctis rebus prouidere: quænam sit ea Natura, & vtrum Fortunæ locus vllus concedi possit. Epicurei nullam esse Prouidentiam existimarunt. Stoici verò, seriem causarum necessariò connexarum. Fatum appellantes, Fato omnia subijci voluere. Academici solam Naturæ vim efficiendi necessariam, Fatum nominarunt: quod à

Com. in lib. 1. prog. initio.

Platone

Platone definitur, Dei ratio stabilis in efficiendo, præscriptúsque ab eo rebus ordo. Huius autem in Fato explicando diuersitatis, causam esse putamus, quod Deus ab antiquis (vt nec à nostratibus) vno modo cognitus non fuerit: atq; pro varia potestatum illius multitudine, variè cognominatus. Eius nos monet Aristoteles, cùm de Deo loquens ait: ἂς δέ τ' ὢν πολυώνυμός ἐστι κατονομαζόμενος τοῖς πάθεσι πᾶσι. Quum igitur Stoici omnia fato subiecta dicerent. Deum animo concipiebant: qui (vt Aristoteles eodem loco docet) ἡ εἱμαρμένη fuit appellatus, διὰ τὸ εἴρειν τε καὶ χωρεῖν ἀκωλύτως. Quod autem Plato de Fato protulit, in eo perinde fecit ac qui distinctius de re loqui volens, ab efficiente modum quem tenet in efficiendo describit. Ea verò Fati definitio nihil aliud est, quàm τῆς θείας Naturæ explicatio, vt ex superioribus constare potest: à qua Fatum differt sola τὸ ἀκωλύτως ποιεῖν consideratione. quod etsi in Natura quoque sit, quia non attenditur, de ipsa aliud concipere videntur homines. Est igitur Platoni Fatum, causa quędam communis, nõ cuiusque rei propria, quod leges Naturæ vniuersæ præscribat, non rebus singulis, quæ instituta suum sequuntur. Ob id Fatum Dei prouidentiæ, qua cuncta instituit & moderatur, minimè obsistere dicit. Qua in re nobiscum plane consentit, quod in Dei voluntate vim illam necessariam constituat quasi Fatum. Ad nos Prouidentiam dicere malumus, quæ est infinita diuinæ mentis potentia, qua

Lib. de mũdo. circa finem.

cuncta

cuncta fiunt, conseruantur, & administrantur.

Cæterum, Prouidentiam quæ in rerum Natura obseruatur, à prima illa omnium causa proficisci, non à secundaria quæ corporum istorum pars est, quæque & mente rationéve, & prudentia caret, is demum assequetur, qui mirum in singulis rebus artificium fuerit contemplatus. Nam quis corporibus animalium, etiam vulgarium, & quæ imperfecta vocantur, diligentius introspectis, nõ admiretur opificem? Quis cum Hippocrate iustissimam Naturam esse nõ exclamabit, videns singulis partibus suam figuram situmque decenter attributum, mutuam inter se partium ἀντιβολήν, vt dextræ sinistris mira conuenientia respondeant? Neque verò in solis instrumentis quæ gemina sunt, opificis Naturæ iustitiam contemplari licet, verum & in ijs quæ etsi bipartita compage constant, vnica tamen esse videntur: vt cerebrum, nasus, lingua, pulmo, torax vterus. Horum enim dextræ partes sinistris per quàm similes sunt magnitudine, crassitudine, colore, vasorum numero, & distributione, omni denique constitutione. Præter iustitiam, quæ admirabilem facit Naturam, est etiam vis qua pollet maxima, quum fines ad quos structura corporis est constituta, omnes perfectè assequatur; obseruatis ad amussim omnium partium decente figura, iusto numero ac magnitudine, situ conuenienti, & vnione: quo nomine Artificiosa quoque Natura solet nuncupari, & ipsamet Ars: quia in omnibus quę instituit

stituit perfectionem maiore ex parte cõsequitur. Ars enim rarò fine suo frustratur. Quod verò in paucissimis contingit, Fortunæ opus vocitant: de qua postremo à nobis agetur, quando num rectè à Galeno irrationalis & iners appelletur, examinabimus. Hippocrates Naturã animalium eruditam esse, quãuis nõdum aliquid didicerit, obseruans, præterea quæ supra retulimus, in corporum cõstructione planè admirãda, nostræ creationis aurorem suspicit quidem, sed dũ quænam sit eius substantia nescit, vulgari cõsuetóque modo, qui à rerum ignoratione profectus est (vt ex Lactantio prædiximus) Naturã appellat. Idem facit Galenus, & quicunque illius temporibus claruerũt medici. Ea verò Natura est, omnium prima præcipuáque, & per se efficiẽs causa: Deus (inquam) opt. max. à quo cũcta procedunt, quique omnia verbo suo primũ creauit, & genita perpetuo fouet, tuetur, ac moderatur. Secúda enim Natura, quum sit nullius rationis ac mentis particeps, quî posset ex sese tã perfectã & absolutũ opus producere, quàm est mundus: præsertim quum ipsis corporibus immixta, nõ separata & libera (vt artificem esse oportet) maneat? Prima autẽ illa Natura res efficiẽdas primò & per se mouet, quumque extra res omnes esse dicatur, singularũ essẽtias materiæ mundanæ partibus sic adhibet, vt etiam vera causa formalis haberi possit. Non enim solum esse omnibus donat, sed & conseruationi præfecta est. Porrò vt potentiam quam habet

bet ſummam ipſis operibus declaret, duorum generum inſtrumentis vti conſueuit. Horum alia ſunt naturalia, ex ordine præſcripto Naturæ ſcilicet, & cauſis diſpoſitis. Alia ſupra Naturam quæ ex non aſſuetis mediis ſumuntur: vnde vocata Miracula prodeunt. Quum enim Deus, Naturâ quam ipſe creauit multò ſuperior (vt artifex longè proprium opus excellit) cauſis omnibus à ſe inſtitutis præſit, tum eas immutare, tum earũ effectus impedire, facilè poteſt. quinimo alias cauſas, nouóſque effectus producere, & recẽtem materiam (ſi velit) creare, omnia denique opera immutare. Ipſe etenim, qui omnium prima & ſumma cauſa eſt, in mera libertate atque potentia perpetuò manet, vt inferioribus cauſis minimè aſtrictus iis dominetur, ac pro voluntate imperet. Neque verò putandum eſt, illum generatim ſolum, atque in vniuerſum mundo proſpexiſſe, aut tantum iuſſiſſe vt hoc vel illud fieret. Quinetiam omnia ſigillatim per quem, quibus inſtrumentis, quo tempore, quo loco, & quomodo perficerẽtur prouidit: atque ita præparauit quæcunque ad ſuorum operum abſolutionem requiruntur, vt nihil iam niſi ex illius præſcripto contingere poſſit. Neque rurſus credendum eſt, omnia iam olim à Deo ſic eſſe inſtituta, nunc verò negligi, & omnia propenſitati Naturę permitti. Nam quem Naturæ ordinẽ atque περίοδον initio præſcripſit, eundem perpetuo moderatur & dirigit, facitque vt effectus quicunque ex aſſignatis cauſis oriantur (niſi quid longè admirabilius aliquando moliatur) quod ex Platone confirmat Ariſtoteles, inquiens: καθάπερ ὁ γενναῖος Πλάτων φησίν, ὁ μὲν οὐθεὶς ἀρχὴν τε καὶ τὴν τελευτὴν, καὶ μέσα τῶν ὄντων ἁπάντων ἔχων. Ex his patere arbitror, ſoli Deo prouidentiam deberi, quum is ſit qui à ſe producta regit & conſeruat, qua pollet ſumma prudentia, ſapientia, & bonitate. Natura verò ſecũda, illius prioris veluti effectus, Prouidentiæ teſtimonium præbet locupletiſſimum, vt quæ ex illius inſtituto abſolutiſſima conſpiciatur: admirandum planè opus. Nam quum neque rationis particeps, neque prudens ſit, prudentia tamen & ratione maxima vti videtur: quia is rerũ eſt ordo, is partium Mundi conſenſus, vt ratione quadam omnia quis putet agere. Quod vel maxime ex corporis animalium membris intelligi poteſt, quæ licet plantarum more, & ſibi tãtum ſingula viuant, ratione tamen agere dicas: tanta eſt eorum omnium συμπάθεια, tanta (vt videtur) aliorum ſollicitudo, vt omnia ratione vti putes. Non tamen id ex partium voluntate, aut iudicio (quibus omnino carent) ſed opificis inſtitutione dependet: qui ſingulis eam Naturam conſtituit, quæ cuique maximè conueniret, fecitque vt omnium ſimul cõcentus & ἁρμονία eſſet mirabilis.

Libro de mundo, ſub finem.

Cæterùm, vt Dei opt. prouidentiam nuſquam non admirari atque extollere decet, ſic qua ratione, quóve modo cunctis rebus prouiderit (quãtum mens humana aſſequitur) inquirere, prorſus neceſſarium mihi videtur, ei qui

maiore cum diligentia rerum causas inuestigare sibi proponit: atque inde Philosophi, id est sapientiæ studiosi, nomen mereri desiderat. Philosophiæ siquidē finis esse debet, diuinarū rerum contemplatio, & summi opificis collaudatio: quod est gratissimū Deo sacrificiū. Quis autem quæ nescit magnificere potest? Quid verò est scire, aliud quàm rei causam habere cognitā? vt verissimè dictū sit à Poëta:

Lib. 2. Georg. *Fœlix qui potuit rerum cognoscere causas.*

Is enim solus Dei opera propius contemplans, philosophatur, inque maximā venit admirationem, dum prudentissimi opificis Prouidētiam obseruat, eāque nō vniuersalē modò, vel in maximis duntaxat rebus, sed etiā particularem, & in minimis ac vilissimis deprehendit. Nam pilorum quoque maximī curam illū habuisse apparet, vt Galenus rectè explicat, vbi docet qua ratione Deus prouiderit, vt palpebrarū pili æqualem magnitudinem seruarent. Nempe his durū corpus, instar cartilaginis cuiusdā, subiecit. Ast impius ille non agnoscit Dei summā & absolutam potestatem, qua præter institutū Naturę ordinem, etiam ex nihilo cuncta producere valet, & ex lapidibus repente (si velit) homines efficiat. Proinde immerito in Mosen diuinū Prophetam, contumeliosus inuehitur, qui passim Deum esse omnipotētem prædicat, vt nos etiā Christiana religio docet. Nō enim solum quod melius est in ipsis opificijs eligit, & materiæ delectū habet, vt sentit Galenus, sed rerū omnium

Lib. 11. de vsu part. cap. 14.

cau-

sas inuertere, & ex nulla, vel quæ nobis ineptā iudicetur, materia, quodcunq; velit producere potest. Id verò Galenū latuit, quoniam Platonis opinione persuasus, existimauit Deū comitem habere materiā: eaque duo rerum omnium esse principia nec alterum sine altero quicquā efficere. Equidem duo quum sint instrumentorum genera quibus in producendis effectibus omnium rerum autor vti consueuit, vt sup. docuimus, supernaturalia vocata minimè apprehenderunt Philosophi & Medici antiquiores, qui verum Deum ignorarunt. Naturalia verò vsque adeò diligenter perscrutati sunt, vt inde summum opificem (quisquis ille foret: θεὸν enim ἄγνωστον hymnis suis extollebant) summa prouidentia in singulis rebus agere nouerint. Nos autē, quibus misericors Dominus sese multo manifestiorem reddidit, ad ea stupentes quę miracula esse cōstat, rerum naturaliū proximas causas inquiramus, vt longè maxima nobis detur occasio mirandorū Dei opt. beneficiorum, quę quanto quis exactius nouit, eo magis summā illius bonitatem magnificare potest. Neque nobis, vt plęrisq; sit satis dum alicuius rei causa ignoratur, quæ tamen inuestigando sciri queat, id Naturæ prouidentia factum esse, respōdere: quin potius qua ratione prouiderit diligenter excutiamus. Quid enim ab inerudita plebe differt, qui dubio proposito nihil aliud quàm Naturæ prouidentiam respondere nouit, nec quo modo ea prouiderit declarat? Nonne cuilibet

Universidad de Deusto
Biblioteca

è vulgo tali ratione Philosophum esse licebit? Nam si quæras, qui fit vt Cordi pinguedo non adnascatur, & cur pili dum ad iustam magnitudinem peruenerint non vltra promitti trahiq; possunt, tametsi materia ad radicem suppetat, vt proponit Fernelius: cuiuis promptum est dicere, Naturæ prouidētia factum. At cedo huius effectus proximas causas à Natura ei rei prouidente institutas: aut miraculum esse fateare, supraque naturam. An non etiam Naturæ prouidētia nutritur animal? Iam doce quibus instrumentis, quibúsve modis illud efficiat. quod est Naturæ prouidentiam explicare, & eius operûm causas proximas assequi. Pinguedo circa manum extremam & pedem non coaceruatur, quum tamē frigidiores sint partes. Qua ratione, obsecro? Prouidentia Naturæ, inquies. Ita enim factum oportuit, quod earum functionibus nocitura esset crassitudo. Sed quibus modis aut rationibus prouidit? hoc enim scire desidero, hoc à me quæritur. Nam cuncta Naturæ prouidentia fieri omnibus iam constat. Nempe prædictarum partiū temperiem & structuram ita parauit, vt adipi accumulandæ forent ineptæ. Frigidiores enim fecit, & exiguis vasis donauit. Frigiditas verò gracilitatem habet comitem: exigua vasa nō plus alimenti suppeditant, quàm illis debeatur ad nutritionis necessitatē. Quæ verò partes in medijs sunt spatiis, quia humoris largiore copia fruuntur, ex laudabili super-

Lib. 2. phy sicoleg. cap. 2.

fluo pinguedinem plurimā colligere possunt, vt etiam venter. Atque huiusmodi ratiocinatione Dei vel Naturæ prouidentiam explicamus, & miramur quàm artificiosè & eleganter proximas causas ita disposuerit, vt quos præsciri pśit effectus, ij necessariò consequantur.

Superest vt de Fortuna aliquid dicamus, num sit in rebus humanis statuenda, & an Naturæ prouidentiæ ex diametro aduersetur. Si Lactantio & Ciceroni credimus, stultitia & error, & cæcitas, & ignoratio rerum atque causarum Fortunæ nomen induxit. Per se enim nihil est Fortuna, inquit, ille fingitur autem peruersa quædam potestas virtuti repugnans. Ob id Iuuenalis sententiam approbat, qui ait:

Nullum numen abest, si sit prudentia: sed nos
Te facimus Fortuna deam, cœlóque locamus.

Aristoteles verò Fortunam & Casum agnoscere videtur, vt causas accidentarias. Et Fortunam quidem esse vult, causam per accidens in iis quæ per electionem alicuius gratia fiunt. Sed quia indefiniti causa esse dicitur, & homini occulta, nihil à Fortuna proficisci, mox subiungit. Rectius veterum nonnulli, quorum opinionem ipse recenset his verbis: οἷς δοκεῖ εἶναι μὲν αὐτὰ ἡ τύχη, ἄδηλος δ' ἀνθρωπίνῃ διανοίᾳ, ὡς θεῖόν τι ὄσα καὶ δαιμονιώτερον. id est. Quibus ipsa Fortuna videtur esse causa, obscura tamen

Li. 2. phys. cap. 5.

« men humanæ menti, quod sit diuinum aliquid
« & admirabilius. Ast idem planè sensisse Aristo-
telem, is facile essequetur, qui illius scripta accu
Cap. 5. ratiùs examinabit. Quum enim ex propria sen
« tentia loquitur, ait: καὶ τὸ φάναι εἶναί τι παράλογον
« τὴν τύχην ὀρθῶς. hoc est: Rectè etiam dici, Fortu-
« nam esse aliquid præter rationem. Quę quidem
verba oscitanter lecta, plærisque occasionem
dederunt tam ineptè balbutiendi de fortuna.
Cùm enim vident ipsam ab Aristotele dictam
fuisse τὶ παράλογον, statim in eam rapiuntur sen-
tentiam, vt putent illum voluisse statuere, For-
tunam esse nescio quid quod nec ordinem, nec
rationem (id est, æquum & bonum) habeat,
quodque iura & fas abrumpat omne. Ex qua
In epigr. sententia Virgilius Fortunam atrocem vocat in
iure sibi vindicando. In tam absurdam verò de
Aristotele cogitationem, eos immersit vocabuli
[rationis] ἀμωνυμία. Illud enim in compositione
[τῆς παραλόγου] existimant significare quod alias
dicitur vel ius, vel æquum & bonum: non sa-
tis attendentes quod mox subdit Aristoteles,
ὁ γὰρ λόγος, ἢ τῶν ἀεὶ ὄντων, ἢ τῶν ὡς ἐπὶ τὸ πολύ.
Quibus verbis datur intelligere, Philosophum
nomine τῆς παραλόγου, rationę eam cõprehendi
duntaxat putasse, quæ sit firma & stabilis conne
xio causarum in producẽdis, aut semper, aut vt
plurimũ suis effectis, quod in æternis & in Natu
rę rebus elucet. Quũ itaq; Deus opt. max. ordini
in rerũ Natura à se cõstituto, suã voluntatẽ non
ita

ita alligarit, quin præter eum plæraque effecta
reddat, haud mirum si quæ à Fortuna, hoc est
ab ipsius Dei voluntate fiunt, ab Aristotele πα-
ράλογα dicantur. quod perinde est, ac si scripsisset
præter ordinem quem in Naturæ rebus & in
æternis Deus constituit. Idipsum apertius alio *Sub finem lib. de mundo.*
loco docet, inquiẽs, Deum esse οὐράνιόν τι καὶ χθό-
νιον πάσης ἐπώνυμον φύσεώς τε καὶ τύχης. id est, cœ- »
lestem ac terrenum, totius Naturæ atquæ For- »
tunæ cognominem. Sicuti enim Natura est Dei
ordinaria potestas, ita Fortuna eiusdem volun-
tas. Vnde fit palam, Galenum veræ philosophiæ
inertem esse, quum Fortunam innertem appel-
lat, & irrationalem, aduersus eos disputans qui *Lib. 9. de plac. Plat. & Hipp.*
hominem fortuitò conformatum esse affirma-
bant. Neque illud rectè distinguit, Naturam &
artem rarò fine suo frustrari: fortunam verò
eundem rarò assequi. Nam quum quod Deus
vult, non fieri nequeat, Fortuna ad suum finem
semper attingit, neque eo frustratur vnquàm,
vt & Natura & Ars interdum. Quod verò non
ita sæpe Fortunæ opera, quàm aut Naturæ aut
artis à nobis deprehendantur, ideò non contin
git quia fine frustrata sit Fortuna, sed quoniam
non ita frequenter ad agendum aggreditur,
quam illarum vtraque aut etiam si agat, à noti-
tia nostra minime vsurpatur.

Ex his tandem inferre licet, ac concludere,
Fortunam propriè dictam Prouidentiæ diuinæ
haud quaquam aduersari: quin potius illam ma
gis ac magis confirmare, si quis rei veritatem at

Universidad de Deusto
Biblioteca

tentius contempletur. Nihil enim temere, ac sine causa quam Deus instituerit, accidere potest, sed omnia ex sumi opificis præscripto fiunt, qui omnibus prospicit, & quamtumuis minima curat. Cuius sententiæ dignissimus autor est Christus, dum ait: Nonne duo passerculi assario veneunt, & vnus ex iis non cadit humi sine patre vestro? Vestri verò etiam capilli capitis omnes numerati sunt. At quorum euentuum causas nó assequimur, quęque præter spem ac expectationem contingere solent, ea interim à Fortuna, hoc est mera Dei voluntate, processisse piè fatemur. In qua sententia rectè illud dixerit Lactantius, cæcitatem & ignorationem rerum atque causarum, Fortunę nomen induxisse, vt sup. resensui-mus.

Matth. 10.

VEN

VENTRICVLI CONCOCTIONEM, quæ omnium prima statuitur, citius ac perfectius vigilātibus, quàm dormientibus absolui: nec vllam esse caloris proprietatem qua Struthiocamelus ferrum cōcoquat, sed id ex manifesta causa pendere: ad clariss. & prudentiss. D. IOANNEM CAMVSIVM, Secretioris Regii consilii Scribam fidiss.

PARADOXVM VIII.

MIraberis forsitan, vir illustriss. quod ita familiariter tecum agam, & grauissimis negociis occupatissimum hoc scripto interpellem, pro lixiore quidem ac minus eleganti quàm te deceat. Cui enim secretiora Regis nostri cōsilia, tanquam fidissimo, prudentissimo, atque diligentissimo committuntur, in hoc querimonijs pleniss imo nec dum satis pacato rerum statu, ei quàm parum supersit otij vt literariæ concertationi spectatorem aliquando se præbeat, facile est iudicare. Veruntamen quum nuper de tua sanitate (vt temperantem virum decet) non obscurè sollicitus me consuleres, præter alios sermones

Universidad de Deusto
Biblioteca

mones quos fusius agitare placuit, rogasti de cœnæ parcitate quid sentirem. Quippe varias ferri de Cœnę modo sententias iandudum nouisti. Ego meam liberè explicaui, & pro temporis angustiâ, non multis quidem, sed efficacioribus argumentis confirmaui: sperans deinceps reliqua tibi per otium & attentius legenda proponere. Quòd quum tibi etiam magis arrideret, coniecissem, statim domum reuersus hæc ad te scribere cœpi: vt succisiuis horis, & quando licet animo liberius paulò quiescere, varias quibus nitor rationes examinando assequaris. Si mihi cum otioso res esset, lõgè fusissima disputatione πρόβλημα istud (de quo multi ex neotericis integros libros exarasse videntur: at eorum nemo hactenus mihi satisfecit) tractassem. Sed vereor ne vel laconismus iste meus, Asiatica in prolixitate vanitatem sapiat, tibi non solum (vt prædixi) occupatissimo, verumetiam eo præditum ingenio, vt ex paucissimis plurima coniectari possis. Aliam multò breuiorem adiecta disputationem, qua ratione Struthiocamelus ferrum concoquere valeat: quod omnibus mirum, præcipuis verò philosophis etiam inexplicabile, censetur. Quæ omnia vt æqui & bonę consulas, vir humanissime, supplex obsecro, maneque eo animo hæc instituisse iudices, quo apud te obseruantiæ meæ pignus aliquod deponerem & mentis & corporis habita ratione. Siquidem philosophicis eiusmodi concertationibus animum tuum præcipuè delectari scio. Corpori ve-

verò sanitati quantum emolumẽti hoc sit allaturum, si tibi tandem persuaseris parcissimè cœnandum, ipse cõfido, & vt experiaris maximopere cupio. Sed quibus rationibus istud efficiã, explicare aggredior.

VENTRICVLVM tardius ac difficilius cibos noctu & per somnum conficere, experientia cum ratione satis probat. Quum enim inter prandium & sequentem cœnam interuenire soleant octo duntaxat horæ, sexdecim verò inter cœnam & succedens prandium, antequam fames ventriculum sollicitet, indicio est hoc quàm illo tempore pigriorem multò esse concoctionem. Cur enim, si per somnum perfectius coquit ventriculus, is breuiori tempore suum opus non absoluit, vt qui sexta cœnauit, media nocte famelicus exurgat? Qua ratione fit vt à prandio dormire non assueti, si forte dormierint, ad cœnę statutum tempus solitò minus esuriant, quin potius ventriculum sentiant cibis, quos superare non potuit, adhuc grauari? Contra, vigilantes præter solitum magis famelici fiunt, minúsque ferunt inediam. Ob id enim qui oleum & vinum exprimunt, quia plures noctes insomnes traducere cogũtur, singulis duabus vel tribus horis comedunt, idque tam noctu quàm interdiu. Si toties appetũr, toties inaniri ventriculum oportet: ne quis ad conceptam refrigerationẽ istud referat. Est enim potius calor nariuus, qui ciborum appetentiam intendit, vt docet Galenus. Atque sic interpretandam

Com. aph. 15. lib. 1.

Universidad de Deusto
Biblioteca

tandam iudico Hippocratis sententiam, qua
Lib.6. epid. sect.4.aph. 20. statuit aquam edacem atque vigiliam: quamuis
aliter sentiat Galenus in cõmento. Sed cur (ob-
secro) si somno melius concoquitur, non omni-
bus ei a prandio indulgere consulimus, quum
omnibus ex æquo ventriculi actio perfectissi-
ma sit necessaria? Atqui somnum meridianum
vulgus quoque suspectum habet, non solum
quia caput replet vaporibus, sensusque stupidos
reddit, & fluxiones concitat, verum etiam ven-
triculi concoctionem & tardiorem & deterio-
rem efficit, vt rectè Celsus admonuerit, longis
diebus meridiari potius ante cibum. Quia
quod somnus prolixior magis coctionem im-
pedire deprehenditur: breuis autem adeò non
nocet, vt etiam prodesse videatur, si quis non
cubans, exiguo tempore somno prementi ac-
quiescat? Sic enim si qua ineſt capiti & sensibus
grauitas, euanescit. Atqui si per somnum melius
coqueretur, breuiore diuturniore magis confer-
Lib.1. cap. 97. ret. Nam & hoc censuit Aegineta, inquiens som-
num interdiu captum minus conuenire, quia
tempus quo dormitur ad absolutam ciborum
concoctionem nõ sufficit. Verum nocet à prã-
dio somnus (meo quidem iudicio) tum ob ante-
dictas rationes, tum quia interdiu spiritus ani-
calor ad aërem lucidiorẽ sponte m onetur, qui
somnus cogit viscera sua repetere. Vnde fit v
hinc & inde breui momẽto distractus fatigetur
ac corpus ipsum turbet. Ob id æstate magis qu
hyeme, & calidiore splendidioreque loco ma
g

gis quàm alio, somnus meridianus obest. Siqui
dẽ lux, & calor externus, calorẽ natiuũ ijs in lo-
cis ad se magis inuitant. Porrò his aperte cõtra-
dicit Galenus, quum cibos coctu difficiliores in
Li.7.meth. med.cap.7. cœna exhibendos admonet: & dum frustratæ
concoctionis ventriculi causas recensens, inter
Lib. 3. de caus. symp. cap.1. eas enumerat breuiorem somnum quàm vt ci-
bos vincere possit. Idem enim scripsit, per som-
Lib.1. de caus. symp. num cibos optime concoqui, non solum in vẽ
triculo, sed etiam per vniuersam corporis mo-
lem. Nos verò & experimento & ratione duc-
ti contendimus, neque primam, neque tertiam
coctionem per somnum rite fieri, sed tantum
secundam quæ in venis peragitur. Quum enim
sanguis & spiritus eo tempore ad viscera sua re
currant, & in cor, arterias, venásque maiores
remeent, quæ illic elaboratione indigent exa-
ctius conficiuntur. Atque dum id fit, exteriores
partes caloris influentis copia destitutæ, minus
recte functiones naturales exercent, quas vigi-
lia & exercitatio cumprimis iuuant. Vnde illud
Hippocratis, Labor articulis & carnibus, cibus
Lib.6 epid sect.5. aph. 10. verò & somnus visceribus confert. Calorem ve
rò ad interiora vergere id docet, quod dormi-
entes pluribus integumentis quàm vigilantes
indigeant: nempe vigilans exterius calidior, in-
terius frigidior est, dormiens verò contra, vt
Lib.6.epid sect.4.aph. 14. idem Hippocrates docuit. Ex quibus licet infer-
re, tertiam coctionem quæ per vniuersum cor-
poris habitum fit, non exactè perfici somno,
quum omnis coctio caloris multi præsentia,

gaudeat.

Universidad de Deusto
Biblioteca

gaudeat. Quæ verò sunt in venis crudiora, per somnum maturantur & absoluuntur. Proinde rustici homines, qui profundius dormiunt, à prauis cibis minus lædi solent, vt monet Galenus: quia scilicet alimentum quod interdiu laborantibus non satis coctum in venas rapitur, deinceps per somnum perfectam coctionem recipit. Sic vbi sanitatis tuendæ præcepta tradit, semicocta somno & quiete concoqui, vtiliáque reddi, annotat: & nihil esse quod æquè cócoctat ea quę cócoqui possunt, & malos succos per halitū digerat, vt somnū, præsertim à balneo. Tardissimā verò esse ventriculi actionē per somnū, id satis confirmare videtur, quod idem in eodem tractatu docet, cauendum ne quid nutrimenti ante balneum aut frictionem puerulo

Lib. 2. de fac alim. cap. 2.

Lib. 4. san. tu.

Lib. 1. san. tu.

« præbeatur. Id fiet (inquit) si ad hæc administranda nutrix post longissimum somnum tempus « obseruet. Id enim maxime temporis est, in quo « vel inanem plane ventriculum inuenias, vel cer « te concoctum si quid in eo remansit, &c. Atqui puerulis calor est plurimus, qui lac breui immutare possit. Itaque si longissimo opus est somno vt id perficiatur quod vigilanti intra paucas horas absolui solet, quis dicet à somno iuuari coctionem vētriculi? Haud absurde factum videbitur, si morem apud omnes iam vulgatissimū pro argumento huc adferam: quum assuetudinis maxima vis esse dicatur, non modo quia Naturæ vicem plerunque suppleat, sed etiam quid naturæ cuique potissimum conueniat tacite demonstret.

monstret. Eius opinionis autorem habeo Galenum, scribentem. Qui rei cuilibet insuescunt, magna ex parte naturæ suæ conuenientem consuetudinem deligūt: propterea quod ab ijs quæ non conueniant subinde læsi, ipsa repudiant. Aliqui tamen, vel dulcedine victi, vel præ nimia dementia se lædi non sentientes, in malis consuetudinibus persistunt. Verum hi pauci, plures qui non persistūt. Et rursus: vtēris similibus, potissimum quando ita fuerint assueta. Porrò accidit alterum horum plærunque magis, ceu naturis ipsis ea quæ sibi sunt accommoda, sua spōte citraque doctorem eligentibus. Et in curandi ratione docenda: Non est quod paruum quiddā, & ad spectandum leue ad inuentionē remedio rum cōsuetudinem existimemus, veluti nec ad sanitatem tuendam. Nemo enim est adeò stupidus, vt magnopere ex frigidę potione læsus, hác in diutinum vsum duxisse velit: propterea quod læsus interim, atque ab ea euidenter ægrotans, omninò abstinebit. Atqui fere omnes, quibus per facultates licet, assis potius quam elixis in cœna vescuntur. Assa verò facilius quam elixa coquuntur, vt quæ sint humore nativo magis referta, si quidem bene parata fuerint. Ab elixis enim melior humiditatis portio in ius abit. Vnde si carnē perfecte elixes, arida prorsus & exucca euadet. At quæ sicciora sunt, ægrius conficiūtur, vt à chylo & humoribus longissimè distant. Ob id Hippocrates, febricitantibus omnibus vi ctum humidiorem conuenire docet: nō solum

Lib. 5. de sim. tu.

Ibidem.

Lib. 9. meth. med. cap. 16.

Aph. 16. lib. 2.

Universidad de Deusto
Biblioteca

vt siccitati quam igneus calor infert (quod minime est negligendum) obsistat, sed potissimum quia facilius coquitur & alteratur. Humida enim ad chyli & humorum naturam propius accedunt: quæ vero in symbolo communicant, facilius transmutantur, vt de elementis probat Aristoteles. Ex his patere arbitror, primam coctionem quæ ventriculo mandata est, ignauiorem multò esse dormientibus quàm vigilantibus: vt præter experimentum, rationes vndiquaque conuenientes, & ipsa consuetudo, manifestissime arguunt. Superest vt quî id fiat docere aggrediamur. Aristoteles vnicam somni causam, ex euaporatione ad cerebrum constituit: quem Galenus reprehendens, ex sola contractione caloris ad internas partes, natâ ob eiusdem dissolutionem, somnum cõmitti putat. Argenterius verò ad calidum innatum omnem somni occasionem referens, retractionis eius ad viscera causam multiplicem esse vult. né pe defectum subiecti, vel quod repellatur calor, aut ad suos fontes reuocetur. Ego verò solius quantitatis ratione fieri existimo, vt spiritus ille, seu calor, aliàs intus latitet, aliàs sese proferat & partibus externis abundãtior insit. Quippe dum maximâ illius copiâ Cor, & vasa maiora ei vicina largius abundant, in totum corpus quaquauersum liberè diffunditur: atque tunc vigilia est, externique sensus functiones suas exercẽt. Cùm verò iam maxima portio eius quod viscеribus erat superfluum, per vigiliam fuerit absum

Lib. 2. de generat. & corr.

Lib. de somno & vig. lib. 2 de part. anim. & in probl.

Lib. 1 de causis sym. cap. vlt.

Lib. 1. de somno & vig. cap. 11.

absumpta reliquum à centro non nisi ægrè recedit: tuncque somnus fit, omnium maxime naturalis, per quem nouus parari solet commeatus. Ergo tum temporis somnus vrget, cùm influens calor paucissimus nequit sensuum organis sufficere, eiusq; minima portio corporis extrema vix pertingit. Neque enim video cur illum aut intro recurrere, aut à viscеribus ipsis reuocari dicamus, quũ nec partes nostri corporis, nec facultatum commune instrumentum, ratione valeant. Quin potius fluuij modo (nam & flumini calorem influẽtem, vti etiam ignem, recte cum Aristotele compares) vbi excreuit, inundat: alioqui verò gurgite paruo continetur, nec à fonte suo longius recedit. His ita cõstitutis, non erit difficile (meo quidem iudicio) assequi, vnde accidat vt ventriculus per somnum imbecillius agat. Scilicet, quum in dormientibus calor influẽs Cordis viciniam deserere nesciat, sed venis & arteriis maioribus velut inclusus contineatur, illius fauore destituitur ventriculus, nõ minus quàm extimæ partes. Ast nisi accedat qui perpetuo influit, & per arterias præcipuè communicatur, insitus calor nihil aut parum admodum valet. Quamobrem vigilãs plus ciborum concoquit sex horis, quàm dormiens horis duodecim. Propterea & matutina vigilia, & exercitio adhuc egemus, prius quàm sit prandendum. Et nisi quis à cœna per aliquot horas vigilet, vt coctio maiore ex parte fiat, eiusque primordia (quod est totius operis difficillimũ)

Lib. de iuuent. & senect.

probe iaciantur, antequam somnus occuper, neque recte coquet ventriculus, neque placida erit dormitio: præsertim si multa, coctuque difficilia ingesta fuerint. Vnde constat, cibos perui gilio vinci præcipue, vt Plinius annotauit. Quod etiam vulgus nouit, à cibo digestionē (sic enim ventriculi coctionem appellat) de ambulatione conciliare suadens. Id verò iandiu à medicis ac Philosophis quorum talis fuit opinio) acceptū, & velut per manus deinceps traditum, ad hæc vsque tempora obseruatum, vt alia multa recte consulta, & iam inde consueta, putamus. Atque ea est prima potissimaque ratio, quare ventriculus per somnum minus quoquere valeat: caloris influentis paucitas, videlicet. Alteram nuperrimè excogitauimus, quam quod spernenda non videatur, hic adiicere placet. Ea est de ventriculi vario situ in dormientibus ac vigilantibus, cuius quidem ratione fieri potest, vt cubantes multò difficilius & tardius coquāt, quàm vel deambulantes, vel stantes, aut etiam sedentes. Quippe lecto prostrati alio situ ventriculum dispositum habent, alio qui recti sunt. His verò alimenta fundum magis premunt: qua parte quum sit carnosior, perfectius concoquere valet. Cubantibus autem cibus latera potius arripit, dextrum aut sinistrum, anterius vel posterius, pro vario decubitu. Ex quo fit vt ventriculi os superius (στόμαχον sæpe vocat Galenus) parum absolute claudatur, magno coctionis incommodo. Dum verò ad ventriculi fundum cibus, vel ipso

Lib. 11. cap. penult.

ipso pondere insitaque grauitate, plurimum deuoluitur, superiora exactius cōstringi possunt. Cuius rei probationem si quis velit à similibus explorare, id in vesica, vtre, sacco, aliisque vasis, quorū latera cōsidere queunt, experiatur: nempe ex vario situ quū plena fuerint, os hiare, vel claudi facilius. Isdem succussio idem quod nostris ventriculis solet præstare: nimirū vt ad sundum transmissis cōtentis, nullo negocio claudatur orificium. His autem quæ sensuali demōstratione satis comprobata esse putamus, illud quoque suffragatur, quod paulò ante proditum est, minus concoctionē ventriculi labefactare somnum diurnum qui à non cubante captatur. Sedens enim, vel cubito innixus, si somno indulgeat, quia rectum habet ventriculum, præstantius multò concoquit alimēta, quàm si eundem inclinatum sortiretur. Ob id siquidem, etsi nō dormiant, tardius ac deterius coquunt ægri ex cōtinuo decubitu: quia, scilicet, iis iacentibus fundum nunquam satis premit cibus. Cum primū verò stare, aut deambulare, vel etiam sedere incipiunt, tum melius appetunt & perfectius concoquere videntur. Porrò ventriculi fundum, quod sit carnosior, cæteris partibus esse in coquendo efficaciorē, mox constabit, ex eo quod animalia crassiore ventriculo donata, vt aurium genus, solidissima quæque subigere deprehendantur. Ad id verò explicandum (quod etiam summus polliciti) iam aggrediamur.

Calor influens, qui natiuus quoque dici solet,

let, spiritus nomine plærũq; significatur, quod in materia prætenui consistat. Eius verò quandam esse proprietatem, qua mira coquendi facultas in quibusdam animalibus exerceatur, iã olim creditum est, & à Galeno obiter significatum. Neque id temere pronunciatum esse, posteritas sibi facile persuasit. Qua enim ratione fit, vt fruges aridissimas & præduras minutæ aues conficiant, lapillos & sabulum gallinæ subigant ac mutent, coturnices veratrum coquant, & sturni cicutã, quæ nobis prorsus inuicta sunt & indomita? Nunquid Struthiocamelus vehemẽtioris caloris opera concoquere ferrũ valet? Atqui leo, qui Struthiocamelo multò calidior censetur, id non effecerit, vt respondet Aphrodiseus. Vnde possis inferre, non vi & ardore caloris, sed tota substantia, ipsóve temperamento, & certa proprietate ventriculi actionem perfici. An genus auium fœlicius coquendi facultatẽ exercet, quia cæteris animantibus longè carnosiorem ventriculum magna ex parte sortiatur? Quum enim eo nomine plurimum caloris natiui contineat, solidiora quæque superare potest. Caloris verò plurimum intelligi volo in eo significatu quo scripsit Hippocrates, τὰ αὐξανόμενα τὸ θερμὸν ἐχειν πλεῖστον τὸ ἔμφυτον, nõ caliditatis excellentiorem gradum. Cęterum, nullam esse caloris aut spiritus proprietatem, sed eius efficaciam certæ mediocritati aut temperationi deberi præter iam dicta hoc satis probat, quod gallinæ ouis alienis, vt anserum & perdicum, incubantes, anserinos atque perdicinos pullos excludant. Nonne si aliqua esse debet caloris proprietas, gallina suæ tantum speciei ouis incubãdo proficiet? Atqui sola caloris mediocritas id præstat, quæ facultates in ouo latitantes, ac velut interceptas mouet & excitat: & quandiu partium corporis formationi incumbunt, sua præsentia fouet, ne à frigore externo præpediantur. Idcirco non solum alterius ac diuersæ speciei volucris, sed etiam furni, aut fimi tepens caliditas (quod in nonnullis regionibus fieri narrant) pullos excludere creditur.

Lib. 2. de fac. nat. ca. 8.

In præm. suorũ prob.

Aph. 14. lib. 1.

De caloris natiui miraculis, pluribus hoc loco differerem, & febrilem quoque ad noxiorũ humorum coctionem valere, eúmque natiuum (non minus quam temperatum) dici debere, contra vulgarem Medicorum sententiam, ostẽderem: sed video me βραχυλογίαν initio pollicitã coactum excecisse: atque tibi molestum fore in artis nostræ occultiores scopulos incidere, cui satis esse potest quæ ad salubritatis tutelam faciunt, perfecte assequi. Itaque finem dicendi facio, hoc vnum exorans (vir humanissime) vt si quid vel obscurius, vel minus probabile dictum offenderis, id per tuum PERRINVM mihi significes. Luculentiorem enim ac fusiorem meæ sententiæ explicationem confestim habebis. Vale, ô candoris & probitatis exemplar, meque vt cœpisti ama.

AD revulsionem faciendam inutilem esse fibrarum rectarum in venis observationem: Ad DD. MICHAELEM HEROARDVM, *illustrissimi Principis Condensis, &* GELIBERTVM CASANOVVM, *invictissimi Regis Galliarum, & sereniss. Principis Navarræ præstantissimos Chirurgos, apud Monspelienses sua arte clarissimos.*

PARADOXVM IX.

QVOD piæ memoriæ ANTONIO CHALMETÆO, de chirurgia optime merito, olim dicaveram paradoxum, tam visum est vobis nuncupare: vt quando satis est difficilis nodus, in eo dissoluendo vterque vestrum manus conferat. Scio tamen singulos id non magno labore exequi posse, vt doctrina & iudicio excellitis. Verùm quos fraternus amor tam arctè coniunxit, putaui etiam in communi negotio occupandos. Neque vero est quod vereamini, vos ANTONII CHALMETÆI manibus iniurios fore, si quod illi fuit oblatum, excipiatis, siquidē mors illam prius sustulit (vt conicio) quam in lucem emitteretur. Alterū illi relinquo, huic subiiciendum,

dum, vt quanti illum fecerim dum viueret, testatum relinquam. Porrò quid hac enarratione persuadere velim, paucis accipite. Vulgatissimum illud est, in revulsione facienda obseruari debere quandam rectitudinem: quam ad vasorum fibras omnes referunt. Ego verò eam interpretationem improbandam & explodēdam censeo, nec Hippocratis aut Galeni (qui illud primi docuerunt) sensis conuenire: sed ridiculam prorsus fictionem esse contendo: vt qui τὸ καθ' ἕξιν aliò quàm ad villorum ductum referendum existimem. Quibus argumentis rem confirmem, explicabo, atque ita vniuersam ratiocinationē proponam, vt facillimum sit meas cum aduersariorum rationibus conferre: atque inde percipere, quàm male antiquiorum bene dicta à multis (alioqui doctrina & ingenio valentibus) interpretentur ac detorqueantur. Sed iam ad institutum aggredior.

EVACVATIONVM triplex genus à Medicis constitui solet, quorum primum est revulsio retractióve, Græcis vocata ἀντίσπασις. Hæc fluentem aut mox fluxurum humorem sistit, dum aliò reuocat. Hac vti consueuere morbis incipientibus, vt humor iam motus retinetur, saltem cohibeatur, ne in partes quas petit, vehementiore irruat impetu. Nam cùm fluxio sensim fit, eam melius ferunt particulæ nostri corporis omnes: quia paulatim ei assuescunt. Huius quoque remedij vsus est, nondum incipientibus malis: ad futurorum scilicet, quibus

Universidad de Deusto
Biblioteca

obnoxij sunt nonnulli, præcautionem. Euacuationis modus alter Græcis est παροχέτευσις, latinis Deriuatio appellatur, fitque dú humorem in partem iam delapsum euellimus, & mobilem adhuc in vicinum latus traducimus, aperta ea vena quæ in affectam partem inseritur: per quam ea modò alimentum capesſit, modò noxium humorem influentem excipit. Quocirca, cum iniecto scalpello ea vena præciditur, pars multitudine defessa, illac onus suum abiicit. Eo remedij genere φλεγμονῶν incrementis medemur, dum fluxio maxima ex parte facta est, & humor membrum' occupat. Galenus hanc distinctionem paucis complectitur, inquiens: Fluentium humorum, retractio: eorum qui iam membrum obsiderunt, deriuatio medela est. Tertia & postrema euacuationum species, generis nomen retinet, & absoluta euacuatio dici consueuit. Sic autem propriè vocant humoris impacti, & qui nulla arte retrahi vel retrocedere potuit, per ipsummet locum affectum extractionem atque inanitionẽ. Huic locus est in morbis inueteratis, & alijs omninò factis qui ad suæ durationis statum peruenêre. Tunc siquidem ex ipsamet laborante particula fieri debet contentæ & nocentis materiæ eductio. Præter has tres euacuationis formas, simplex nulla est. Nam qui quartam cõstituunt, hanc ex duabus primis efingunt, morbisque dedicant quorum pars facta est, pars sit adhuc: quandoquidem fluxum humorem reuocat, retinétque fluentem. Ea vtuntur in affectibus qui à sanguinis qualitate vel quantitate agitati fluxione pendent: sed præcipuè quum phlegmone fieri cœpit, vt pleuritis. Nam in omni inflammatione studium vnicum esse debet, monente Galeno, vt celeriter à parte læsa tum reuellamus, tum deriuemus. Id verò per eandem venam sæpe fieri, ex Hippocratis doctrina colligimus, quum iubeat in pleuritide non prius à sanguinis detractione cessare (dum modo vires ferant) quàm is colorem immutet. Hoc autem significat, humorem in loco inflammationem patiente collectum, vacuari: quod sanè deriuationis proprium esse videtur. Porrò simul eadémque opera cum reuulsione fit, dum ex parte quidem opposita, sed non valdè remota, perficitur. hoc enim deriuationi, illud reuulsioni debetur. Verùm, si quis rei veritatẽ attentiùs examinare velit, illa diuersis temporibus, non eodem momento, fiunt. Nam is prior exit, qui ad partem fluebat sanguis: alius subsequitur, qui partem affectam, vel huic proximam regionem, iam obsidebat quiescens. Id distinctè apparet, quum ob virium imbecillitatem partienda est sanguinis per eandem venam detractio. Quod enim prima vice fit, reuulsio tantum dici meretur: quod reiteratione accidit, est deriuatio. Cæterùm reuulsionis, deriuationis, & peculiariter vocatæ euacuationis modi varij sunt. Siquidem ea fieri possunt phlebotome, cucurbitulis, hirudinibus, frictione, ligaturis, calidis

Lib. 2. ad Glau. cap. 2.

Lib. de vsu part. artis.

dis fomentis, vesicatorijs, causticis, vlcerationibus, setonibus, medicamentis catharticis pituitam & bilem vtranq; vacuantibus, vomitum prouocantibus, vrinas sudoresq; cientibus, ac alijs infinitis remediorū generibus. Ast siue reuulsionē, siue derivationem instituas, nullū est eo quod per phlebotomē fit (quibus saltē conuenit (præstantius: idq; duplici nomine, vt Galenus admonet. Primū quia duo hæc iunctim, id est vnius venæ sectione, cōmodè exequi possumus: reuulsionē dico, & derivationem. Secundò, quia facile est quū volumus huiusmodi euacuationem sistere, nō aliter quā si in manu positas habenas teneremus. Purgationibus verò sic imperare nō licet, neq; assumpto pharmaco leges dari possunt. Sed hæc missa faciamus: ad institutum propius accedere nos decet.

Lib. de sang. miss. adu. Erasist.

De reuulsionis natura esse volunt, vt ad oppositā loca fiat retractio: siquidem illā definiūt, illabentis humoris tractum in cōtrarium, quo nihil citius fluxionis impetum cohibet. Sunt autem oppositæ regiones in omni corpore, superiores inferioribus, internæ externis, dextræ sinistris, & anteriores posticis, quæ vulgatos medicis diametros per longitudinem, latitudinem, & profunditatem cōstituunt. In his fibrarum quādam rectitudinem curiosè magis quā necessariò obseruat, dum in reuulsione faciendā non laudant eā quæ transuersim & obliquè humorem auertit. Sic Fernelius: Nomine quidem contraria sunt, antè ponè, ad dextram ad lęuam

lęuam, sursum deorsum, intro foras: cæterùm in humorum reuulsione, ne illa quidem contraria sunt, nisi & fibrarum venarúmque rectocursu collocentur. Pleuritidi dextræ nequaquā cōtrarium est latus sinistrū at inflammato cruri dextro contrarium est sinistrū. Hinc enim cōmunis & directa venarum societas, per quam sinistrum crus incisum euocat è dextro: at è dextro latere nulla vena rectis fibris in sinistrum concedit. Proinde huius secta vena, dextram pleuritidem non adimit. Et paulò ante: Aperta vena primùm quidem pars vulneri propinqua exinanitur: hæc dein è longinquis sanguinem prolicit: quumque id rectarum fibrarum ope compleat (illas siquidem trahendo natura destinauit) plus sanguinis & expeditiùs ab iis partibus in quas fibræ diriguntur, quàm à cæteris eripiet. His verbis Fernelius, vulgarem scholæ sententiam de villorum tramite obseruando, à se probatam, elegantissimè, vt omnia, expressit. Ab aliis hoc dissentire videtur, quod non recipiat, dextro lateri sinistrum, & cōtrà, per ἀβλωβίαν opponi: quin potius Hippocratis autoritate citata defendat, in quauis pleuritide ab eo latere quod dolore affectum est, sanguinē mitti debere. Vesalium autem plærique sequuti, quoniam ἄζυγος vena tota est dextra, vt docet anatome (& proinde cum venis brachij dextri rectitudinem habet) quum pleuritis aliquam ex nouem costis inferioribus (quę omnes ab ἄζυγος ramum habēt) occupat, interiorem dextri cubiti

Universidad de Deusto
Biblioteca

cubiti venam secãdam esse volunt, etiam si dextrum latus non doleat. Sin vnam trium superiorum costarum inflammatio teneat, eiusdem lateris vena tundẽda est & pro dextra quidem pleuritide, dextra: pro sinistra verò, sinistra aperitur. Hinc colligas de eorum sententia, dextras partes cum sinistris modò habere, modò ea carere, quàm studiosè obseruandam præcipiunt in venis filamentorum ἀνευρύσμων. Nam & in cruribus, si vnum laboret, alterum scarificare iubet Galenus, benè seruata (vt interpretantur) recta villorum serie, quam in vno quidem diametro reperiri asserunt, in duobus verò nunquam. Propterea, per duos simul diametros reuulsionem vnam instituere, ab omnibus vitio vertitur. Per vnicum autem diametrum reuulsio illis nuncupatur, quæ solum à dextris ad sinistra, vel à supernis ad inferna progreditur: vt si brachio dextro laborante, sinistrum scarificetur, aut eiusdem lateris femur. Sin cruris opposiri vena tũdatur, per duplicem diametrum fit transitus, nempe à dextris ad sinistra, in quibus obseruatur latitudo, & à superioribus ad inferiora, quod est longitudinis. Istiusmodi reuulsiones meritò improbant, qui ad opposita quidem, sed tamen κατ' ἴξιν humores retrahendos esse volunt: atque eo nomine significari putant, per binos diametros transeundum non esse. Eius verò oppositionis quæ à dextra in lęuam fit, rationem afferũt ex sibi persuaso fibratũ recto ductu: Galeni quo

Lib. 13. meth. med. cap. 5.

quoque, viri in medicina summi, haud temerè spernendam autoritatem proponunt. Ast de ea quæ in eodẽ latere à supernis ad inferna & contrà, obseruatur, prẽter iam dictas rationes, plurimis euentibus experientiã confirmatã proferunt. Nam (vt etiã Galenus multis in locis narrat) in spõtinis euacuationibus, & à natura fieri solitis crisibus, quę ab latere partis peculiariter ac primùm affectæ fiũt excretiones, morbos solu unt: vt potè si patiente iecore sanguis è dextra nare erũpat, vel dolẽte splene, ex sinistra. Quũ enim res secus se habet, vel nihil omnino confert euacuatio, vel etiam nocet: quia relicta nocente materia, melior & laudabilis, quæque viribus conseruandis necessaria est, exhauritur. Medici eo experimento admoniti, naturæ (cuius ministri sunt) opera imitantes, probarunt reuulsiones fieri celeriùs, tutiùs, atque commodiùs, dum certa rectitudo seruatur in euacuationibus. Quippè à nocẽtis humoris copia mox ęgri subleuãtur cùm hoc fit, & melius habent. Est autem ea rectitudo, vt interpretantur, non qualem describunt Mathematici, exacta, sed tantum anatomica, ex villorum seu fibrarũ (quibus venæ & arteriæ cõstant) recto tramite & ductu: cuius ratione vasorum quendam consensum ac communionem seruari existimant: hanc verò facilioris attractionis causam esse dicunt. Atque sic accipienda putant Galeni verba, dum inquit: Fluentium humorum, retractio: (sic enim nominat Hippocrates) eorum autem

Lib. 2. ad Glauc. cap. 2.

Universidad de Deusto
Biblioteca

« autem qui iam membrum obsederunt, deriua-
« tio medela est. Vtrumque autem euacuationis
« genus per communes venas fieri præcipit, &c.
Hic communes dici arbitrantur, quæ directam societatem fibrarum rectarum ductu obtinuerunt, quæque perpetuò recti staminis ordine connectuntur.

Hæc sunt quæ neotericorum medicorum præstantissimi de seruanda filamentorum rectitudine in reuulsionibus faciendis, præsertim ad valdè remotos locos, prodiderunt, Hippocratis illud κατ' ἴξιν & Galeni ὀδυνηρόν male (vt opinor) accipientes, dum veterum scripta in suam sententiam detorquere volunt. Eam fibrarum rectitudinem Amatus Lusitanus irridet: sed dum potiorem quærit rationem, ipse magis quàm alij ridiculus fit. Nam fatetur quidem per reuulsionem humores extrahi: sed nullum « ad id fibrarum vsum esse vult. Quia quum san-
« guis confusè in vena pureali, caua dicta, con-
« tineatur (inquit) per canalem quoque predictæ,
« venæ confusè extrahitur, minimè verò per vil-
« los ac fibras. Et paulò post à Brissoto excogita-
tam de arboris filamétis similitudinem ridens,
« ait: Si arbor perforata esset, in cuius cauitate a-
« qua contineretur, proculdubio parum villi aut
« fibræ agerent, vt magis vna ex parte quàm al-
« tera extraheretur. Deinceps multa ineptè com-
miniscitur Lusitanus, sensibus etiam imponens, vt inauditam & à se inuentam mittendi sanguinis ab eodem latere in pleuritide, causam red-

Comm. 1. sect. 1. lib. 6 epidem.

Centur. 1. curat. 51.

dat. Ego verò fibrarum vtilitatem maximam esse recipio in quauis euacuatione facienda, siue ea fit reuulsio, seu deriuatio: quum venæ sanguinem contineant, non more vasorum anima carentium (vt per illas veluti per lapideos canales, huc & illuc distribuatur, quod in Erasistrato reprehendit Galenus) sed aliorum instrumentorum vita præditorum modo, quæ facultatibus suis naturalibus vtentia, attrahere possunt atque expellere. Triplici enim fibrarum genere venarum tunicæ contextæ sunt, vt docet anatome. Ex his verò rectè faciunt attractionem, obliquè retinent, transuersæ expellũt, idque naturæ quodam instituto. Quæ si vera sunt, non obscurè villorum diuersorum opera confundunt, & rei naturæ contradicunt. qui rectarum fibrarum obseruatione meliorem fieri reuulsionem ob id asserunt, quòd ijs potissimũ accepta referatur actio. Inquiunt enim: Facilior humoris ad ægram partem confluentis, aut cõfluxuri, reuulsio ac deriuatio fit, perpetuò rectarum fibrarum consensu, atque adeò venarum communitate obseruata: rectis nimirum fibris trahentibus ac veluti exugentibus, vt loquitur Fuchsius. Siquidem venæ (inquit) ad sanguinis versus impactum ipsis vulnus, & dolorificam ligationem, frictionémque, aut calentem aquam, attractionem suis rectis fibris plurimum auxiliantur, &c. Quasi verò ô Fuchsi, ex cretiones, & quæuis sanguinis eruptiones, expultricis facultatis (quæ trãsuersis tantùm fibris

Lib. de vsu puls.

Com. in cap. 16. lib. de sang. miss.

r agit

agit) opera non fierent? Nunquid ad vulneratam, aut ex ligatura dolentem particulam, tractus potius quàm expulsus sanguis delabitur? Id nobis absurdissimũ videtur: quippe qui persuasum habemus, præ dolore humores non attrahi, sed diffluere, quum partes vicinæ ei quæ læsa est velut opem adferre cogitant. Humorem enim suum protrudunt: huic necessariò succedit alius atque alius, vnde fluxus continuò adaugetur. Vel (quod verisimilius est, ne particulis rationem & intellectũ attribuamus) dolentes ipsæ ad rei quæ infestat expulsionẽ sese contrahunt: compressis elabitur humor, & vel nolentibus effluit, à vicinis autem, quæ ex cõtinuitate etiam dolere possunt, continuo successu alius illabitur. Id quoquo modo fiat, præter vim expultricem, nullam humoris educendi causam inuenies. Atqui ea non rectis, sed transuersis vtitur fibris, vt omnibus cõfessum est. Perperam igitur de his suam reuulsionem illi extorquere volunt, quæ non nisi excretione absoluitur. Hæc nondum admittent, opinor, qui dolorem & calorem attrahere posse existimant, atque sanguinis salubrem euacuationem (quæ à partibus affectis materiam auertere creditur) rectorum staminum attrahentium operâ fieri contendunt. Sed iam respondeant: cùm affecto iecore, dextra naris vtiliter sanguinem stillat, id cuius facultatis est opus? Humoris noxij criticè factam expulsionem esse fateberis: & quod in dextra regione, in qua viscus affectum est,

Hæc opinio explicatur parad. 8. dec. 2.

est, accidat ea ratione prodesse, & ægrũ à morbo leuare. Quid igitur recta filamẽta causaris, si transuersis debetur excretio: ea verò sola est quæ morbum hîc soluit, dum procul, & in partem oppositam, materiam extrudit? Nam inde reuulsionis modus à medicis naturæ imitatoribus, institutus videtur, quo eiusdem lateris tantùm obseruandam consensionem voluere. Dices: à transuersis quidem fibris propriè fit nocentis materiæ expulsio: verùm non alio quàm villorum rectitudine humoris fluxus ad destinatam narem dirigitur. Siquidem venæ ab iis partibus in quas rectà fibræ tendunt, expeditiùs multò quàm à cæteris sanguinem eripiunt: atque, etiam si nihil traherent venæ, humores tamen (inquies) sponte sua recto fibrarũ cursu defluent. Sed non video qua ratione opinionem istã defendas, quũ in venis rectarũ fibrarũ copia sit hinc & inde, quæ nullo delectu ad vtramuis partẽ humores deuehãt. Nam qui hepate aut liene affecto per nares effluit sanguis, is venæ cauę trunco amplo continebatur. In eo verò sunt fibræ per totam longitudinem directæ, atque sibi cõtiguę toto circuitu: neque vlla est villorum rectorũ in dextros & sinistros diuisio. Quî fiet igitur, vt laudato sanguini permista & prius confusa materia, ex vena caua in hanc vel illam narem, per fibrarum rectitudinẽ scilicet rectà mittatur? Splene laborante, qui è nare sinistra profunditur sanguis, eò fibrarum rectarũ, quæ in vena caua sunt, operâ (vt putas)

Universidad de Deusto
Biblioteca

deducitur. Quid? nonne dextra eiusdem venæ pars sinistræ similes fibras habet? quid obstat quo minus earum ductu ad suæ regionis & lateris dextri narem sanguis non deferatur, quū is in vena confusus non magis dexter quam sinister videatur? Nam hoc comminisci: venæ cauæ sinistram internámque superficiem solam, non alias venæ particulas, materiam corruptam reliquis humoribus impermixtá attingere, & per eiusmodi semicanalem ad sui lateris narem percurrere, somnio proximum esse iudico. Quanto satiùs est dicere, venâ excretionem molestantis humoris moliente, fieri transuersarum fibrarum ope contractionem, qua vasis pars hæc in proximam sese exonerat. Quum verò ad venæ diuisionem peruenerit humor, eum potius ramum subit qui parti affectæ è regione est: quandoquidem ab ea motus impetúsque initiū cæpit. Quumque id perpetua serie ad extremum vsque ramulum continuetur, quędam rectitudo seruari videtur. Non aliter sanè excretionem faciunt venæ, quàm vēticulus vomitionē. Hanc verò Galenus fieri docet, soli stomachi & gulæ exteri oris tunicæ fibris trāsuersis cōtextæ operâ. Si ergo transuersorū villorū actione sanguis ad nares facilè transmittitur, qui necesse est rectos in auxilium vocari: præsertim quum nulla sit hic attractio, cui eos natura præfecit? Neminē adeò ineptum esse arbitror, vt sanguinē illum à naribus ipsis trahi suspicetur. Neque admittēdum censeo, humorē in parte

Lib. 3. de facult. natur. cap. 8.

te affecta contentum, & morbū ipsum proximè efficientem, ad partes adeò remotas atque sunt nares, transferri: quū potius per ipsammet partem affectā, aut quàm proximā, materia quę continentis causæ appellationē sortitur, expurganda veniat. Sunt verò meatus propinquiores excernendis excrementis bellè accōmodati, hepatis quidem simæ regioni vena porta, & gibbę emulgentes venæ à caua trahentes: splenī verò mesarei venæ potissimū inseruiunt. Proinde nō est quòd longè dissitā partē corruptus sanguis petat, cùm citiùs multò & expeditiùs alio exonerari possit. Adde quòd eiusmodi excretionē non patitur, venarū perplexa & longa distributio à dictis visceribus ad nares vsque præter id quod humoris corruptissimi permixtio, sanguinem massam labefactaret: & in ea confusus, ægrè à natura secerneretur, excerneturque. Qualis igitur sanguis est qui per crisin ad nares ascendit, & cuius vacuationē mox salus consequitur? Non sanè qui impactus est, & facit inflāmationē, sed alius: nimirum qui ex symptomatica febre continua in venis exardens, & à propria temperie inuitum mutatus corruptúsque, ebulliendo inflabat atq; distendebat vasa, nō sine magno totius corporis dolore ac tędio. Nā hinc fit maxima illa inquietudo, & velut cōtusionis sensus. Is (inquam) ille est sanguis, qui dū tandem morbū natura superat, naribus sæpe abundè reiicitur. Id verò experientia confirmatū habetur, crises optimas esse (vt à quibus staR 3 tim

Universidad de Deusto
Biblioteca

tim ægri melius habeant & leuentur) quũ è regione loci affecti fluxerit humor. Vnde Galenus dextra hypochõdria (inquit) ex dextra nare bonam iudicationẽ afferunt, sinistra verò ex sinistra. Huius euentus rationem ex filamentorum recto oxdine petunt, qui nõ vident ista minime per attractionẽ (cui rectæ fibræ inseruiunt) sed per excretionem, & transuersorum villorũ ope fieri. Qui præterea nesciunt, materiam quæ in eiusdẽ lateris narem peruenit, eã non esse quæ in partem inflãmata cõtinebatur. Verùm quàm sint à veritate alieni, superius abundè mõstratum est. Quænam est igitur tam admirandi effectus ratio? quæ à natura delecti ad euacuationẽ loci commoditas? cur id tam religiosè, nec frustrà (vt experimenta docent) in crisibus obseruari videmus? Eius rei causam ad rectitudinem quidem refero, sed non ad eam quæ venarum filamentis à vulgo medicorum tribuitur. Imò quam Hippocrates & Galenus ἴξεως καὶ ἐνθυσείας dictionibus significarunt, quámque nunc demum explicare aggredior.

Lib. 3. de crisi. cap. vlt.

Corporis partes omnes veluti quadam socia li amicitia iunctas inuicem cõsentire ac compati, à medicis iandudum receptum est ἀξίωμα. Id autem fieri putamus, nõ solùm quia rarior textura calori & spiritui, singularũ actionum opificibus, transitum permittit (vnde fit certa naturarum cõmunicatio) verùm etiam quòd forma eadem præsit omnibus, in qua dum singulæ partes conueniunt, affinitatem atque cognationem

tionem habere videntur. Porrò diuisum & bipartitum corpus est, non modò vt gemina essent membra, & quum vna parte laboramus, altera minimè deesset officio: sed etiã vt vnius loci affectus vniuerso corpori minus obesset. quod sanè accidit, dum in suæ regionis suíve lateris partibus sistitur, vt vlterius progredi non possit. Hac equidem ratione fit, vt dextra cũ dextris & læua cum læuis maiorem quàm cũ oppositis συμπάθειαν & consensum obtineant. Demonstratum multoties à nobis est, inquit Galenus: hoc quoque ab Hippocrate rectè esse dictum: quod necesse sit particulas secundum rectitudinem sitas, plus inuicem frui ac potiri. Ob id si phlegmone iecur occupat, dextrum omne corporis meditullium plus mali quàm sinistrum percipit. Quòd si ob febrem quæ morbum comitatur, totum corpus condoleat, & dextra pars non magis quàm sinistra (sedem affectam excipio) ægrotare videatur: in hoc sensus penè obrutus cruciatu fallitur: at ratio benè arguit, alteram partem alterâ plus affligi. Sed rarò accidit, vt non facilè dignosci queat, vnius lateris partes omnes magis quàm alterius affectas esse. Ergo, si in morbo quem supponimus, dextra grauius torquentur, ob consensum quem facit vicinia, vt crisis (post diuturnum naturæ aduersus morbi materiam conflictum) naturam superiorem esse demonstret, meritò ex dextra regione sanguis erumpit. Nam eo euentu docemur, corporis

Lib. 14. de vsu part.

totius validum esse robur, quando partes quas vi morbi omnium imbecillimas reddi par est, noxiã materiam excernere potuerunt. Quid enim? si dextra regio magis quàm sinistra morbo grauabatur, nunc verò humorẽ superatum extrudere valet, iam de morbò triumphans: quis non optimè de ægri salute sperabit? quis non dicet, in aliis validum esse robur, quum id afflictis magè particulis non defuerit? Eo certè nomine excretiones per eandem regionem fieri solitæ, meliorem crisin denotãt, & morbi integram solutionem faciunt, vt hactenus obseruatum est. Significant enim facultatem, quæ in peius affecta parte debilior erat, morbi materiam vicisse, dum in suo latere facta eruptione, sanguinem mali fomitem extrudit. Quòd si dolente iecore, naris sinistra αἱμορῤῥαγίαν pariatur, dextri lateris vires languidas nimiumque fractas esse coniiciemus, & ne morbo tãdem succumbat æger verebimur. Hoc saltem necessariò futurum dicemus, vt talis euacuatio nihil ægro proficiat. Id enim portendit, naturam nondum humorem superasse, nec breui superaturam, vt quæ inutili excretione magis ac magis debiliteur. Nam sanguis ex opposita nare profluens, neque vt signum, neque vt causa prodest, quum partis eius de cuius vi maior est dissidentia (vt ad quam præcipuè morbus ipse pertineat) robur non indicet: & minus impurum humorem fortè retentricis facultatis errore, euacuet. Præterea, dextri lateris maior est ple

plenitudo quàm sinistri: quia humorum confluxus ad dolẽtem particulam vndiquaque fieri solet: ea verò potius inanienda pars videtur, quæ magis grauata est. Quamobrem rectè sentiunt, qui ab opposito latere factam sanguinis eruptionem improbant, quum non modò inutilis, sed & damnosa (quia morbum producit) videatur. At malè iudicant, qui huius effecti occasionem ad filamentorum ductum referunt, & fibrarum rectarum operâ melioré fieri euacuationem existimant. Nam cur ex nare sinistra factam αἱμορῤῥαγίαν dũ hepar laborat, damnabunt, si spontanea & facilis est, quamuis fibrarum illa rectitudo quam prædicant minus obseruetur? Nulla proculdubio est fibrarum rectarum in facienda euacuatione obseruationis ratio, quum vel vltrò in eiusdẽ lateris venis rectitudo sese offerat. Sed neque ea est quam veteres (à quibus hoc accepimus) seruãdam præceperũt. Attractionis vocabulo medici nostri abutũtur, dum reuulsionem explicant, eâque ratione perperam de fibris rectis mentionem habẽt. Quod si reuulsionem, vt omnis generis euacuationes, sola excretrice vi fieri cogitarent, hanc non aliis quàm trãsuersis filamentis attribuerent. Cæterùm de reuulsionis natura præcipuè est, vt ad partem oppositam humores euacuans diuertat, quantum rei natura patitur. Nam à superioribus ad inferiora, vel media, & contrà, in eodem latere, omnium commodissimè fieri reuulsio solet. Item, ab anterioribus ad posteriora: vt cùm

Universidad de Deusto
Biblioteca

Aph. 68. lib. 5. dolenti partem capitis posteriorem (de Hippocrātis cōsilio) in fronte vena secatur. Ab internis quoque ad externa, & contrà, reuulsio fit, in eodem semper latere. A dextris verò ad sinistra, & contra, non semper fit congrua pro reuulsione oppositio: ea tamen in crurum affectibus locum sortitur, vbi defluxio morbi causa est. Nam quū à superioribus per venam cauam defluens humor, ad eiusdē venæ bifurcationē quæ in lumborum regione fit, peruenerit, qui ad dextrum ramum tendere solebat, haud difficulter in sinistrū illabitur, si à reuulsorio remedio inuitetur. Cogitur enim nouā ingredi viam, pristinæ obliuisci. Alia ratione fieri non video, vt ab hoc latere in aliud humores promptè reuelli queant scilicet à dextra manu ad sinistram, & contra. Ob id cùm Galenus dixit, altero crurum male habē te reliquum scarificabis: manu laborante, non reliquam, sed crus scarificandum iussit: vt nobis ea obseruetur corporis rectitudo (& inde nata partium consensio) quam ipse eleganter εὐθυωρίας dictione exprimit, dum Hippocratis illud κατ' ἴξιν, & κατ' εὐθύ, interpretatur. Hippocrates enim prior his dictionibus vsus est, quæ significant eiusdem lateris ac è directo, si Galeno credimus. Sic enim passim explicat, nulla de fibrarum ductu mentione facta. vt in sentētia quam paulò ante citauimus, vbi inquit: Demonstratū nobis sæpius est, ab Hippocrate rectè dictum fuisse, quod partes κατ' εὐθὺ sitæ, necessariò plus inter sese communicant & struuntur. Et in linguarum

Lib. 13. meth. med. cap. 5.

Lib. 14. de vsu par. cap. 7.

guarum Hippocratis expositione, ait ἴξιν significare εὐθυωρίαν κ' ἀριξιν. Et alibi: Hippocratem ἴξιν vt plurimum quidem εὐθυωρίαν, id est rectū tramitem, interdum autem & φορὰν id est delationē, dicere non ignoramus. In libro de fracturis, ἀὐ τὴν εὐθυωρίαν ὀνομάζῃ, (inquit) ποτὲ μὲν τὴν κλῖσιν τὸ μῆκος τοῦ σώματος, ἐνίοτε δ' ὅτε τῶν κλῖσιν τὸ πλάτος. Et paulò post: τὴν κλῖσιν τὸ μῆκος ἴξιν ἀκριβῆ προσήκει νῦν Sed quænam rectitudo in faciendis euacuationibus ex Hippocratis sententia obseruanda sit, apertè docuit libro ad Glauconem dum inquit: Si in parte dextra locorum passio fuerit, à dextra manu aut crure detraxeris sanguinem: si verò in sinistra, à membris quæ illi è directo sunt. Τὸ δὲ κατ' ἴξιν ὑπ' αὐτοῦ λεγόμενον, αὐτόθεν τὲ ἐχει τὸ κατ' ὀρθότητα, id est secundum rectitudinem, vel è directo. In libello cui titulus est de curandi ratione per phlebotomen, euidenter sententiam nostrā confirmat, Hippocratis illud κατ' ἴξιν explicans, vt eius verba epilogi vice huc transferri possint. Quæcunque sanguinis eruptiones (inquit) κατ' ἴξιν fiunt, maximam ægrotantibus cōmoditatem afferūt, τὸ δὲ κατ' ἴξιν, ὅτι κατ' εὐθὺ λέγω, πᾶσι ὁμολόγηται, quod ipse manifestè hac voce κατ' ἴξιν sæpenumero in hoc vtatur significatu. Quæ verò contrà sanguinem excernunt, nihil iuuare, aut etiam nocere: quòd scilicet interdum citra mali leuamen vires exoluant. Neque enim liene magno existente è dextra nare sanguis erumpens, neque in iecore è sinistra, vllam adfert vtilitatē, sed reuulsio quidem ἐν τοῖς κατ' εὐθὺ

Lib. 1. de vlc. acut. com. 29.

Lib. 3. com. 10.

Comēt. 12.

Lib. 2. cap. 2.

Cap. 15.

« ἐυθὺ ἀντισπωμένοις manifestam vtilitatem celeri-
« ter ostendit: in quibus autem contrà accidit,
« nullam. Dextra igitur nare sanguinem effundé-
« te, ad dextrum hypochondrium affixa cucurbi-
« tula sanguinis eruptionem clarè celeritérq; si-
« stit, perinde atque ad sinistrum, sanguinem ex-
Cap.16. « cernente sinistra. Porrò si in eruptionibus san-
« guinis quæ κατ' ἐυθεῖαν fiunt, reuulsionis gratia
« sanguinem mittas, mox cõspicuam videbis vti-
« litatem: at si cõtra venam seces, multum sequé-
« tur commodum. Sic itaque liene laborante, in-
« cisio eius venæ quæ ad annularem est digitum
« sinistræ manus iuuat, æquè ac si internam quæ
« in gibbero est secueris. Siquidẽ multùm iuuat
« lienem malè affectum sanguinis ex sinistra ma-
« nu vacuatio. Et paulò post: Quin etiam pleuri-
« ticis ἡ κατ' ἐυθὺ τῶ πάσχοντος πλευρᾶ φλεβοτομία
« euidentissimam sæpe vtilitatem ostendit: quæ
« verò ex manu cõtraria, aut omninò obscuram,
« aut longo post tempore. Et deinceps: Tam per-
« spicuam aliquando celeriter vtilitatem ἡ κατ'
« ἐυθὺ τῶν πασχόντων μορίων φλεβοτομία afferunt, vt
« & qui laborant, & familiares ipsorum sæpe nu-
« mero obstupescant. Ex his Galeni verbis mani-
festum este arbitror, se cum autore suo Hippo-
crate, nil aliud quàm corporis ipsius rectitudi-
nem in quibuslibet euacuationibus cõsiderare
non rectas venarum fibras. Horum autoritatẽ
atque sententiam, variis naturæ operibus con-
firmatam, sequuti, reuulsiones perpetuò ab eo-
dem latere instituendas esse concludimus. Ne-

gligenda

gligẽda non est quam superius attigimus ratio-
nem, quòd vniuersæ partes è directo membri
laborantis sitæ, magis quàm illi oppositæ, hu-
moris copia grauentur. Nam demus phlegmo-
nem esse. Huius ortum præcessit sanguinis ma-
la qualitas, vel quantitas superflua, vel simul v-
trunque. Facta, verò inflammatione, sanguis ra-
tione doloris vndique ad locum affectum con-
currit, & eius lateris particulas grauat. Propte-
rea, si dum reuellimus aut deriuamus, pars ali-
qua humorum copiâ subleuanda venit, ea cer-
te est hepate laborante dextra, vt pro liene sini-
stra.

De huius quæstionis explicatione nihil su-
peresse video, nisi vt demõstrem quid venarum
communium appellatione Galenus significet. *Lib.2.ad Glau. cap. 2.*
Nam qui fibrarum rectitudinem curiosiùs ob-
seruant, communes venas esse dicunt, quæ per-
petuo recti aut ob longi filamenti ordine con-
nectuntur, vt loquitur Fuschius. At nos Galeni
ingenio magis dignam interprætationem ad-
ferentes, venas communes dici asserimus, quæ
sanguinem continent nondum aliqui particulæ
nutriendæ determinatum, sed omnibus (aut
pluribus certè) communem. Tales sunt in bra-
chio, cephalica, basilica, & medi a. His opponũ-
tur propriæ & peculiares, quæ vni tantùm par-
ticulæ inseruiunt: vt vena frontis, temporum lin
guæ, & similes. Illæ vniuerso corpori euacuan-
do conueniunt: hæ verò à solo membro cui in-
seruntur, euacuant. Galenus videtur etiam com- *Lib.2.ad Glauc.*

munes

munes venas appellare ἑμόζυγας, id est coniuges seu copulatas: scilicet venarum maxima illa paria, quæ ad brachia & crura perueniunt. Sed ista præter institutum iam esse existimo: ad illud tádem redeuntes concludamus, in reuulsione faciendа communes quidem venas obseruari debere: at inutilem esse fibrarum rectarum obseruationem. Illud priscam veritatē sapit, hoc spernendum est neotericorum figmētum. Quod si quis ex antiquorum scriptis opinionem quam refellimus comprobare velit, rationem simul cum autoritate proferat. Autoribus enim non nisi demonstrantibus assentimur.

***

DE

DE REVVLSIONIS natura non esse, vt ad maximè distãtia loca fiat: nec semper quàm longissimè sanguinem inde vbi lædit mitti debere: Ad eundem M. ANT. CHALMETÆVM *Chirurgum præstantiss.*

PARADOXVM X.

GAVDEO te ex Paradoxi mei lectione voluptatem aliquam cepisse, ANTONI amicissime. Aliud iam mitto, quo quæstioni à te mihi propositæ satisfacere videor. Celsum medicum elegãtem, & verè Hippocratis interpretem, huius meæ opinionis fautorem habeo: à qua si velis discedam, modo rationes à me propositas etiam diluere possis. In physiologiâ, vbi nihil est periculi, audentiùs multò quam in therapeutice paradoxa asserere soleo. Nihilominus tamen, quum ex Aristotelis sententia is verè dubitare dicatur, cui de re quapiam in contrarias partes æquilibres suppetant rationes, mirum videri non debet, si de plærisque theorematis ἐρρῶσθαι negligentius à veteribus expensis, nonnulla in controuersiam vocem. Quem à me petijsti variorum Paradoxorum elenchum etiam mitto,

to,sed raptim collectum. Multò plura sustineo, quæ per otium scribam. Tu pro ea quæ inter nos sacra est amicitia,æqui bonique omnia cõsule,& Vale.

QVVM reuulsio fluenti, aut iam fluxuro humori debeatur,atque hunc veluti suspensum sistere habeat:meritò ad oppositа perpetuo fieri debet. Deriuatio autem,quia materiam quæ fluxit,sed nondum impacta est, diuertit, & aliò detorquet,ad latera humorem deducit. Hæc vera est reuulsionis & deriuationis differentia, quam Galenus ex Hippo.tradit,inquiens:Hippocrates ἀντισπᾷ, hoc est reuellere, nos iubet ad contraria, deriuare autem ad latera. quinetiam cùm maximè influit,tum ad diuersa ἀντισπᾷ.Non ex igitur quod dicant, reuulsionem à deriuatione hoc præcipuè differre,quod illa fiat ad longinqua,hæc verò ad vicina:quum eadem venæ sectione vtrunque simul fieri possit.Nam quod iubet Hippocrates, in pleuritide sanguinem extrahendum esse,donec is colorẽ immutet,ex reuulsione & deriuatione mixtã euacuationem denotat. Qui enim sanguis prior exit, eum qui in partem fluit,repræsentat: posterior verò,& colore mutatus,iam partem inflammatam attigerat.Sic quum vires sunt imbecillæ, & partienda est phlebotome, per eandem venam reuulsio & deriuatio fiunt. Siquidẽ prima vice reuellere,secunda deriuare dicimur.Ergo simul eademque operâ, & per eandem regionem,cũ reuulsio,tum deriuatio fieri possunt. Atqui deriuatio

Lib.4. meth.med. cap.6.

riuatio nunquam ad distantia loca fit, semper ad vicina:quum de illius natura sit vt latera petat. Igitur nec de reuulsionis natura erit,vt perpetuò ad valde remota loca fiat,sed tantùm ad oppositа.Adde quod ex propinquis etiam locis reuulsionem faciendam esse, primæ classis medici volunt,quum citiùs leuari ægrum studemus. Eò enim promptiùs sentitur cõmoditas,quo magis ex vicina parte reuellimus: dummodo insignis fiat euacuatio. Nam alioqui verentur, ne plus humoris ad partem affectam, & à qua reuellere cupimus,cõfluat,quam euacuetur. Quòd si nondum fiens,sed tantùm futurus est morbus, cui per reuulsionem (vt præcaueamus) occurrere placeat:in hoc sanè fateor ex maximè distantibus locis euacuandum esse. Atque lubens Hippocratis sententiam amplector,qui ait: Danda est opera vt quàm longissimè à locis vbi dolor est, & sanguis cogi dicit,venarum incisiones fiant. Sic enim haud magna repente mutatio fiet,& consuetudinem mutaueris, ne amplius eo loci sanguis coëat. Ob id certe ijs qui comitiali morbo sunt obnoxij, iubemus verno tempore ex cruribus (quæ pars est remotissima) sanguinem mitti. Sed & quum fieri incipit defluxio, si non multùm processerit,ad distantia valde loca reuulsionem facere nihil prohibet:non quidem eius portionis quæ defluxit,ratione,sed continuò fluentis & potissimum fluxuræ adhuc materiæ.Galenus ex Hippocrate hæc docet, inquiẽs: Ab eo didi-

Lib.2.de nat.hu. Idem lib.3. de naturæ ossium.

Lib.4. meth.med. cap.6.

« cimus incipientem fluxionem ad contraria tra
« hendam esse. Et paulò post: Sanguinis detra-
« ctio in principio è longinquo, postea ab ipsis
partibus exulceratis est molienda. Et alibi, qua-
lis incipiente phlegmone reuulsio fieri debeat
explicans, innuit ad partes quæ maximè longin
quæ sint, semper auersionem conuenire. Rur-
sus: longissimè à tentata fluxione parte auelle-
re, nequaquam ad eam trahere cõuenit. Igitur,
vt fluxio lẽta atq; diuturna tutius è distãtissimis
reuellitur, ita & quę futura est arcetur: sic enim
in tractũ nouæ vię longiorẽ conuersa, sensim à
pristino citra virium offensionem desciscit.

Lib. 13. meth. cap. 6

Lib. 13. cap. 11.

Hęc sunt quæ nos cũ schola medicorũ reci-
pimus, ex Græcorũ fontibus & Arabũ familia,
excerpta: quibus non assentitur ex Latinis Cel-
sus haud spernendæ autoritatis medicus. Hic e-
nim eorũ rationẽ qui ad loca valde remota fa-
ciendã esse reuulsionẽ scribunt, ne plus traha-
tur quàm euacuetur, irridens inquit: Neque i-
gnoro quosdã dicere, quàm longissimè sangui-
nem inde vbi lædit, esse mittendũ. Sic enim a-
uerti materiæ cursum: at illo modo (scilicet ex
ipsa parte, aut quàm proxima, misso sanguine,
quod prius dixerat) in idipsum quod grauat e-
uocari. Sed idipsum falsum est: proximum enim
locum primò exhaurit: ex vlterioribus verò ex-
tenus sanguis sequitur, quatenus emittitur. Vbi
is suppressus est, quia non trahitur, ne venit qui
dem. Videtur tamen vsus ipse docuisse, si caput
fractum est, ex brachio sanguinẽ mittendũ esse:

Lib. 2. cap. 10.

si quod in humero vitiũ est, ex altero brachio. »
Credo, quia si quid parũ cesserit, opportunio- »
res hę partes iniuriæ sunt, quã quæ iã malè ha- »
bẽt, &c. Arguta sanè & subtilis valde est hęc Cel »
si ratiocinatio, qua docere videtur, reuulsionem
atq; deriuationẽ simul à maximè vicina parte
fieri posse. Quippe verẽdũ nõ est, ne ob id plus
sanguinis ad partẽ deferatur, quã ab illa vacue-
tur, quũ vbi phlebotome sistitur, sanguis fluere
cesset. Sic enim accipiẽda puto Celsi verba: quæ
si non vera sunt, certè verisimilitudinẽ maximẽ
habent. Nã sit, per hypothesim, in extrema ma-
nu (quã Græci ἄκρα χεῖρα propriè vocant) inflãma
tio: In morbi initio & augmẽto à superioribus
ad partẽ affectam cõtinuè fluet sanguis. Nõ ne
hunc cõmodè auertet fluxũ, in eiusdem mem-
bri cubito venæ sectio? Ita sanè videtur. Nã qui
ad manũ extremã contendit, atque magno im-
petu irruit humor, in medio cursu nactus exitũ
per vulnus profunditur effluitque, nec ad par-
tem vsque laborantem peruenit. Simul etiam
aliquid eius quod iam defluxerat, retrahitur,
quum pars extrema valde tumeat, & tantum
humoris nequeat continere, quantum illam
premit. Deponit itaque in plagam satis vici-
nam eius quod aggrauat portionem. His ad-
de, quòd vulnerato per phlebotomum cubi-
to, præ dolore sanguis vndique fluit: quia ve-
næ tum superiores tum inferiores contrahun-
tur, vt quauis re molestante fieri solet. Hac
ratione simul fit cum reuulsione deriuatio.

Porrò si à parte contraria, vt altero brachio, vel (quod præstantius esset) ab eiusdem lateris crure sanguis mitteretur, non protinus, sed post multum tempus fieret humoris fluentis reuulsio. Nam ad manum phlegmone tentatam defluit sanguis, qui brachij venis, aut superioribus etiam, continebatur. Illum prius minuere, si non exhaurire decet, quàm fluxionem sistere possis. Atqui eius membri sanguinem ad partes inferiores sectâ in poplite venâ detrahere, non est breuis temporis opus. Nam id cõsequutione quadam, & sensim fit, dum ad locum inanitum humores hinc inde confluunt. Fieri etiam potest, vt qui brachio continetur sanguis, crura versus non descendat: quod in tam remota parte factam euacuationem minimè sentiat. Hanc citius explent, quæ vicinæ sunt: neque ad brachium vsque peruenit successionis ad id quod vacuatum est, necessitas. Quamobrem factam in crure sanguinis iacturam propinquiores partes resarcient: interim dum maxima humoris copia ad manum ex brachio toto irrumpet. Quòd si demonstres ad inferiora necessariò vergere sanguinem, secta in poplite vena: non tamen cò probabis, humorum qui partem affectam petunt, impetum mox retineri. Nonne satius foret in medio cursus humori viam facere, qua effluere posset, vt non vlterius proficisceretur? Hoc esset veluti intercipere, ni fallor: & quò afflictæ parti propius fieret vulnus, eò melius illabens materia diffluereret, quæque iam locum

locum dolẽtem occupauit, retrocederet. Cùm igitur iam inchoata est humoris defluxio, parum iuuat ad valde distantia loca reuellere: omnium præstantissimè sit affectæ parti propinqua, sed tamen superior, ipsa reuulsio. Superiorem vero locum accipio, vnde fluit humor. Eiusmodi reuulsio omnis, præterquã quod fluxionem sistit, ab affecta quoque parte (vt prædixi) prius putrem & inquinatum sanguinem, quàm ex reliquo corpore benignum atque syncerum detrahit. Neque tum metus vllus sit nouæ fluxionis proritandæ. Quum enim pars laborans magis quàm cæteræ exinanita fuerit; si ad penuriam vsque detractum sit, vix demùm alia humorum fluxione conflictabitur, nisi fortè nouo peccetur viuendi errore. Distantes enim indigentia auidæ, proprium sanguinem labi non sinent: nec pars affecta (nisi dolor aut calor restet vehemens) ab illis quicquam eripiet, vt quæ sit imbecilla, nec multo egens alimento. Cæterùm, in reuulsionibus quæ ad sistendum sanguinis effluxum & αἱμοῤῥαγίας fiunt, res aliter se habet. Nam si manus est vulnerata, vt sanguinis fluxum cohibeamus, non in eodem brachio reuulsoriam phlebotomen aggredientur, sed in altero, vel in crure quod è regione est. Atque ea methodo influxurum sanguinem cohibemus. Si enim fieret in eodem membro phlebotomia, quum per vulnus effluat sanguis, non (vt in phlegmone) retineatur

sanè plus ad vulneratam partem confluaret, quàm si sponte vacuaretur. Quippe fluit humor velut exitum sibi quærens: hunc si in parte dolente & primùm affecta reperiat, alium ferè negligit: præsertim cùm angustior esse soleat, & inassuetus. His adde quòd dum phlebotomen instituimus ad compescendam αἱμορραγίαν, sanguinis qualitatem vel quantitatem minimè cõsideramus, quasi hæc nobis indicarent mittendum aliò sanguinem esse. Quippe si qualitas mala est, ea phlebotome non emendatur. Si quantitas nimia nocet, & cogit effundi sanguinem, is sistendus non est: nisi tamen per ineptam regionem excerneretur. Tunc enim aliò diuertendus est fluxus. Cur ergo sanguis mittitur vulneratis? vt contrario motu coactus, qui sanguinem ad vulnus fluentem consequio quodam sequebatur, aliò vergat aut sistatur. Nam qui paulò remotior est, simul ad vulneratam partem inuitatur, & ad locum phlebotomen passum. Cùm verò in contraria loca allicitur, sæpe fit vt neutrum petat, sed in medio veluti pendens animi retineatur. Atqui nisi viciniorem parti vulneratæ, & primò fluentem alter sequatur, fluxio lege quadam naturæ cessat, etiam si pateat humori exitus: quia vacuũ illa nó patitur. Ea ratione fit, vt in locum distantem reuulsione tẽtatâ, cõmodè sistatur αἱμορραγία. Quã obrem rectè cõsulunt, qui ad sistendã menstrui sanguinis immodicam excretionem, venam in cubito

cubito secandam suadent. Nam quum nihil sit in ipsa parte impactum, sed tantùm fluat humor, soli reuulsioni locus est. Quòd si vterus inflammatione laboret, à propinquiore loco, vt poplite, est reuellendum, quò fiat etiam aliquid derivationis. Sic fluentem ad partem solum inflammatam humorem, non vt hæmorrhagiam, sed alia methodo, aliisque indicationibus propositis, impedire decet. Nam (nisi ex contusione fiat, quæ vulnerum conditionem sequi debet) phlegmone affectam particulam sanguis petit, quia is vel qualitate, vel quantitate peccat. Vtrunque vacuandum esse indicat, quum nisi morbi occasionem tollas, nihil proficere videaris. Si sanguinis copiâ grauatæ, aut acrimonia infestatæ partes superiores, ad manum quod displicet protrudant (vt solẽt robustiores in imbecillas sese exonerare) qui talẽ affectum curabis, nisi fluentem & iam influxum humorem exhaurias? Per quam verò regionem cõmodiùs morbi causam euacuabis, quàm parato exitu in ea quam naturæ ductu petit? Non aliò faciliùs quàm deorsum, & quò cœpit, defluet humor. Hunc si vis euacuari, in medio cursus, aut certè supra locum affectum, viam aperi. Quum tantum effluxerit, quantum molestabat, & ad partem inflãmationem passuram defluxisset, tunc morbi augmentum, vel etiam generationem cessare, est verisimile. Exempli gratia: Ex vnciis tribus sanguinis, iustæ magnitudinis phlegmone oboriretur. Iam

Universidad de Deusto
Biblioteca

si ei fluenti, ad cubitum pateat exitus, quomodo extremam manum petet? Eductis per phlebotomiam sanguinis tribus vnciis, morbi causam ablatam esse dicemus. Satius tamen est maiorem copiam detrahere, quia exactè sciri non potest noxij humoris quantitas.

Hic aliquis obiiciet: per venam quam phlebotomo aperis, fortè non illabitur sanguis ad manum. Quomodo illius cursum intercipies? Multi sunt fluentibus humoribus canales, non vnicus. Proinde omnes veniunt aperiendi, quū nos is lateat qui fluxionem sustinet. Præterea, sanguinis fluxus ad partem inflammatam per multas venas accidere potest. Huic dubio facile est respõdere, ei qui nouit corpus vniuersũ esse συῤῥῦν καὶ συσπνῶν, id est cõfluxile & cõspirabile, atque ex toto in totũ aliquid transferri, totum ex toto trahere ac toti impartire, vt ex Hippocratis sententia docuit Galenus. Quum enim extremæ partes extremis suas materias communicent, multò prõptiùs vicinæ à vicinis mox accipiunt. Arteriis maioribus incisis totus sanguis effunditur, atque per eas exhauritur etiam quem venæ continebant, vt monet Galenus. Quantò faciliùs ocyúsque aperta insigni aliqua vena, aliæ huic cõiuges, vel eiusdem rami, non solùm truncus vnde illa venit, statim assimilem inanitionem (vel ex subita consequutione) patiuntur! Ergo, vt tandem epilogo disputationem hanc concludamus, fluentis humoris impetum sistimus, superiorem partem à qua discede

Lib. 2. de fac. nat. cap. 13. & alibi pass.

Lib. de vsu pulſ.

discedebat inanientes. At non id retrahimus quod loco inflammato propinquius est, nisi multa admodum fiat euacuatio, quam nemo ferre potest quum à valde dissita regione fit. Imò neque ea methodo humoris, qui partem dolentem implet, fluxus impeditur. Idcircò longè præstantiùs esset, in medio cursu venæ apertione humori viam parare, vt inde effluat qui nimius est, non vlteriùs progrediatur. Tũc quò vicinior parti sectio fit, eò melius intercipitur, & iam influxus reuocatur: sicque omninò commoda fiunt simul reuulsio & deriuatio Galenus vbi ex professo rem istam tractauit, haud dissimilem nostræ opinionem statuit. Quippe libro de curatione per phlebotomiã, sanguinem ex axillari vena mittere docet, cum partes quæ infra collum sunt, ægrotant: vt thorax vniuersus, & quæ eo cõtinentur. Ex humerali verò, dum facies aut caput male afficiuntur. Quæ iuxta coxam, vesicam, & vterum sunt, venis poplitum aut malleolorum incisis iuuantur. Renes autem ancipites sunt, vt qui medium locum obtineant. Idem scribit in lib. metho. med. vbi admonet hepate, pectore, pulmone, aut cor de affectis, apperiendam esse venam axillarem, quæ certe illis vicinior habetur. Renibus verò, & vesica, & pudendo, & vtero ægrotantibus, eas quæ in crure sunt sitæ, & potissimum quæ circa poplitem sunt. Quis non apertè videt, Galenum perpetuò, venas parti affectæ proxi-

Cap. 16.

Lib. 13. cap. 11.

mas, secandas esse, docere? Equidem si vicinio-
res, & æquè insignes, alicubi appa-
rerent, tales (meo iudicio) inciden-
das admonuisset. Reuulsio
igitur ad maximè di-
stãtia loca sem-
per fieri
nõ de-
bet.

1. Qualita-

1 *Qualitates elementorum nõ miscentur, sed substantiæ.*

2 *Summæ elementorum qualitates in compositis rebus summæ permanent, & non retunduntur per mistionem.*

3 *Ex sensu & dolore male arguit Galenus, animalium corpora ex contrarijs & patibilibus elementis fieri.*

4 *Corruptionis necessitas à mutua elementorum contrarietate non dependet.*

5 *Aqua non ab aëre, sed à seipsa congelatur.*

6 *Aqua frigiditatem suam nunquam prorsus amittit.*

7 *Homo ad iustitiam exactè temperatus, ad pondus exactè temperatus est.*

8 *Temperamentum ad pondus magis incidit per ætates in hominem intemperatum, quàm alium.*

9 *Iuuenum ætas, non adolescentium, est omnium temperatissima.*

10 *Spermatica membra sanguineis calidiora esse videntur.* Parad. 7. dec. 2.

11 *Hepatis calida intemperies natiua nunquam prorsus aboletur, quandiu sanum est corpus.*

12 *Cordis calor facilius quàm aliarum partium caliditas extinguitur.*

13 *Fœmina plus sanguinis habet quàm vir, eo tamen frigidior est.* Parad. 10. dec. 2.

14 *Formatrix facultas otiosa non est fœtu absoluto & in lucem edito.* Parad. 7. dec. 2.

15 *Attractio fit sola substantiæ similitudine, non dolore,* Parad. 8. dec. 2.

dolore, calore, fuga vacui, aut siccitate.

Parad.8. dec.1. 16 Digestio seu concoctio fit melior pervigilio, motu, & interdiu, quàm somno, quiete, & noctu.

Parad.5. dec.2. 17 Conuersio ciborum in cremorem, non est terminus mora illorum in ventriculo.

Ibidem. 18 Ventriculus vere & solidè ac totus nutritur chylo: sanguine vero duntaxat in illius penuria.

Ibidem. 19 Omnibus solidis animalis membris è semine tam generatio quàm nutritio est.

20 Omnibus arteriis & venis ineſt vis gignendi seminis.

Parad.4. dec.1. 21 Venis proprie conuenit ὁμοιότης, non carni hepatis.

Parad.1. dec.1. 22 Calida cibaria omnino percocta & mutata, ad in sanguinem iam versa, naturalis in animali caloris substantiam augent, non qualitatem intendunt.

Parad.6. dec.2. 23 Vesicula bile, vt splen melancholico humore nutritur.

24 Fibrarum sanguinis ortus non est in ventriculo.

25 Cur pili suam assequuti longitudinem vlterius non prouehantur, causa reddi potest, contra Fernelium.

In Declar. dec.1. 26 Ad animi mores facit alitura, hoc est ciborum qualitas & modus.

Parad.2. dec.1. 27 Rationi consonum est quosdam ἀσίτους, id est a cibo abstinentes, per multos non solum dies, sed & annos viuere posse.

28 Arteriæ pulsandi vim insitam habent.

29 Animales facultates loco indistinctæ sunt, per totum

totum cerebrum diffusæ.

30 Quod frigeamus à pastu, id non accidit externarum partium calore ad ventriculum (vt melius concoquat) refugiente. Parad.3. dec.1.

31 Arteriæ dilatantur per cordis compressionem: eadem comprimuntur corde dilatato.

32 Venæ, arteriæ, & nerui, propriam retinet actionem in instrumentis, contra Fuchsium: neque proprium & commune contraria sunt.

33 Chylus optimus puri optimo est proportione respondet.

34 Pus à solo calore naturali fit, non etiam ab eo qui præter naturam.

35 Dulcis pituita secundum naturam non est.

36 In plenilunio corpus minus abundat pituita, quam in nouilunio.

37 Ex pituita fieri nequit bilis atra immediatè.

38 Ex pituita falsa, non alia, fieri potest bilis atra per assationem.

39 Bilis flaua in atram non vertitur immediatè.

40 Columbæ generant bilem, quamuis fellea vesicula carere videantur.

41 Bilis flauæ & adipis eadem est materia. Parad.7. dec.1.

42 Adeps igneo calore dissoluitur: tamen in corporibus animalium frigore non concrescit. Ibidem.

43 Medulla ossium nutrimentum est, non excrementum.

44 Sanguis menstruus venenosus non est. Parad.10. dec.2.

45 Fœtus pituitosiorem tantùm sanguinem ad sui nutritionem trahit, non elaboratum aut perfectè coctum. Ibidem.

46 Lac

Ibidem. 46 Lac non fit ex sanguine in mammis recrudescente, sed amplius cocto.

Idem. Parad. 6. dec. 2. 47 Lac ex sanguine pituitosiore fit.

48 Lotium est solius vesicæ excrementum, non primæ aut secundæ concoctionis.

49 Puris transitum Cor ferre potest.

50 Ventriculus musculus esse videtur.

51 Venæ & arteria similares non sunt.

52 Pili non sunt in radice, quàm in processu, subtiliores.

53 Pili non satis rectè à Galeno plantis, aut partibus animalium comparantur.

54 Tendo latus in manu non facit sensum magis exquisitum.

55 Patella quæ in genu est, primis annis cartilaginea apparet.

56 Omnes extremè calidæ aut frigidæ regiones elephanticos plures habent.

57 Non sunt elephantici, quos vulgus Cassotes vocat.

58 Lepra confirmata quatuor tempora non habet.

59 Elephas ex bile flauæ adustæ, nunquam curatur: qui ex melancholia, nonnunquam.

60 Substantia nunquam morbus dici potest, neque morbi causa ex seipsa.

61 Vnitatis solutio in neruo facta, non dicitur conuulsio.

62 Continui solutio ad similarium partium morbos referri non potest, vt rectè sentit Argentarius.

63 Idem

63 Idem est pulsus medij Autumni & medij Veris.

64 Morbi Gallici essentia prima est in spiritu naturali.

65 Hecticarum febrium calor æqualis non est.

66 Febres omnes ex bile fiunt. Parad. 3. dec. 2.

67 Stati febrium circuitionis reditus causa, ad occultam proprietatem referenda non est.

68 Humorum certus in eundem locum motus, ex propria humoris natura seu forma non pendet.

69 Exteris medicamentis facilè careremus, si nostra exactè cognita experiremur.

70 Medicamenta sunt actu & perpetuò, non solà potentia vel in futuro tempore, qualia dicuntur. Parad. 1. dec. 1.

71 Cathartica medicamina actu vim purgandi habent: eam enim in corpore non aquirunt. Ibidem.

72 Nos calidissimis quibusque medicamentis longè calidiores sumus. Ibidem.

73 Serum lactis frigidum non est, quamuis refrigeret: & seni febre quartana laboranti optimè conuenit. Parad. 6. dec. 1.

74 Argentum viuum dici potest frigidum & epispasticum.

75 Purgatio non in sola vitiosi succi abundantia conuenienter, suscipitur.

76 Pituita vomitu, bilis secessu educenda est.

77 At reuulsionem faciendam inutilis est fibrarum rectarum in venis obseruatio. Parad. 9. dec. 1.

78 De reuulsionis natura non est, vt ad maximè distantia loca fiat: & quàm longissimè sanguis vbi ledit, mitti non debet. Parad. 10. dec. 1.

79 Graui

Universidad de Deusto
Biblioteca

79 *Grauidis mulieribus tutior est phlebotome primis mensibus, & semper medicamento purgante facilior.*

80 *Cur domi contineri debeant, qui purgans medicamentum sumpsere, vulgus medicorum nescit.*

81 *In morbis acutis victus tenuis eo qui paulò plenior, minus est periculosus.*

82 *Tabidis & à morbo chronico valde extenuatis, non sunt concedenda testudines nemorales, asstacei, &c.*

83 *Contusa caro in acutè febricitantium stomacho facilè corrumpitur.*

84 *Rapum, napus, rhaphanus & similia quæ flatulenta dicuntur, flatus non gignunt, sed dissipant.*

Parad. 5. dec. 1. 85 *Aquarum saluberrima est pluuialis.*

Ibidem. 86 *Aquarum omnium vitia coctione non emendantur.*

87 *Vinum album, & austerum, minimè vt vinum calefacit.*

88 *Vinum album, simúlque austerum, & crassum, ac nouum, sensibiliter frigefacit.*

89 *Ab esu fructuum, quos ὠρίους Græci vocant, non magis confert vinum purum, quàm aquam superbibere.*

90 *Arthritis, ex motu intempestiuo & inordinato, sæpius quàm ex multo ocio prouenire solet.*

91 *Carnes aëri serotino, vt teneriores fiant, non exponuntur, sed vt conseruentur diutius incorruptæ.*

Parad. 4. dec. 2. 92 *Febrium omnium materia continens & immediata in Corde est, non in aliis visceribus, aut venis, aut habitu corporis.*

93 *Febres nullæ, quæ salubres sint, ex putrescentibus humoribus fiunt, sed ferue scentibus solum, vel vstionem patientibus.* Parad. 2. dec. 2.

94 *Rigor, horror, & frigus non fiunt materia febrium sensiles partes externas pertranseunte.* Parad. 4. dec. 2.

95 *Febricitantium vrinæ hypostasis, portio eius humoris qui febrem excitauit, non est: neque rectè puri proportione respondere dicitur.* Ibidem.

96 *Venena in certum diem exhiberi non possunt, neque certis occidere temporibus.* Parad. 1. dec. 2.

97 *Medicamenta purgantia humores non attrahunt, sed fugant & expellunt.* Parad. 9. dec. 2.

98 *In paralysi nõ impeditur spiritus animalis per neruos delatio.*

99 *Cerebrum ipsum non aliter sentit, quàm oculus videt, auris audit, & palatum cum lingua sapores discernit.*

100 *Facultas vitalis eadem est cum naturali.*

101 *Facultatum essentia ex temperamento non pendet.*

102 *Caro non est verè pars corporis, neque propriè dicitur augeri.*

103 *Nulla est caloris proprietas qua Struthiocamelus ferrum concoquat.* Parad. 8. dec. 1.

104 *Nulla sunt medicamenta quæ infixa corporibus propriè extrahere possint.* Parad. 9. dec. 2.

105 *Fluentibus mensibus fœmina concipere non potest.* Parad 10. dec. 2.

IACOBVS PESNOtius Medicinæ Doctor, fratri suo Ludouico Pesnotio, Bibliopolæ fidelissimo ac diligentissimo, S.

AVDIO te Paradoxa aliquot D. LAV. IOVBERTI, ab Enimundo Bonefidio hinc inde carptim collecta, habere, & breui in lucem emissurum. Erunt hæc sanè Philosophiæ & Medicinæ studiosis omnibus, ni fallor, lõgè gratissima cùm autoris ipsius nomine (qui in Risus causarum inuestigatione, ingenij sui specimẽ nuper dedit) tum rei nouitate & gratiâ. Cui enim iucundum non erit hactenus pro verissimis habitas conclusiones, & veluti ἀξιώματα, ab isto nunc in dubium reuocari, & validissimis argumentis infirmari, videre? Inuentionis quidem & solertiæ mirãdæ hæc sunt, fructus verò minimè spernendi: quum iuuenes talibus exercitationibus incumbẽtes, facilè accẽdantur ad veri inquisitionẽ, qua nihil antiquius Philosophis esse debet.

bet. Atque vt Enimundi institutum tibi confirmare videar, illius imitatione eiusdem autoris Declamationem (quam magno labore à studioso quodam extorsi) ad te mitto. Hanc præter elegantiam & sententiarum pondus, Paradoxa opinio commendat. Ea est quam D. IOVBERTVS ante aliquot annos habuit Monspellij dũ publicè ac in celeberrima corona doctorali diademate meritissimo donaretur. Paradoxis demonstrationibus hæc benè conueniet, & gratiam quoque dabit. Vale, & cura D. IOVBERTI opera sedulo excudi, ne si Enimundi nostri audaciam grauiùs ferat, sit etiam quod de Typographo iustiùs conqueratur. Viennæ Allobrogum, Cal. Septemb. 1560.

DECLAMATIO, qua illud Paradoxè interpretatur, NVTRITIONEM VINCERE NATVRAM, ex Platone.

NEMINEM vestrum esse arbitror qui ignoret, Viri ornatissimi, perturbationibus (quas Græci πάθη vocant) tantum iuris, vel potius tyrannidis, in miseros mortales à natura tributũ esse, vt transuorsum illorum animum huc & illuc paulò momento impellant. Inter eas tamen omnes voluptatem (non eam quæ diuino Philosopho τῶν κακῶν ἡδονὴ vocatur, sed quæ ferè laudis atque gloriæ comes est) facilè primas tenere, nõ quiuis statim sibi persuadeat, nisi prius aduocata historiarum fide tam mirabiles eius esse effectus didicerit, vt hominibus non modò sermonem, sed & ipsam animam (vbi præsertim sese profert insolentiùs) atque adeo vitam adimat. Quod credo, considerantes maiores nostri, magni & sapientes viri, in hac nostra celebri & glorioſa coronatione, in qua longè amplissimum omnibus incedendi lætitiis argumẽtum offerri putabant, nos præcipuo leuarunt agendi dicendique labore, cum Doctores patres, βραβεύτας, παρανύμφους, & oratores nobis adhibuerunt. Verùm ne nos omninò mutos & stipites magis quàm homines ornare viderentur, vt oratiũculam saltem aliquam ex hoc nouo

uo suggestu haberemus, iidem prudenter instituerunt. Quibus dum lubens (vt æquum est) pareo, & disputatiunculam non vobis nouam & inauditam, sed tamen, ni fallor, Reipub. vestræ perutilem agito, adeste quæso animis omnes qui adestis corporibus. Rem enim satis alioqui copiosam atque vberem, cum vestra causa, tum breuitatis studio sic leui pede (quod aiunt) præteruolabo, vt multa quæ vel maximè ad eam pertineant, sim prætermissurus. Quòd si exactis vestris iudiciis, aut conceptæ fortassis de me opinioni minus satisfacio, istud partim recens oblatæ voluptati, aut subrustico cuidam nostro pudori, partim vestræ omnium tribuite dignitati, quæ suo quasi splendore mentis nostræ satis imbecillæ atque obtusæ, aciem amplius perstringit.

Admirari sæpe soleo (Viri percellebres) grataque memoria persequi, priscos illos ac planè venerandos homines, qui tot præclaris suis inuentis atque monumentis nos suam posteritatem, ditarunt. Omnibus tamen exactè subductis rationibus, eorum nullis plus à nobis debẽri censeo, quam illis qui ad hominum vitãnon iucundiorem, sed meliorem efficiẽdam, omnia sua studia, omnésque suas cogitationes dicarũt atque contulerunt. Ex quorum quidem præstantioribus (vt Epicuri porcos in suo luto putrescere sinamus) alij Naturam, alij virtutem, alij simul vtranque velut optimam vitæ ducem nobis præfecerunt. Ita vt in scholis nostris etiã

hodie quæratur, quod Lollio suo inuestigandum proponit vates Lyricus:

Virtutem doctrina paret, naturáne donet.

Quam tamen litem, diuinus Plato (meo iudicio) cùm alibi disertè, tum in Timæo disertissimè instar sequestris honorarij multò antè his verbis diremerat: πρωτέον ὅτινας ἀλύπως ἂν, καὶ δι' ἐπιτηδευμάτων μαθημάτων τε φυγῇ μὲν κακιῶν, τὰ δ' ἐναντία δὲ ἕλῃ ἀρετῶν. ὡσαύτως δ' ἐπιτηδεύειν παῖδα καὶ μαθήματα κακίας μὲν ἀνιαρετικὰ, γυμναστικὰ δὲ ἀρετῆς εἰσιν, ὅτῳ καὶ τροφή. Conandum est (inquit) pro viribus vitium fugere, & virtutem capessere per educationem, studia, & disciplinas. Vt enim studia & disciplinæ abolent vitia, virtutémq; pariunt, sic & educatio. Ex quo loco satis intuēti cuiuis perspicuū est, nō solùm vitæ institutū & doctrinā, ad vitia declinanda, virtutémq; consequendā, aut (vt significantius eius verbū exprimamus) gignendā requiri, sed etiā educationē, id est corporis cultum, & vitæ quæ cibo & potione fouetur, rationem. In cuius pulcherrimæ sententiæ explicatione, tota nostra consumetur oratio, vt quam sit vtilis, imo verò necessaria efficaciæ alimētorum cognitio, & in delectu faciendo obseruatio, cum iis qui ex professo adolescentes instituendos suscipiunt, tum omnibus ex æquo hominibus, ad benè beatéque viuendum, intelligatur. Quotquot enim secundum Platonē philosophi, vel de moribus in vniuersum, vel de puerorum tantum educatione scripserunt, hanc propositionē aut planè (quod

(quod pace tantorum virorum dictum sit) non intellexerunt, aut cum eam explicari plurimi referret, non explicarunt: potiusque imperitum indoctumque vulgus, eam non tam ex Platonis dicto temerè arripuisse, quàm ex familiari communis omnium parentis Naturæ pœnu deprompsisse videtur. Cui enim vernæ non est in ore vulgatum illud, NVTRITIO (nam sic loquūtur (VINCIT NATVRAM? Hinc nō procul abfuit optimus dicendi magister Quintillianus non philosophorum disertissimus & oratorum acutissimus Plutarchus dum hic suum sapientem & studiosum, ille suum oratorem vnà cum nutricis lacte laudabiles mores haurire vult atque fugere. Sed interim neuter eorum (quod factum oportuit) aut puerum omnino aut nutricem alit. Nisi quis fortè dicat, hoc illis non ignorantia, sed de industria prætermissum fuisse, quod scilicet homines minimè impudētes, in Medicorum possessiones inuadere, & in alienam messem (quod aiunt) falcem immittere nollent. Iam verò rem totam paulò altius repetentes, quando ad propositæ quæstionis demonstrationē morum animæ & corporis temperiei mutuam consequutionem licet assumere, de anima & eius moribus, de corporis temperie & cognatis ei humoribus, de alimentis deniq; substantiæ nostræ defluxū subinde resarciētibus, quo ad fieri potest breuissimè aut etiā breuius quàm res tanta postulet, dicamus.

Anima pars nostri melior atque præstantior,

(viri auditores) etsi quotidianas & ordinarias in nobis motiones ciet, tamen propter cœlestem suam originem, omnium mortalium tardos & hebetes sensus hactenus omnino effugit: vt ex tanto clarissimorum philosophorum numero vix, ac ne vix quidem, vnus sit inuentus, qui viuas eius lineas nobis tantum adumbrarit. Nisi Platonem velis excipere, qui meherc ule in huius, cęterarũque magnarũ rerum sagaci inuestigatione, nõ solum reliquos omnes, sed etiã se ipse quodãmodo superasse videtur. Is tamen cum promiscua aliorũ turba, tria animæ capita, velut Cerbero cuidã, appinxit. Quo quid monstro similius? quid portentosum, quid magis ridiculum esse potest? Sit igitur nobis anima simplex quidẽ & vniformis, quæ tota per totũ corpus diffusa, hanc linguã mouet, hos vibrat oculos, hæc brachia iactat, totam denique terream hãc molem sustinet, agitat, & moderatur. Sed istud tamen variè pro varia totius temperie, proque diuersa humorũ ipsorum natura, copia vel inopia: Hinc infinitæ hominum species, hinc multiplicia ingenia, & (vt ille inquit) quot capita tot sensus. Hinc timiditas, hinc audacia, hinc agilitas, hinc stupor, hinc loquacitas, hinc taciturnitas. Quid plura? hinc vitiorũ & virtutum semina, hinc appetitiones quas ὁρμὰς, & rerum electiones quas προαιρέσεις Græci vocarunt. Nam vt omnes ad hanc vel illã virtutẽ, ad hoc vel illud vitiũ procliuiores nascimur: sic pro aliis atque aliis humorum corporisque habitus

habitus mutationibus, alij atque alij quodammodo ipsi efficimur. Id nos satis docent ætatum ordines atque decursus, in quibus admirabiles fieri videmus hominum metamorphoses, humorum naturam necessariò (nisi hoc emendet philosophia) consequentes, quas his venustissimis carminibus eleganter depinxit Horatius.

Reddere qui voces iam scit puer, & pede certo
Signat humum, gestit paribus colludere, & iram
Colligit ac ponit temere, & mutatur in horas.
Imberbis iuuenis tandem custode remoto
Gaudet equis, canibúsque, & aprici gramine cãpi.
Cereus in vicium flecti, monitoribus asper.
Vtilium tardus prouisor, prodigus eris.
Sublimis, cupidusq́, & amata relinquere pernix.
Conuersis studiis, ætas animúsque virilis
Querit opes & amicitias, inseruit honori.
Commisisse cauet quod mox mutare laboret.
Multa senem circumueniunt incommoda, vel quod
Quærit, & inuentis miser abstinet, & timet vti.
Vel quod res omnes timidé gelidéque ministrat.
Dilator, spe longus, iners, auidusq́, futuri,
Difficilis, querulus, laudator temporis acti
Se puero, censor castigatorq́, minorum. Hęc ille. Idem fermè sentiendum est de temporum vicissitudine, & veluti circulo. Scitè enim bonus Hippoc. ἅμα τῇσιν ὥρῃσιν μεταβάλλουσιν αἱ καλίαι, καὶ πνεύματα, καὶ χυμοὶ. Vnà (inquit) cum temporibus mutantur ventres, atque adeò spiritus & humores. Nam si vnum eundemque hominem

per totũ obſerues annum, hyeme ſanè pigtiorem,& ſedatiorem,æſtate diligentiorem & iracundiorem, vere hilariorem & agiliorem, Autumno mœſtiorem atque remiſſiorem videbis. Sed neque longa anni integri aut etiam menſis obſeruatione egemus,cum vnicus dies, vel hora potius, varios ſæpe mores præcipitéſque ad hoc vel illud inconſtantis animi impetus afferat. Id vt probemus, non certæ Mathematicorum demonſtrationes,non fatuæ (fatidicæ volui dicere) cuiuſdam Noſtradami cortinæ ſunt conſulendæ,quandoquidem neminem eſſe arbitror, qui ea quotidie in ſeipſo non experiatur. Quid verò aëris,quid locorum effectiones proferam? Quis tam cæcus,vt non videat diuerſarum regionum incolas, vt linguis omnino,ita moribus eſſe diſſimiles? Quis tam ſtupidus vt non intelligat,eum qui ſolum mutat,mores quoque ſæpe mutare? Neque enim perpetuò verum eſt vſitatũ Græcis prouerbiũ, quod elegantiſſimo verſu Poëta noſter ſic reddidit:

Cœlum,nõ animum mutant, qui trãs mare currũt.

Porrò, cum & ætatibus, & aëri, & locis,ad animi mores vel conſeruandos vel immutandos, tãtam vim eſſe intellexeritis,Auditores,nó iam nobis dubium aut obſcurum eſt quid de alimentis (quod demonſtrandum ſuſcepera-mus)ipſi ſentiatis. Nam hęc ad eam rem multò plus momenti adferre, quàm aërem & locum, hoc vno argumento facilè probatur, quòd qui montes incolunt, etſi libero appertóque cœlo & loco fruantur, ob aſſiduum tamen caſtanearum,raparum,lactis,caſei,leguminum, & aliorum id genus craſſorum eduliorum eſum, ingenij dexteritate parum valeant:& non niſi lõgo tempore, mutatáque prorſus alimonia, ad ingenium naturámque ſuam redeant. Quo magis (ita me benè Deus amet) deflenda videtur miſellæ noſtræ animulæ indigna conditio, quæ quandiu hoc tetro & caliginoſo carcere concluditur,impuri corporis contagione, pœdore, & ſitu veluti obſita, varios (vt iã ante diximus) pro varia humorum ſpecie, excrementorúmq; colluuie, colores & habitus,Prothei cuiuſdam aut Chameleontis modo,induit.Ipſa enim diuina ſuapte natura, ſibi ſeruiens, ſibi imperans, ſi à corpore abſoluatur, interim corpori implicita,per eius officiales atque adminiſtras partes recipit impreſſiones:cúmque intellectionis ſuę primordia à ſenſibus ſit conſequuta,qualia illis conferuntur talibus picta, fit interdum alia à ſeipſa, accidentibus quidem tantùm, non ſubſtantia.Nonnunquam tamen vel diuina luce illuſtrata,vel diſciplinis exculta,vel vſu exercitata, demum in ſe collecta, perinde ac facto globo, hoſtes ſuos ſtrenuè depellit.Hæc autem referre debet accepta, aut ſanctis Theologorum præceptis, ex ſacris Bibliorum oraculis petitis, aut atrocibus legum humanarum minis atque terroribus. Cæterùm,vt præſtantius vtiliúſque eſſe putamus,hoſtem procul à finibus arcere,quã iam ingreſſum vbi maximã ferro & igne agris noſtris

nostris vastitatem intulit, magnis demum laboribus ægrè abigere: ita haud dubiè potiore loco nobis ea esse debet scientia, quæ vitiis (acerrimis animæ hostibus) priusquam inuadant arma sua aufert, materiamque nocendi omnem præcidit. Illa autem est (Viri ornatissimi) illa est Medicina, quæ moderato vitæ instituto, probáque victus ratione præscripta temperiem, præcipuum animæ instrumentum, optimam corpori procurat, procuratam conciliat, conciliatá fouet atque conseruat: quæ præterea humores accommodatissimum caloris innati pabulum, gignit laudatos, quæ spiritus, animæ ipsius aut copulam aut vehiculum, claros, perspicuos nitidósque præstat, quæ sensus eiusdem satellites ac internuntios, vegetos, expeditos ac perspicaces efficit: quæ poltremò infesta naturæ excrementa (à quibus non pauca in animam vitia irrepere docuit Plato) arcet, expurgat, & exhaurit. Quod ædepol non latuit optimos quosque Legislatores, non primæ notæ classisque philosophos, qui huius fortasse partis Medicinę non imperiti, vt suæ quisque gentis mores atque naturam optimè nouerat, ita horum vel illorum ciborum vsum prohibuerunt. Inter quos primus meritò nobis occurrit Moses ille, vir sanctus, qui populum Israëliticum fidei suæ à Deo immortali cómissum, quum refractarium esse videret, ac petulantiore ceruice Legis æternę iugum subinde peruicaciùs excutere, diuinum sciscitatus oraculum, illi planè cibis omnibus inter

interdixit, qui ferè frigidos, crassos, viscosos, & tenaces succos (obstinatæ menti conuenientissimos) generant: quales sunt omnes in Leuitico prohibiti: vt sic tãdem rebellis populi naturam ex mutato victu quodammodo mutatam, flexibilẽ, & ad diuina iussa alacrius multò capessenda promptiorem paratiorémq; redderet. quãquam tamẽ piè credimus, ista diuinioris cuiusdam rei fuisse mysteria. Cartaginensium quoq; legibus, pro regionis natura calida, certè prudenter cautum fuit, ne domi mancipium, ne in ciuitate magistratus, ne in castris miles vinũ degustaret. Hos Plato imitatus legem tulit, iussitq; vt pueri ante decimum octauum ætatis annum vino prorsus abstinerent, cuius tamen vsum senibus (vtpote contraria natura præditis) & cõcessit & consuluit. Sic etiam Pythagoras, & alij veterum plærique, tantum alimentorum delectum suis imperarunt discipulis, non alio (credo) consilio, nisi vt conuenienti victus ratione eorum animos, quasi in libertatẽ assertos, suauioribus bonarum cogitationum atque disciplinarum epulis pascerent. Nõ desunt, opinor, qui exactam aliquam de ciborum natura, & in hominum immutandis conditionibus efficacia tractationem hîc à me expectẽt. Verùm ista satis quidem nostri instituti, non tamen huius tẽporis aut loci esse videtur: illámque (si placet) ex vberrimis Hippocratis atq; Galeni fontibus haurient. Hic quoque sese aperit latissimus in Medicæ diætæ laudes excurrẽdi campus, quas

&

& multis aliis rationibus, & propositis exẽplis persequi, vt non admodum difficile, ita iucundissimum mihi foret. At vos iamdiu (vt sentio) incompta insulsaque mea oratione eneco, & imprudens iamiam transilio præfixos mihi dicendi limites atque cancellos. Satis igitur vobis sit hoc tempore, Viri humanissimi, nostram qualemcunque opinionem audisse, de notissimo illo vulgi prouerbio. NVTRITIO VINCIT NATVRAM: vel potius de Platonis illa in Timæo præclara sententia, qua non solum disciplinas atque studia, tum ad extirpãda vitia, tum ad virtutem consequendam esse necessaria, sed & ipsam educationẽ, hoc est cibi & potus cum delectu factam administrationẽ, asserit. Ex cuius nominis interpretatione & quæstionis vniuersæ explicatione abundè probatum, saltem indicatum putamus, hominibus præsertim nõ tardis, quàm male hactenus id fuerit vulgo intellectum, & magno interim instituendæ iuuẽtutis malo ignoratum, ad mores permultum facere alituram: quemque demum in republica locum Medicus mereatur, qui nõ corporis solùm morbos, aut imminentes arcet, aut iam infestantes profligat, verúmetiam (quod omnibus votis omnes exoptant) mentem sanam in corpore sano solus mortalium sua industria præstat.

DIXI.

NICOLAVS STILBTHERIUS Lagopagita Iureconsulto solicite reconditarum rerum naturalium studiosis. S. D.

QVVM vulgus ex veritate pauca, ex opinione multa æstimet: non abs re homines, qui & ingenii acumine, & naturæ splendore cæteris excelluerunt, à multitudinis sententia frequenter recesserunt. Nimirum quod exploratum haberent, apud sobrios & sanos momẽta rationis plus valere quàm imbecillem infirmamq; vulgi opinionem: insigném que esse temeritatem, falsa aut certè vix dum satis cognita, recipere pro veris. Adeo vt creditum sit, longè satius esse nihil sentire, quam praua sentire. Hoc itaque vt obseruauit LAVR. IOVBERTVS *Physicus, vir ingenij acerrimi & simul iudicij integerrimi incorruptissimique, ad hæc eo instructus penu illisque artibus, eo denique instrumento, quo facilè omni squalore purgatam veri faciem, vel ab inferis ipsis eruere posset: aspernata communi (vt loquimur) opinione, nondum à quoquam tractata παραδόξα effinxit, proposuit, & argutè miróque artificio discussit. Ex quibus, quum non modo eruditionis*

tionis solidissima, verumetiam fœcundissimũ summi iudicij fructum percipi posse, cum ab omnibus, tum verò præcipuè ab anxijs abstrusarum rerũ naturalium affectatoribus, colligerem: non dubitauo hoc genus disputationum, atque adeo diuinum ipsius authoris GENIVM, *vobis Lectoribus beneuolis vehementer cõmendare: tum quod suo quodam iure primus partus gratiã beneuolentiamque meretur, tum etiam quod quicquid literis mandatur, non iniuria omnium eruditorum lectioni debeat commendari, ne aut inanis videatur susceptus labor, aut ingenij fœtura atque vigor elanguisse, quem bonos doctosque in omnibus semper fœcundissimum vberrimumque optare decet. Valete. Valentiæ, tertio Idus Octobris. 1560.*

PARADOXORVM

LAVR. IOVBERTI DELPHINATIS, APVD MONSpelienses Medicæ artis professoris,

*

DECAS SECVNDA nunc primum edita.

Paradoxorum capita sequens pagina indicabit.

INDEX PARA-doxorum Decadis secundæ.

SANGVINEM menstruum nõ esse pernicioſum & veneno proximum: fluctibúſque mensibus fœminã concipere non posse: & quænam sit morbillorum ac variolarum origo: Ad illustriſſ. D. HENR. STAPEDIVM AGRIPINATEM, apud Lugdunenſes Medicum doctrina & experimento clariſſimum, virúmque integerrimum. Parad. I.

Febres nullas, præſertim ſalubres, ex putrescentibus humoribus gigni, ſed feruescẽtibus ſolum, vel vstionem patientibus: Ad honeſtiſſimum iuuenem OLIVARIVM CALHARTIVM Medicinæ Baccalaureum perquàm eruditum. Parad II.

Febres quaſuis ex bile potiſſimum excitari, & febrium omnium præcipuã materiam esse bilem: Ad eruditiſſimum virum, D. IO. EVSEBIVM Medicinæ doctorem. Parad. III.

Febrium omnium materiam propriã ſeu proximam in Corde contineri, non in aliis viſceribus, aut habitu corporis: & ſede non differre continuas ab intermittentibus. Ad egregium virum D. IVSTINVM MYLIVM Norimbergenſem, Medicinæ doctorem. Par. IIII.

Partes omnes ſpermaticas ſemine nutriri, & chylum ventriculi proprium eſſe alimentum: Ad egregium virum D. IO. BROHÆVM, Medicinæ ſtudioſum. Parad. V.

Singulas partes noſtri corporis humore à ſe attracto commodè nutriri, vt lienem ſanguinis fæce, cyſtin felleam bile, renes ſeroſo ſanguine, & veſicam vrinariam ſero: Ad honeſtos iuuenes ANTONIVM BELLAM, & GASPARVM TAILLADAM Hiſpanos Medicinæ ſtudioſos. Parad. VI.

Formatricem facultatem toto vitæ curriculo ſupereſſe, neque inertem neque ocioſam: & partes ſpermaticas ſemel deperditas non regigni ob ſolius materiæ defectum: eaſdèmque cæteris natura calidiores eſſe: Ad generoſum doctúmque iuuenem, D. THOMAM IORDANVM Clauſemburgenſem Transſiluanum, Medicinæ ſtudioſum. Parad. VII.

Sola ſubſtantiæ ſimilitudine attractionem, minime voluntariam fieri, non dolore, calore, fuga vacui, aut ſiccitate: Ad illuſtriſſimum Iureconſ. D. BENEDICTVM PERRINVM, virum integerrimum. Par. VIII.

Medicamenta cathartica humores è corporibus noſtris minimè attrahere, ſed potius fugare & expellere: atque ἀντισπάθειαν verius quàm συμπάθειαν opus ſuum perficere. Eodem modo & plæraque Alexiteriorum, quæ venena extrahere falſò dicuntur: Nec eſſe quæ ſurculos, aliáve corporibus infixa extrahere poſſint: Ad D. HIE-

RON. CHANBONEM medicum, & philosophum perspicaciss. Par. IX.

Venena in certum diem exhiberi non posse, neque certis occidere temporibus: Ad clarissimum medicinæ Doctorem, D. PETRVM PERRÆVM, iuniorem. Par. X.

SANG

SANGVINEM MENSTRVVM non esse pernicioſum & veneno proximũ: fluentibuſque menſibus fœminam concipere nõ poſſe: & quanã ſit morbillorũ ac variolarũ origo: Ad illuſtriſſ. D. HENRICVM STAPEDIVM AGRIPPINATEM. apud Lugdunenſes Medicum doctrina & experimento clariſſimum, virúmque integerrimum.

PARADOXVM I.

FELICEM eum eſſe qui poſſit rerum cognoſcere cauſas, tam verè quàm eleganter dixit Poeta, clariſſime STAPEDI. At quum per ora hominum phyſices ſtudioſorum ea ſemper feratur ſententia, miror qui fiat vt adeò pauci ſcrutandorũ Naturæ arcanorum deſiderio trahantur. Ferè omnes iis cõtenti quę à præceptoribus ſuis accepêre, nihil præterea inquirendum eſſe putant: inuenta eſſe omnia, nullãque nobis deinceps ſupereſſe materiã exercẽdi ingenij: quęcunq; dixerint antiquiores, rata & firma eſſe habenda, nuſquã ab illorũ autoritate (ne latum quidẽ vnguem, vt aiunt) diſcedendum: tametſi permulta ſe ignoraſſe, ac de pluribus addubitaſſe, ſcriptis ſuis nos admoneant iidem autores quos inſequuntur. Quaſi verò vt ſacroſancto Dei Euangelio, in diſcipli-

Universidad de Deusto
Biblioteca

nis fide adstrictos nos esse deceat, nefasque sit addidisse vel detraxisse quippiam. Quãto melius sensit eloquentiæ parens Cicero (qui tamẽ auctoris venerandi loco esse potest) inquiens: Lib. 1. de natura deor. "Iis qui discere volunt, obest plerumque eorum autoritas qui se docere prohtẽtur. Desinunt enim "suum iudiciũ adhibere: ad habent ratum quod "ab eo quem probant iudicatum vident. Nec verò probare soleo id quod de Pythagoricis accepimus, quos ferunt siquid affirmarent in disputando, quum ex iis quæreretur, quare ita esset, "respondere solitos, Ipse dixit. Ipse autẽ erat Pythagoras. Tantum opinio præiudicata poterat, "vt etiam sine ratione valeret autoritas. Ego sanè eorum qui philosophãtur facile postremus, id mihi nondum persuadere potui, non licere in rerum causis explicandis libere nostrum proferre iudicium: præsertim quum vnius & eiusdem effectus plures atque diuersæ occasiones recensері queant, neque omnes omnia norint. Hac ratione motus, & animi gratia, volui nonnulla in Physiologia paulò diligentius rimari, quæ vel obiter scripta, vel non exactè satis interpretata à prioris seculi medicis videbantur: necnõ plæraque illis prorsus incognita, aut saltem minimè literis mandata, plæraque perperam intellecta, quantum ex illorum scriptis possumus colligere. In eiusmodi verò studio nihil aliud mihi proponitur, quàm iucunda exercitatio: præter id quod animo satisfaciens, illũ suis expleo desideriis. Adeò lepidũ est & voluptatis plenum

plenum cõtemplationis studium, vt nihil æquè gratum nobis videatur ac in disquirendis rerũ causis frequens meditatio. Nostrarum cõmentationum prima fuit, de Risus natura, causis, & effectis: quę cùm mihi satis arrideret (vt sua cuique placent) audentior alias plæraſq; sum aggressus. Quũq; mihi multa displicerẽt, quæ pro certis & verissimis tanquã ἀξιώματα prius receperã, cœpi enarrationes paradoxas de his cõponere. Eiusmodi est quã de menstruorũ cõditione iam olim exagitatã cõtrouersiam, needũ cõpositã, ad te (mi STAPEDI) velut ad arbitrum quendã honorariũ mitto. In ea non vulgarem modo sententiã reprehẽdi, sed etiã FERNELII minimè vulgaris medici, ac perspicacissimi philosophi rationes quibus institutũ cõficit, retundi obseruabis. Audax factũ, inquies: non tamen pœnitendus labor, quũ ex talibus philosophantiũ cõtẽtionibus, veritas in suã possessionẽ magis magisq; asseratur. Neque verò nos, id est veritatis sequaces & studiosos, deterrere debet vllius autoritas, vel eorũ ipsorũ imitatione quos reprehendimus. Nisi enim veterũ scripta diligẽtius, & (vt dici solet) ad amussim examinare ausi fuissent, nihil præter vulgatas iandudũ conclusiones proferrẽt. Si officio nostro functi videbimur, ni fallor, si iis per quos profecimus, tametsi nõ vsquequaq; rectè senserint, aut quod rectè sentirent nõ æquè fœliciter explicarint, gratias habeamus immortales. Non autẽ vt stulta religione ipsorũ erroribus faueamus, quos ipsi,

Universidad de Deusto
Biblioteca

si cum doctrinæ incremento vitæ auctariũ perseueraſſet, emẽdaſſent ac correxiſſent, vel certè obliteraſſent. Tantũ verò abeſt vt eorundẽ erroris cõmonefacti, aliãque viã inſiſtentes, ipſis inſultare debeamus, vt etiã in eo ipſos de nobis benèmeritos agnoſcere nos oporteat. Hi ſiquidem, vt monet Ariſtoteles, aliquid etiã contule runt, vel ex eo quod habitũ ingeniumq; noſtrũ excitauere. Nã ſi Timotheus nõ fuiſſet, inquit, non tantã haberemus canẽdi peritiã: & ſi Phrynis non antececiſſet, nõ talis euaſiſſet Timoth. Sic ſi res habet de iis qui de veritate dixerunt. A quibuſdã enim opiniones quaſdã ſuſcepimus: at quidã vt talia ſentirent, cauſa fuêre. Sed quid te in his cõfirmandis retineo, quẽ iudicij æquitas, & doctrinarũ varietas, multaq; rerũ experientia, nõ ſinunt de philoſophorũ etiam vulgarium licẽtia, dubitare? Hęc ſcribẽdi libertas ſcio quàm à te probatiſſimo viro probetur, vel hoc argumento quod parodoxorũ meorũ ante aliquot annos editorũ lectione ſuprà expectationẽ meã ſic delectatus, adeò vt nõ minima ſollicitudine ea denuò excudẽda curaris. Quod ad te nunc mitto, generoſiſſ. STAPEDI (vt in difficillimis quibuſq; morborũ curationibus, & ſeriis valde ſtudiis, noctes atq; dies occupatiſſimo ſit oblectationi, & pauliſper animum relaxet) ſi fortè placebit, obſecro vt in lucẽ prodire ſinas, futurũ meæ in te obſeruãtiæ monumentũ. Habeo quod tuæ autoritati & excellentiæ aptius conueniat: de Peſte commentariolum ſcilicet, tuis

Lib. 2. metaph. cap. 1

tuis auſpiciis (ſi non detrectes) euulgandum. Cui enim hominum potius quàm tibi fortiſſimo illius Herculi, aduerſus tam crudelem tamque indomitam feram, excogitatæ oppugnandi rationes, conſecrandæ veniunt. Sed his alias, deo fauente, locus dabitur. Iam quod inſtituimus, fœliciter aggrediamur.

MENSTRVVM ſanguinem eſſe naturâ malignum, corruptum, ac veneno proximum, permulti magna autoritate viri affirmant. Inter hos Fernelius, nunquam ſatis laudatus Medicus, prę cipuúſque noſtræ ætatis philoſophus, eius ſanguinis perniciens atque vim peſtiferam (vt ille loquitur) recenſet. Quæ ſi vera ſunt, cur mulieres quibus ſupprimitur non ſtatim pereunt, vel grauem aliquam noxam patiuntur? Atqui non paucæ ex conceptu deterius non habent, nec vel tantillum incommodi toto vteri geſtationis tempore ſentiunt: quamuis menſtruus ille ſanguis cohibeatur. Attamen grauidas longè grauius ægrotare, quàm quibus alia de cauſa menſtruum retinetur, par eſſet. Quippe in cæteris, vniuerſo ſanguine in venis maioribus coërcito, prauus ille (ſi quis ſit) benigno ſuauíque permixtus contemperatur adeò, vt eius ferocitate aliquantulum ſaltem remiſſa miteſcat. in grauidis autem, quia (vt volunt) fœtus puriorem ſyncerioremque ſanguinem ſibi attrahit, reliquus effrænis amplius euadit: vt mirum ſit fœminam non ilico, tanquam aſſumpto veneno, interire. Quid quod peiora eſſe oporteret

Lib. 7. phi ſiol. cap. 7.

Universidad de Deusto
Biblioteca

symptomata tribus vltimis, quàm primis mensibus: vt pote quum iam plurima illius deleterij sanguinis quantitas sit acceruata. Contrarium tamen solet accidere, vt prioribus mensibus grauidæ mulieres peius habeant. Sed ne lõgior sim in huius opinionis refutatione, præstabit (opinor) veriorem asserere, quæ quum suis firmata rationibus sat erit probata, contrariæ absurditatem (est enim rectum sui index, & obliqui) monstrabit.

Marem à fœmina, præter quasdam corporis partes quę ad procreationem & ortum accommodantur, distinguit præcipuè temperatura: pro cuius diuersitate ex eorundem parentum seminibus, aliàs virile, aliàs muliebre corpus formatur. Et muliebre quidem, τὸ πάμπαν (vt loquitur Hippocrates) altero frigidius: ad quem excessum ferè largior sequi solet humiditas. Vbi enim calor est imbecillior, (qui tamen humores corpori nutriendo conuenientes, ex sumptis alimentis conficere, valeat) quum nec multum absumere, nec superflua discutere possit, super est vt plurimũ humiditatis coãceruetur. Est igitur fœmina sexus ratione frigidior atque humidior: quod non temere, sed prudenter à Natura institutum fuit, vt non ipsius duntaxat mulieris corpori alendo sufficiẽs pararetur alimonia, sed etiam conceptui aliquando futuro, veluti commeatus in penu reconditus præsto semper esset. Hac de causa dum vterum non gestat, iamque adulta est mulier, quia quantum san

sanguinis assiduè gignit, tantum nequit absumere, otio atque somno plurimum indulgens, crudior eius portio (quam, dum laudatior conceditur, negligũt nutriendæ partes) sensim collecta, inque vena caua redundans, post modum per venas vteri, omnium corporis partium facilè imbecillimi (vt etiam postremo loco formati, vt ὑστέρας appellatio denotat) erumpit. Pituitosum verò sanguinem esse, qui menstruis purgationibus materiam dat, non perfectè elaboratum & sola quãtitate peccantem, vt nonnulli cõtendunt, aut (quod aliis magis placet, quódque plane absurdum esse puto) venenosum, aperte docuit Aristoteles. Siquidem aduersus corum opinionem disputans, qui fœminas viris calidiores esse affirmabant, (cuius autor fuit Parmenides, vt idem etiam alibi testatur) ait: Si omnis concoctio calore efficitur, mares quàm fœminas esse calidiores necesse est. Ob frigiditatem enim & impotentiam fœmina sanguine abundat quibusdam sui corporis locis. Idque indicium facit, contra quã aliqui adferunt causam, quum fœminam esse mare calidiorem opinentur ob menstruorum emissionem. Sanguis enim calidus est, & quod plus sanguinis habet, hoc calidius est. Putant autem hunc affectum moueri abundantia sanguinis & caloris. Quasi æquè quoduis sanguis esse possit, modò humidum sit & colore cruentum: nec ita eueniat, vt minus sanguinis & sincerius fiat, in corpore alimenti melioris & habitus, &c. Quum itaque pitui

Lib. 4 de generat. animal. cap. 1.
Lib. 2. de part. anim. cap. 2.

Universidad de Deusto
Biblioteca

pituitosior crudiorque sanguis is sit, quem singulis mensibus, tanquam onus superfluum, minime grauidæ mulieres excernunt, si quando cohibeatur, pondere suo corpus grauat & lassitudinem affert, viscera obstruit, morbum comitialem & capitis dolorem inducit, pituitæ redundantis effectus. Atque si præ nimia copia rumpantur venæ pulmonum, tabes accidere potest. Omitto pedum laxos tumores (ἐπιδήματες speciem) nauseam & frequentem humoris aquei vomitionem citra conatum, pallidum colorem, lētam febrem, aliósque affectus, qui à pituita profecti, etiā in virginibus ex menstruorum suppressione frequentissimi apparēt. Eiusmodi est, vel optimè valentis mulieris excrementum, statis periodis excernendum: quòd si non effluat, morbi accidunt, quales prædiximus. Atque si plus iustò effundatur, maximo damno est, morbique fiunt, vt recte pronūciauit Hippocrates. Is enim sola quantitate videtur inutilis, quum & alendo & augendo conceptui apprimè conueniat, possitque lactis optimi formam accipere. Est siquidem eius generis pituita, quam Galenus docet non expurgationem mereri, sed in corpore manentem alterari debere: nisi tamen in temperamento frigidioribus aliqua sit alterius pituitæ portio, quam omninò crudam & inutilem citato loco idem appellat. Quum itaque iusta Naturæ prouidentia, quam modò explicauimus, factum sit, vt mulier eius humoris plusquam absumere valeat produce

Aph. 57. lib. 5.

Lib. 2. de facult. nat. cap. vlt.

duceret, illius quoque salubris excretio ab eadē fuit excogitata. Atque eiusmodi sanguinem (si bene coniicio) vitiatum & ægrotans, vocat Aristoteles, quod laboret eruditate, non quod venenarus ab eo iudicetur, vt putat Fernelius. Nam in fine capitis, ἰχῶρα appellat, id est saniem: quam definit sanguinem incoctū, aut quia nōdum concoctus est, aut quia in serum degenerauit. Possem aliam (& forte veriorem) Aristotelis verborum interpretationem afferre, de qua mihi nuperrimè cum CHAMBONE meo conuenit, in dictione Græca νενοσηκὸς aliter sumenda (quam Fernelium sequutus, vitiatū & ægrotantem sanguinem hoc loco verti) nisi mihi impræsentiarum sat esse videretur, aduersarij argumenta simili modo euertere. Est enim mihi tam liberum quàm illi, in verborum Aristotelis reddendo sensu τῶν μετεωρολεσχῶν commitere. Porrò quæ intemperiè aliqua laborant mulieres, nec perfectè sanæ sunt, aliorum quoque humorum superfluitates colligūt, vt nōnullæ bilioſis, quædā melāncholicis excrementis scateant: nō secus ac viri parum temperatis visceribus præditi, atque praua victus ratione vtētes. Hinc siquidem pendet omnis prauorum humorum scaturigo, bilis vitellinæ, rubræ, viridis seu porraceæ, æruginosę, & atrę. Quę quum prorsus inutilia sint, natura eorum excretioni studens, quantum potest ad intestina transmittit, vt fæcibus alui permixta reiiciantur: aut certe anum circunstantes venas referans, hęmorrhoidas excitat. In mulieribus

Lib. 3. de hist. anim. cap. 19.

ribus autem, illa eadem crudiori sanguini confusa, per vteri vasa propellere solet: nisi conuenientius videatur iis quoque hæmorrhoidas mouere, quod sane rarius accidit. Paucis enim mulieribus fiunt marisæ, aut varices, inquit Aristoteles: quia facile vnà cum menstruo reliqua excrementa reiiciuntur. Quòd si retineantur, præter varices atque marisas, etiam herpetes, cancri, phagedenę, & alia vlcera maligna, febres quartanæ, μανίαι, ἐλεφαντίασις, & eius generis vitia grauissima, non tantum mulieribus, sed & viris succedere conspiciuntur. Vt nulla ratione accusanda sit menstrui pernicies, quod ex illius supressione tãta mala proueniant, quum ea vtriusque sexus communia esse cõster. Quinimo si vera sunt quæ ex Plinio transcripta narrantur, non dubito quin humores per virorum hæmorrhoidas euacuati, plærunque malignitates deprehendantur: quantò scilicet acrior vitiosi calor maiorem iis prauitatem inducere Valet. Cæterum ex antedictis facile est colligere, deteriores illos & excremẽtitios humores, tum bilioſos, tum melancholicos, non esse Menstrui propriè dicti materiam: sed dũtaxat crudiorem ac pituitõsiorem sanguinem, cui (si alia de causa impurum fuerit corpus) solent varia permisceri excrementa: quæ, dum vires bene habent, vnà reiiciuntur. Fernelius contra, verum Menstruum esse putat, eam saguinis portionem quæ grauidis in pariendi tempus reseruata foras propulsatur: non quam fœtus per vteri acetabu-

Loco præcitato.

Lib. 7. cap. 15.

Lib. 7. phy siol. cap. 11.

la (si quæ sint) vi sua pro alimento attraxit. Neque aliam quæ in mammas concedit, vt naturæ mutationibus in lac conuersa, recens nato infanti familiare & conueniens nutrimentum supp peditet. Siquidem verum Menstruum, non modis tantummodo copia, sed etiam mala qualitate noxium & infestum esse docet. At ratio qua solam sanguinis redundantiam circuitus minime causam esse probare nititur, non satis concludit. Nam sua cuique est nimietas, vt etiam vasorũ capacitas in diuersis diuersa spectatur. Proinde, etsi nonnullis parcius fluunt menses, quæ scilicet exiguum sanguinis congerere solent, nõ tamen inde sequitur, maiorem sanguinis copiã circuitus mensium occasionem non esse. Quippe quod alteram nihil aut parum grauat, hæc sustinere non potest. Id quod duabus de causis potissimum accidere putamus, aut quia vasorũ maior est angustia, aut vires minus valent. Sic enim ventriculus naturâ angustior copiosiora alimenta capere nequit: & imbecilior factus, assuetæ quantitatis vix tolerat partem dimidiam. Captio est igitur ἀπὸ τῶ μεῖον ἢ ἀπὸ τοῦ: quum eadem sit proportio in capacitate aut viribus vasorum ex quibus menstrua manant, quæ inter varias menstrui fluxus copias. Sed Fernelio ἐπιτροπῶς agẽti ista præ exilitate vilescunt. Quod verò subiungit, huius circuitus causam, aut in Naturæ consuetudinem, quæ omnia certis legibus, certisque periodis exequitur: aut in sempiternos & immutabiles Lunæ cursus referendam

Universidad de Deusto
Biblioteca

dam esse, non satis explicat. Imo laborem subterfugiens, quod de specie dictum oportuit, ad generis latissimè patētis naturam refert. Quum enim de proxima huius periodi causa dicere haberet, ad communem longeque remotam confugit. Atqui, tametsi Natura consueuit omnia certis legibus perficere, nisi eadem victus ratio æqualem humorum exuperātiam faciat, æquali tempore status menstruorum circuitus non erit. Quin talis est eius excretionis lex à Natura institutura, vt quocunque tempore iustò copiosiorem eiusmodi humorem ægrè continent venæ, patefiant quæ circa vterum sunt, & ab earum osculis stillans sanguis dimanet profluatque. Vnde magis confirmatur, solā menstruorum quantitatem purgationi tempus definire. Eadem omninò ratione, eodemque modo, Lunæ cursibus sanguinis ille fluxus moderatur. Quamobrem nonnulli (ait Aristoteles) cauillo sexum fœmineum Lunæ tribuūt, quoniam simul vtilla decrescat & mulier purgetur, moxque repleātur ambæ, eueniat. Ergo sola quantitate peccat menstruus sanguis proprie dictus, qui sanè multus in venis collectus seruatur, donec excludatur infans. Tunc enim solutis secundinarum vasis quę vtero connectebantur, quo trahi solebat multus etiamnum effunditur. Atque is est materni sanguinis superflui minus iucūda portio, quam fœtus neglexit. Neque enim vel corruptum, vel malignum esse admitto, si alioqui bene sana fuerit mulier. Quibus verò diuersorum

Lib. 7. de hist. anim. cap. 2.

rum excremētorum copia coaceruabatur, quæ simul cum Menstruo excerni solita erat, omnibus iam cohibitis, mirum non est, si præter corporis grauitatē, nauseā, & μαλακίαν, fœdumque colorem, etiam lienis tumores atque varices accidant: sintque ab iis retentis in omne morbi genus procliuiores, quàm quæ vterū nō gestant. Hæc autem Naturā continere, ne si viā patefaceret, tum iis vtile fœtus alimentū simul emanaret, quicunq; asseuerat, partibus nostri corporis rationem attribuit. Quanto melius respondeas, quia fœtus iucundiores expetit, trahitque vitiosos humores (siqui sint) rantisper venas cōtinere, dū puero in lucem edito nihil alliciarur. Venas siquidem, seu probo, seu improbo sanguine plenas esse cōuenit: dumq; melioris portio rapitur, deteriorē seruare coguntur, donec nullo amplius trahente, præstantiorem in se cō tineant, & pro eo cōcedi solito, mox peior duntaxat reiiciatur. Porrò, quum meliorem & iucundiorem dico, Menstrui propriè vocati portionem intelligi volo, non totius materni sanguinis partem sincerrimam & lōgè optimam, quam Fernelius Auenzoari subscribēs, fœtum sibi pro alimento attrahere putat. Etenim sanguinem toto corpore redundantem in tres portiones distribuit: quarum primam fœtui alendo assignat, vniuersi sanguinis materni purissimam. Altera est eiusdem generis, ex eáque lac gignitur. Tertia in ipso partu copiosè profluit, quam solā verum Menstruum appellat Fernelius,

Universidad de Deusto
Biblioteca

lius, vt præmonuimus. Quæ opinio multis ratio-
nibus confutari potest. Et primũ, ex eo quod
maternum corpus sanguinis à se geniti præstan
tiore parte nutriri, sit verisimile. Neque enim
fœtui, quãtumuis cupide trahẽti, quod sibi ne-
cessarium est cõcedit: quũ ne corporis quidẽ vni-
us & eiusdem partes, aliæ aliis cedãt alimen-
ta, quibus ipsæ indigent, vt Galenus elegantissi-
mè demonstrat. Quanto minus fœtuj, qui pars
materni corporis nõ est, sanguinis elaborati sin
cerrima quæque portio permittetur? Id certè
quo mater facilè carere potest, crudiorem (in-
quam) sanguinem, attrahi sinent illius vasa: nisi
perfectè coctus exuperet, quãtus scilicet ad nu-
tritionem matris non requiratur. Sed quid est
necesse fœtum emendicare sanguinem elabo-
ratissimũ, quum semicrudus ei multo magis cõ
ueniat? Quid enim illius hepar iam conforma-
tum ageret, siquidẽ à materno corpore susci pe
ret alimentũ prorsus elaboratum? Iecur attra-
ctum sanguinem primum excipit, & iam in exter
no fœtus inuolucro (dum multas venas scilo
in vnũ colligentes permeat) nõnihil alteratum,
coquendo perficit, quò demum reliquæ partes
cõmodè nutriantur. Hac ratione fit, vt neq; ma
ternum corpus suo alimento priuetur, neq; in-
fantis iecur otiosum maneat, quod minimo ne
gocio plusquã semicoctũ sanguinẽ longè opti-
mum reddit. Postremo, lactis atque menstruo-
rum nõ esset germana illa cognatio ab Hippo-
crate celebrata, si quo nutritur infans, materni
sanguinis pars sincerior foret. Lac etenim ex pi-

Lib. 3. de facult. nat. cap. 13.

Lib. 6. epidem.

tuitoso sanguine fit, cũ in mãmis coquitur, nõ
recrudescit, vt aliqui somniarũt. Talis verò præ-
stat, quoniam ad lactis qualitatẽ magis accedit
quàm ruberrimus sanguis, vt qui leuiore in mã
mis alteratione facta, mox lactis formã subeat?
Id Galenum significasse arbitror, dum ait ex san
guine lac gigni, exiguam in mãmillis mutatio-
nem adeptũ. Quid quod, etsi mammæ coctum
magis postularent, nutricis tamen corpus reli-
quũ tantam copiã eleboratissimi nõ concede-
ret, quia ipsum quoq; tali indiget, vt de mater-
no suprà retulimus? Ex his tãdẽ sequi videmus,
nõ à materno corpore absolutũ: sed pituitosio
rẽ sanguinẽ fœtus conueniens alimentũ esse, ex
quo etiã lac fieri consueuit. Quinimo semen o-
mnium primũ tali sanguine nutriri atque auge
ri debere, rationi consonum est. Quum enim
similibus omnia gaudeant, nutrianturque, se-
men verò ex rudiore sanguine fiat (nam vt ve-
narum seminis materiã deferentiũ, altera sem-
per, & nõnunquam vtraque ab emulgente: sic
quoque arteria ab emulgente ducit originem)
seroso, aut si mauis pituitoso sanguine impri-
mis delectatur, nutritur, atque augetur: quem
etiam præ qualitatũ maiore conuenientia faci-
lius quàm rubicundiorem, in propriam substã-
tiam transmutare potest. Cæterùm, non modo
falsa est illa sanguinis redundãtis partitio à Fer-
nelio proposita, vt iam satis probasse videmur,
sed etiã (pace tanti viri dixerim) absurda, quod
Naturam prorsus inertem faciat, quam tamen

Lib. 1. de sanit. tuenda.

Universidad de Deusto Biblioteca

alio in loco perperam ratione donauit, vt ante docuimus. Si enim tres eæ portiones in supervacuo mulierum sanguine continentur, & singulis mensibus Naturæ impulsu foras exturbãtur: quum de tribus duæ sint optimi sanguinis partes, vbi est secernendi facultas, quæ melioribus seruatis, inutilia tantum abiicienda relinquat? Quî fiat vt à partu, eo absente qui vterum versus trahebat sanguinem, plurimus adhuc effundatur, nos supra explicuimus. Id autem saluberrimum esse constat, ne multus circa vterum collectus atque retentus sanguis putrescat, vel inflãmatione excitata morbum aliquẽ lætalem procuret. Plures verò dies fluxus ille puerperis continuari solet, quod totos nouem menses assuetus ad vterum colligi sanguis, statim aliò cõuerti nesciat: quamuis hunc mammæ iam accere incipiant, ad quas paulatim reflecti assuescit. Quòd si quandiu vtero gestauit mulier, pravorum humorum copia fuit congesta, vt plurimis accidit (vnde μελαινία, χαροποιΐα, & appetentiæ deiectio sub partum maximè infestant, quia collecta illorum quãtitas turgere incipit) multo maiore ac diuturniore expurgatione est opus. Cui verò, alioqui bene sanæ, pituitosi tãtum sanguinis (qui verus est Menstruus) quantitas exuperat, quum ex eodem lac optimum paulò post efficere Natura aggrediatur, parcior sufficit purgatio.

Superest vt, quod veterum diuturna obseruatione animaduersum narrat Fernelius, mulierem

lierem quæ profluentibus Menstruis fortè conceperit, fœtum ædere ad ἐκφαντίασιν propensum, examinemus. Siquidem huius causam statuunt, quod per id temporis fœtus necessariò nutritur & increscit ex menstruo prorsus vitioso & corrupto. Ex quo inferri potest, menstruũ sanguinem non esse malignitatis expertem. Quod ad obseruationem attiner, sit penes illius autorem fides, quum ne matres quidem ipsæ conceptionis tempus definitè distinguere norint. verùm, concipiatur menstruis fluentibus. non idcircò deterius habebit infans, si crudior tantum sanguis excernitur. Sin natura sua impurior, pro cacochymiæ conditione valetudinarium infantem reddet, siue tunc profluat, siue deinceps trahenti melioris inopia concedatur. Ast fluentibus menstruis fœminam concipere non posse, aut si concipiat, fœtum non cogi deteriore illo qui expurgatur sanguine (dum melior adest) vesci, rationes multæ docent. Et primum quod, si per venas in vterum desinentes à quibus sanguinẽ fœtus accipit, menstruorum expurgatio fiat, seminis ad vteri superficiẽ internam applicatio adhæsióque nulla poterit accidere. Affluens enim sanguis sperma deturbat, neque consistere sinit. Sin per eas tantum venas quæ vteri collum circundant, fieri soleat menstruorum eruptio, vt ipsi coniicimus: conceptum semen, eo neglecto qui effluit, per vteri fundi vasa meliorem sanguinem (si detur) attrahet. Quid enim officiet per aliam regionẽ ma-

Fluẽtibus menſibus fœminam concipere non poſſe.

Universidad de Deusto
Biblioteca

nans humor, qui nonnullis etiam grauidis toto gestationis tempore emittitur? Est autem verisimilius per vteri ceruicis vasa, quàm per accetabula dicta, menses effluere, quum fundi vteri venæ in non prægnantibus exiguæ & angustæ appareant: multò verò crassiores, quæ ad cerui cem dispositæ sunt. In grauidis autem contrarium accidit, quia menses non erumpunt, sed à fœtu in vterum perttrahuntur. Adde quod matricis os interius conniuere oceludique soleat: vnde sanguinem aliquãto tempore in eius fundo coaceruari prius oporteret, quàm sua quantitate grauans, aut qualitate displicens, orificiũ id referari cogat. Quòd si retineretur, non tenuis ac fluxilis stillaret sanguis, vt nunc appareat sed concretus frustulatim reiiceretur: quemadmodũ à partu plærisque omnibus accidit, quãuis vteri os interius paulò ante plurimum se dilatarit. Ea enim est sanguinis conditio, vt extra propria vasa collectus mox corrumpatur, vt in aphorismis dixit Hippocrates. Quæ ratio illud etiam confirmat, fluentibus menstruis fœtum concipi non posse. Quod & si concederemus, non tamen sequeretur, ex eo puerum λεπραν τιάσει fore obnoxium, si parẽtes sani extiterint: vt propositis argumentis abundè probatum existimo.

Aph. 20. lib. 6.

Quenam sit morbillorũ & variolarum origo.

Vnicus nobis relinqui videtur scrupulus, quo summoto menstrui sanguinis vera conditio nulli non erit manifestissima. Dubium est ciusmodi. Si menstruæ purgationis nulla est malignitas,

lignitas, nullaque pernicies, vnde variolarum & morbillorũ pendet origo, quam omnes illius impuritati attribuunt, excepto Fernelio. Hic enim à vulgari opinione vltrò discedens, nouam quandã prædictorum affectuum occasionẽ anxiè quæsiuit: quum tamen opinioni quam de menstrui venenositate defendit, illa maximè suffragaretur. Nam tametsi statuat, fœtum sincerissima sanguinis portione nutriri, quũ eandẽ velit fuisse prius corruptæ ac malignæ permixtam, non potest omnimodam effugisse labem, quin ex alterius contagione saltem vitium contraxerit. Quid verò magis argoit sanguinis mẽstrui prauitatem, quàm quod cæteri affirmant: reliquias illas menstrui quo fœtus in vtero alebatur, in pueris & infantibus permanentes. Naturæ vi tandem aliquando propulsatas foras prosilire, ac efflorescere in cute: eamque morbillorum & variolarum, veneno proximam esse materiam? Sed quid de hac re sentiẽdum sit, paucis explicemus, Rhazis opinionẽ (quæ sanè verissima est) sequuti. Nam Græci autores huiusmodi affectus neglexisse videntur, etsi minimè prætercunda fuit eorum generationis causa, curandiq; methodus, quũ nullus ferè hominum sit, qui iis aliquando nõ laboret, neq; pauci succumbãt. Rhazes pestilẽtiam appellauit, nõ quod venenatæ qualitatis aliquid inesse suspicaretur, sed quia popularis est, & ἐπιδημικὸς. Plærique enim τὴν ἐπιδημίαν & pestem, pro eodem sumi, quamquã ineptè, volunt. Fit autẽ cùm san

guis efferuescit ac depuratur, nõ aliter quàm vinum in doliis ebulliendo defęcari videmus, cuius spumosę sordes à superioribus locis expurgantur, crassiores quæq; latera vel fundum petunt. Eodẽ planè modo variolę & morbilli accidunt, cùm sanguis ebulliens suam veluti spumam & halitus crassiores ad cutẽ mandat: crassiora verò sedimina, per alui fluxum (qui hos morbos ferè terminat) reiicit. Febres sunt de synocharum genere, quum nullã intermissionẽ habẽtes, circa sanguinem præcipuè versentur. Nullum putredinis indicium (si modo simplices fuerint morbi) cernitur in vrinis. Ex pituitosiore verò sanguine fieri, συμπτώματα docent. Nam inchoante morbo somnolenti reddũtur, caput ingraueścit, oculi tumẽt & illachrimant: febris est non admodum vehemens. Atqui variolas omniũ maximè ex pituitosiore materia esse, testantur papulæ, quas pallidus humor magna ex parte facit. Morbillorum verò materies longè tenuior, maculas tãtum inurit. Pueris & infantibus sunt familiares affectus hi, quia sanguinẽ aliquando defæcari oportet, quo turget eorum corpus. Ná vtero inclusi, dum alimenti largior copia illis suppetit, & natura ad auctionem partium quantũ potest festinat, abundantiore sanguine non explentur modo, sed veluti inebriantur: ob id recens exclusi immodicè rubent. Deinceps verò è mammis assiduè pendentes lac plurimum temulenter hauriunt. Ablactati nunquam ferè cessant comedere.

medere. Hinc fit vt multo succo abundent, quẽ aliquando depurari oportet, quò deteriores eius portiones seruatis melioribus abiiciantur. Deprauatos quoque humores facile plurimos habent collectos, non solum ob ingluuien & assumendorum ordinem præposterum, intem pestiuáque exercitia (quæ puerulos eruditatibus abundare faciunt) verumetiam quia sæpius impurum lac sugunt, vel cum edere incipiunt χυμοῖσι cibariis κακόχυμα præferre solẽt. Quòd si præterea mater cum vtero gestaret non integra sanitate fuerit, certum est infantulo expurgandi illinc contracti excrementi longè amplissimam dari occasionem. Accidit verò per austrinam constitutionem calidam humidamque, & æstatem pluuiosam, vt prædicta sanguinis efferuescentia fiat. Aliàs ver, quo tempore humores commoueri solent, illi excitandæ est conuenientissimum. Quod verò nullus fermè denuò affectibus his laboret, causam esse puto, quia semel facta humorum depuratio potest sufficere, vt in vino & aliis succis obseruamus. Fieri tamen potest vt frequentius ferueant, quodque antea nõ fuit expurgatum, per alterius generis febres committat ἐξανθήματα. Id enim quotidie obseruamus ardentibus febribus accidere. Quæ si vera sunt, nemini iam dubium est, quin morbillorum & variolarum generatio ex κακοχυμίᾳ pendeat, quam infantes in lucem editi ex ingluuie & improba victus ratione, sæpius quàm ab vtero contraxerunt. Eadem occasio facit, vt pri-

ma ætas prę cæteris sit morbis eiusmodi obnoxia, non minus quàm φθειριάσει, id est pediculari morbo, scabiei, & eius generis affectibus, quos sola cutis (ab interioribus expulsa recrementa recipiens) sustinet.

Habes illustriss. & amiciss. STAPEDI, nostrâ de Menstrui natura opinionem. In qua explicanda si aduersus Fernelium paulò seuerius egerim, æqui ac boni consulant quicunque illius summam eruditionem nobiscum admirantur. Neque enim contentionis studio, vel ambitiosâ quadam æmulatione accensus, sed vnico veritatis indagandæ stimulo excitatus, hanc disputationem instituí: eadem plane licentia fretus, qua in præcipuos tum Medicos, tum Philosophos non temere agit ipse Fernelius. Hęc te scire volui, vt si quos forte obtrectatores agnoscas, præsto sit pro tuo IOVBERTO ἀπολογία. Vale.

FEBRES NVLLAS, PRÆSERtim salubres, ex putrescentibus humoribus gigni, sed feruescentibus solum, vel vitionem patientibus: ad honestissimum iuuenem D. OLIVARIVM CAILHARTIVM, Medicinæ Baccalaureum perquàm eruditum.

PARADOXVM II.

CVM TIBI SÆPE multa roganti de febrium materia, sede præcipua, & (quod omnibus occultissimum censetur) circuituum ratione, ex vulgari opinione atque communi schòlæ Medicorum consensu, respondeo, longè plures superesse quàm à nobis eximi scrupulos, affirmas. Diceres Lernæam Hydram mihi secari, vno abscisso capite multis subinde renascentibus. Atq; (vt verum fatear) id me semper male habuit, quod ex nostrorum decretis, nec facile, nec certò ad omnia quæ de febribus quæri solent, quis responderet posset. Quamobrem, vt mihi quoque ipsi satisfacerem, vel tuo hortatu, & continua (ne dicam importuna) efflagitatione commotus, febrium naturam inquirere cœpi, alia quàm medicorum vulgus incedens via. Sic soleo,

Universidad de Deusto
Biblioteca

leo, vt nosti, in quibus aliorum placita mihi displicent, insistere, ac veteribus dirutis fundamentis (quod suspecta parumque firma sint) noua construere. In effectis quidem omnes cõuenimus. Principia tantum, & illorum causas aliter constituimus, ex quibus certior euẽtuum ratio reddi queat. Cæterùm, in hac tractatione (quam præterita hebdomada, quum à lectionibus cessaremus, absolui) multò plura sese obtulerunt παράδοξα, quàm ab initio speraſſem. Omnia certè aut veriſſima, aut maximè probabilia: cuiusmodi est quod tibi nunc mitto, febres nullas salubres rectè dici putridas, quum non putrescentibus, sed potius accensis vel feruentibus humoribus fiant. Galenus nunc putrere, nunc accendi & bulire dicit, quasi nihil aut parum ista differrent: adeò res ipsas cum verbis confundit, quas latissimo discrimine distinctas esse nouimus. Alterum est, ex bile potissimũ febres omnes excitari, quam propositionem ex Hippocrate dudum sustinere decreueram: sed mihi iamiam probabilior visa est, & priorem confirmat. Postremò febrium omnium coniunctam materiam in Corde contineri, nec sede differre continuas ab intermittentibus (vt volunt) deprehendi. Quod etiam Hippocratis doctrinæ admodum consentit: neque à Galeni preceptis dissentire videretur, nisi ipse sibi dissideret. Verùm de his suo loco, & dato longiore otio disputabimus. nunc ad propositum primo loco παράδοξον accedo.

MEDICI

MEDICI febres omnes pro materiæ diuersitate in tres classes diuidunt, ephemerarum videlicet, humoralium, & hecticarum. Humorales verò (vt alias species omittam, quòd de iis agere præsentis instituti non sit.) vel pituitosas, vel biliosas, vel melancholicas esse dicunt: arbitrantes ex pituita seorsim, vel bile alterutra, tanquam materiis, febres omnes fieri, quæ tum continuæ, tum intermittentes vocitantur: nimirum quotidianæ, tertianæ, atque quartanæ. Easdem putridas nuncupare solent, quòd putrentibus (vt volunt) prædictis humoribus fiant. Verùm mihi rem istam sæpius examinanti, nunquam in animum subire potuit, quomodo recte putrere dicantur quæ febres (præsertim salubres) committunt succi. Nouissimè autem cogitaui, num communis omnium febrium materia dici possit, humor accensu facilis, qui dum in corde comburitur, acriorem animalis calorem efficit. At priusquam istud asseram, mihi venit exagitanda vulgaris opinio, quæ humores putrere, dum febres humorales fiunt, sustiner. Quod (opinor) facile ac paucis absoluemus, cũ vix probabilis vlla ratio doceat, quî putreant in vasis humores: amplo scilicet spatio, & naturali loco inclusi. Nam si ex venis profluat sanguis, necessariò corrumpitur, etiamsi capacissimo loco excipiatur, vt ventriculo. Putrere verò aut etiam suppurari, non est necesse, vt recte Galenus Hippocratis sententiam interpretatur, qua docet, περὶ τῶν κοιλίων αἷμα ἐκχυθὲν παρὰ φύσιν, ἀνάγκη

Aph. 20. lib. 6.

κῶν

ulus ἐκπυησαι. Siquidem illud ἐκπυησαι perperam seu improprie dictum esse ab Hippocrate, scribit Galenus, quòd ea voce vnica species mutationis seu corruptionis significetur, quum hic in vniuersum de quauis corruptela dici debeat. Quippe certum est, sanguinem non permanere qualis fuerat antea, sed aut liuescere, aut nigrescere, aut in grumos conuerti, aut suppurari. Atque tunc maximè putrere aut suppurari videtur, cum in angustiore loco pressus conculcatur: id quod per inflammationes accidere, testatur experientia. In venis autem optimè incorruptus seruatur, non ex loci tepore, vt affirmat Aristoteles, quum etiam reliquum corpus omne tepescat, sed ex ingenita quadam vi & similiaritate, quæ profectò efficit vt hæ naturalis & legitimus locus sint sanguinis. Porrò si totus sanguis, vt ex quatuor humoribus constat, in vasis non concrescit, nec putret, multò certè minus seorsim quisque ex dictis humoribus id vnquam patietur. Nam quod ad concretionem attinet, omnium humorum (dempto sanguine peculiariter dicto) proprium est, autore Galeno, non gelascere, etsi è venis synceri effluant. Quantò minus in vasis eos putrere est verisimile, vbi vastiore loco, sibique proprio includuntur, si neque illinc egressi & in angustioribus meatibus hærentes, putrescere soleant. Oedema siquidem, & herpes, & scirrhus, quum ex puris humoribus fiunt (si quando fiant) pituita scilicet, bile, & succo melancholico, ad suppurationem

Lib. de atrabile.

tionem (quæ minor est quàm putredo, corruptio) minime tendunt, vt phlegmone. Quod etiã Galenus innuisse videtur, dum inquit: Decumbentia excrementa in omni inflammatione putrescunt, non tamé similiter omnia, eo quod quædam sunt pituitosa, alia melancholica, non nulla biliosa. Sanguis autem facile putret, forte quia putredinis causæ sunt largior humiditas vna cum calore: quæ duo solum in sanguine synceriore deprehenduntur. Vnde fit vt is non difficulter putreat, si è venis in angustiorem locum excidat. Tunc enim supra-modum incalescit, & dum vniuersæ materiæ prohibita est transpiratio, quę in eius centro sunt portiones, à superioribus vndique constipatæ, suffocato calore natiuo putrere incipiunt: reliquæ verò sensim ex contactu, & haud dissimili conditione, idem patiuntur. Propterea si humores alij sanguinem permixtum habeãt (quod sanè frequentius accidit, quum vix vllus præter naturã tumor ex simplici materia constet) in aliquam particulam effusi, pressi, & conculcati putrent, aliàs nunquam. Non enim admittet suppuratio nem oedema, quod synceram pituitam habet. Nec herpes, nec erysipelas, vbi simplices erunt humores. Nam quod Hippocrates dixit, ἀπὸ ἐρυσιπέλατος σηπεδὼν ἢ ἐκπύησις, id est, ab erysipelate putredo vel suppuratio (supl. malum) non nisi valde malignis erysipelatis superuenire solet, vt exponit Galenus. Sic nec scirrhus ex mera sanguinis fæce, aut crassiore pituita factus, (nam

Lib. 2. de diff. feb. cap. 15.

Aph. 20. lia. 7.

duplicem

Universidad de Deusto
Biblioteca

duplicem eius materiam istam agnoscit Galenus)putredinem,sed potius adustionem patietur:siquidem verum est,ad putredinem efficiendam,præter loci caliditatem, etiam humoris similem qualitatem requiri,vt idem autor sexcéties dixit. Multò certè minus bilis atra (quã vocant)in cancris putrescit,sed verius ardens comburitur, vnde fiunt vlcerati. siquidem minime vlcerantur, quum modestior is humor fuerit. Quum itaque ex propriis vasis egressi,& in angustioribus locis pressi humores nõ putreant, pituita & bilis vtraque : non video quî in venis istud patiantur:quum(vt Aristoteles quoq; docet)quod motu cietur ac fluit, minus eo quod quietem agit immotumque manet, putrilagine tangatur. Ad hæc multum minus quam paucũ putrescere solet: maiorem verò humoris cuiusuis quantitatem in venis, quàm in particula tumorem patiente,cõtineri,nemo negabit.Quãobrem non temerè, sed probabili saltem aliqua ratione persuasus,in eam descendi opinionem ,vt affirmare audeam , humores in venis per febres non putrescere , sed tantùm aduri. Putredinem verò hic dictam volo , non quamuis humorum corruptionem , sed quæ propriè σηπεδὼν & ῥῆσις Græcè vocatur,quam Aristoteles definit φθορὰν τῆς ἐν ὑγρῷ ὑγιείας καὶ κατὰ φύσιν διεκτικοῦ, ὑπ' ἀλλοτρίας διεμόντος. Par hanc gangrenæ gignuntor ex inflammationibus, exdauera autem aliaque multa fœtorem acquirunt. Aut,si placet(quod minus est malum putredo

Lib.de tum.pr. mat.

Lib.de mixt.aff. (qui falsò inscribitur meteor.lib. 4.cap.1.

sumatur qualis in suppurationibus appareret corruptio. nam vulgus id quoque putrefactionem vocare solet. Atque in ea significatione putredinem accepisse Galenum in hoc proposito(ne quis tergiuersetur) sequentia verba manifestissimè docent, ῥῆσις.i. putredo humorum quæ fit in vasis(inquit)similis est putredini quæ in inflammationibus fit, & abscessibus,& aliis phymatis.Et paulò post : Quot in abscessibus putredinis differentiæ sunt,tot in febribus ex putredine accensis τῶν ἐμπεφλεγμένων τοῖς ὑγροῖς, id est eorum quæ in vrinis inuehuntur, formæ existunt. Et alibi sæpius,febricitantium vrinæ ὑπόστασιν puri proportione quadam respondere,prædicat:vnde quis fortècolligat,febres hoc nomine rectè vocari putridas.At quantum discriminis sit inter pus & putredinem, ex multis Galeni locis cõprobare licet. Et primùm quod putredinem à calore præter naturam, pus verò à naturali fieri doceat.Deinde,quod ipsũ quoque pus temporis processu putrescere,& arrodendi vim accipere demonstret. Ex cuius sententia manifestissimè colligitur,pus mediã sortiri naturam inter prorsus laudatos humores, & putridos.Fernelius tamen(quod satis mirari nequeo) sanguinem in musculos irrumpẽtem, qui tumorẽ præter naturam phlegmonémque parit,putrescere primum,dein suppurari annotat.Sed ad pũtredinis propriè dictę significationem redeamus, quam ipsemet Galenus rectè explicat,dũ accuratè loqui studet. Inquit enim

Lib.1.de diff.feb. cap.7.

Cap.8.

Lib. 5.facult. simp. cap.6.

Com.in aph.15.lib. 5.

Universidad de Deusto
Biblioteca

« Quæ nimiò plus refrigerata sunt, aut excalfacta, tum exiccata, aut humectata, ea omnia corrumpuntur. Cæterùm non quicquid corrumpitur, σήπεσθαι. i. putrere dicimus, sed quibus id cum fœtore accidit. Et quis (obsecro) rectè dicit putabit, paleas & ligna cum aduruntur, vel oleum, aquam, & similia dum elixantur, putrere, licet tandem absumpta corrumpi videantur? Non minus profectò impropriè loquuntur (meo iudicio) qui ἀπὸ τῆς σαπεδόνος, febres aliquas τὰς ἐπὶ σαπεδόνι, aut ἐπὶ ψήνα πυρετὰς vocãt id est putridas? Qua loquendi forma Galenus cumprimis vtitur, qui (sui immemor) passim putredinem cum adustione confundit, siue febrium humoralium naturam explicet, siue humorum variam transmutationem. Quinetiam putrefactionis dictione abutitur, ad significandam partium sanguinis distinctionẽ separationémque, vt dum quid ex sanguinis corruptione accidat, explicare nititur. At longè aliud est putrere, aliud in diuersas naturas mutari eius partes. Differunt etiam vt δὶς λιὰ πασῶν, putredo & combustio, tum in humoribus, tum in quibuscunque aliis rebus, considerata. Nam fœtor putredinem comitari solet, vt ex Galeno docuimus: fœtorẽ verò prohibet ac prorsus delet assatio. Rursus, hæc in cineres materiã, quã tractat resoluit, absumpto ac euanescente humore qui terrenas portiones commiscens retinebat: illa verò in fœtidam saniem commutat, non in pus vt quidam ait. Pus enim ἰκιρία fœtidum sentitur quod

Lib. 2. de diff. feb. cap. 12.

quod suæ bonitatis summum est assequutum. Non igitur rectè vocant putridas febres, quæ suapte natura salubres sunt, quum putredo longè grauissimum indicet malum. Id ne Gordonium quidem latuit, qui proposito dubio, cur in febribus continuis fœtor non est, postquam est ibi continua putrefactio, (vt ille loquitur) respondet: Duplex est putrefactio: quædam per viam ebullitionis, & talis nõ inducit fœtorem, & talis est in febribus. Et est alia, quæ est substãtiæ corruptio: & talis inducit fœtorem. Et ideò quando in febribus continuis apparet fœtor, signum mortis est: quoniam non solum significatur ebullitio, sed substantiæ humidæ corruptio & ideo mortale. Hæc Gordonius, qui doctè magis quàm eleganter humorum febres inducentium affectum expressit. Humores siquidem in venis contenti, ceu aqua, aut alius liquor in vase feruere videntur, per febrium durationem. Calor verò ille ingens, & præter naturam adauctus (quem nonnunquam absolutè πῦρ vocitat Hippocrates) in ipsis iisdem humoribus insider, quos quandiu supperit materia depascitur: non aliter quàm ignis, quãdiu ligna supersunt, vrit atque viget. Hic aliquis obiiciet: Cur putridas febres vocari non sinimus, quotidianas, tertianas, & quartanas, tum continuas, tum intermittentes, quum tamen sanguis per phlebotomiam detractus, aliquando appareat non solum fœtidus & grumosus, sed & putridus vsque adeò vt nec sibi cohærere, nec concrescere

Universidad de Deusto
Biblioteca

queat, omnibus scilicet eius fibris putredine consumptis, vt putat Fernelius? An sanguinis alia est quàm cæterorũ humorum ratio, vt sup. quoque monuimus. Sanguis enim facilius multò putrescit, quod humidus caliduſque sit. Reliquì verò aut calidi & sicci, aut frigidi ac humidi, aut sicci frigidioréſque habentur. Vnde nec tumorem præter naturam efficientes aut putrescunt, aut in pus vertuntur, quod sanguini tantum accidere obseruamus. Hic autem in venis putret, non facilè, nec sæpe læuíque de causa, sed in putrida atque pestilenti cœli constitutione. Galenus in eadem sententia fuisse videtur, cùm ait: Præsentis dictionis febrium catalogus, à caliditatis sumitur differentia, in qua pestilens febris contineri potest, quod putrẽ habeat humorem. Et deinceps: Pestilens sola significatur, quæ ex eo ab aliis differt, quod σηπεδονώδες. i. putrilaginosam habeat caliditatẽ. Porrò tales morbos, in quibus scilicet putris est sanguis, lethales esse putamus. Ob id quæstionem propositã de febribus salubribus intelligendam esse voluimus ac significauimus, quas indiferenter cum aliis putridas appellant. Quòd si aliquando extractus per venæ sectionem sanguis fœteat, putríſque deprehendatur, id non arguit talẽ prius in venis extitisse, & fœtentẽ & putridum: nam mox eam labem contraxisse potuit. Qui enim multum à naturæ suæ bonitate recessit, facilè corrũpitur è venis egressus. Sanguis enim, lac, & semen promptè extra propria conceptacula cor-

om. 28. sect. 1. lib. 6. epidem.

corrumpuntur, vt experientia testatum est: & eò quidem citius, quo impurior fuerit materia. Si hæc vera sunt, inquies, febres quascunque salubres solis alterãtibus curare poterimus, quũ ex accensis tantùm humoribus, non autem putridis, fiant. Nam quid prodesset febricitãtibus venam secare, & purgans medicamentum exhibere? An febris sui ratione alterantibus, magis quàm euacuantibus, indiget? Quod enim phlebotomia & medicamentis extrahimus, antecedentis materiæ, non coniunctæ, portio est. Sed de hac re in sequentibus nos fusiorem disputationem sumus habituri. Iam huic ratiocinationi finem imponamus, qua docere propositum fuit, febres omnes quotidianas, tertianas, & quartanas impropriè vocari putridas, cum potius humorales simpliciter dicẽdæ sint. Grauius siquidem malum est putredo, quàm vt his (magna ex parte, & suapte natura, salubribus) conuenire possit.

Quod medicis rationibus iam à nobis comprobatum fuit, idem physicis paulò accuratiùs expendatur. Sic enim fiet, vt rei veritas magis eluceſcat. Mutationi quæ ad generationem tendit, si deprauatio in parte tantum accidat, non generatio, sed vel μείλωσις, vel ἀπυξία erit ea mutatio. Quòd si in vniuersumea ipsa deprauationem, & omnimodam prohibitionem quominus finem assequatur, sortita fuerit, existet Putredo. Sic generationi contraria sunt (pro varietate partium subiecti quod eã mutationem

Universidad de Deusto
Biblioteca

suscipit) μόλυνσις, ἀπεψία, καὶ σηπεδών: non quidem terminis: nam hæc ἐναντιώσει, contraria est generationi corruptio: sed finis & effectus dissimilitudine. Quæ quòd ita sint, quoduis horum trium semper habere corruptionem antecedentem oportet. Ob id Aristoteles, omnem quæ secundum naturam sit corruptionem, esse progressum ad ista, potissimumque ad putredinem dixit. At quicquid corrúpitur, propriâ formam necessariò amisit. Quamobrem sanguis futurus putridus, quum putrescere incipit, non iam erit sanguis: vt pote qui propria forma iam sit destitutus. Altera est ratio, quæ vim habet ex successione τῶν παθημάτων, quæ quidem subiectum putrescens subire oportet. Eorum ordinẽ describere videtur Aristoteles, in hæc verba: τὸ σηπόμενον ἅπαν δεῖ ψυχθῆναι πρότερον. Et paulò post, σήπεται δὲ οὐχ θερμὸν ἀλλὰ ψυχθέν. Priusquam igitur sanguis fiat putris, eũ refrixisse decet: ac proinde fuit tempus, quum sanguis ille suo calore destitutus, morbum tamen nullum inuehebat. Siquidem ex eorũ sententia qui vulgarem de febribus opinionem sequuntur. Febris tunc solum existit, quãdo calor alienus propriâ sanguinis temperiem immutauerit. Quod incómodum nonnulli vt vitent, dicere malunt, putredinem in humoribus πυρετοποιὸς non esse caloris natiui extinctionem, (sic enim τὴν φορὰν interpretantur) sed deprauationem. Credo τὴν μόλυνσιν eos innuere velle. Aſt iidem non attendunt, se sua interpretatione vti σωφθόγγῳ longè audaciori, quàm quis sit illis concessurus. Præterea non video quî κακόχυμον à febriente differre faciant. Cæterùm, quod de putredinis ac puris discrimine superius est annotatum, id ex rerum natura licet accuratius distinguere: vt ea sit inter hæc differentia, quàm inter μόλυνσιν & τὴν σηπεδόνα esse diximus. Si enim ex Naturæ instituto perfectam mutationem sortiretur humor ex quo fit pus, esset generatio, nempe nutritio. At quum eius mutationis motus aliquatenus ex parte aberrarit, sequuta est μόλυνσις, quæ generationis quadamtenus est contraria. Si verò mutationis ex qua sequi debuit generatio, in contrarium omninò translatus fuerit motus, sequitur putredo, quę est generationi vsquequaque contraria. Ex hac tandem accidit σηπρότης vt ἀπὸ τῆς μολύνσεως pus. Quòd si motus ille mutationis iam dictæ, diminutus solum fuerit, nec quoque transferatur, existet ἀπεψία, quæ generationis alterum cõtrarium est. Superest vt putredinis causas etiá examinemus. Earum præcipuas, ex vulgata medicorum sententia, statuimus largiorem humiditatem vnà cum calore: σωσιπίαν verò conculcationem, & conueniẽtis loci mutationem. At si quis rerum naturam diligentius expendat, prima & prope vnica putredinis occasio esse videbitur, ἡ τῶν ἀλλοτρίων ἐπιδεξία. Nam quantò pluribus maioribúsque ἀφορμαῖς fuerit comitata ea ἐπιδεξία, tantò auctior existet putredo. Idcirco ab aere pestilenti facili inducitur putrefactio, quum maxi-

Lib. de mixt. affect. cap. 1.

Prol. 19. sect. 25.

Universidad de Deusto
Biblioteca

ma sit inter spiritus & sanguinem σωσολα, maximáque ab aëris contagione adsit τῆ ἐπιπλέξια ἀφορμη. Hinc enim facilis est putredini ingressus ab aëre in sanguinem. Itaque prima ad putroré occasio, quæ in re putrescente reperiri possit, est peregrinæ qualitatis susceptrio: eaque ratione deprehẽditur ignis putrere non posse, quoniam alieni nihil admittere queat: reliqua omnia elementa possunt. Neque verò tantillum ad putredinem facit conculcatio, vel angustior loci capacitas: quinimo nec vlla loci mutatio putredini occasionem affert. A quantitate siquidem nulla fit actio. ergo nec refrigeratio, quæ est putroris effectrix. Qui fit igitur (inquies) vt à suis locis translata plæraque putrescant? Non locus, sed ambientis caloris dissimilitudo ab eo calore qui est rei quæ putrere debet, proprius. Hac de causa lignorum complurium frusta sub aquis minimè putrent, etsi locum naturalẽ mutarint. Vnde hoc, nisi quod humor externus sit communis naturæ cum eo qui frustis inest proprius, vt in alno aquarum accolæ? Non est ergo ad putrorem occasio locus, nisi qua ex parte cõtinet corpus ambiens rem putrescentem, in quo sit qualitas naturæ dissimilis, ab ea quæ erat rei putrescẽtis propria. Ob id enim sanguis è vasis in aliam corporis partem elapsus putrescit, quia est caloris dissimilitudo, tametsi è corpore non excesserit. Id quod Aristoteles voluit quum diceret, vasorum teporẽ sanguinẽ conseruare. Est enim variarũ corporis partiũ varius calor. De cõculcatione verò ita sentiẽdũ putamus: Eã putrorẽ minime inducere, alioqui ignis in ferro ignito putresceret. Ipsa autẽ obstructio, putredinis causa quædem statui potest. Nam in corpore animantis partium sanguinis congestio efficit, vt calor continuata accretione adauctus, nec ventilatus, nec à fumis liberatus, turgeat incluſus. Spiraculis verò ex distentione occlusis, tandem vt extinguatur accidit: quæ vera est putredo, aut saltem ipsius modus vnus. Supersunt eorum quæ putrescunt παθήματα. Ex iis præcipuus fœtor esse videtur, qui putrentibus omnibus inesse solet. Non tamen certum est putroris indicium, quum etiam non putrefactis cõueniat, vt stercoribus. Hæc enim vel perfecte sanis hominibus fœtent in quibus nulla est putredinis suspicio. De sanguine verò quod aiũt, putridũ nec sibi cohærere, nec cõcrescere, omnibus scilicet eius fibris putredine consumptis penitus falsum est. Quod hac ratione palam fit. Alteratio quæ putrescendo fit, primas quasque rei putris partes absumit vt quæque sunt humidissimæ. At sanguinis partes maximè terreæ sunt fibræ. Ergo priusquam illæ consumantur, quicquid fuerat humidum in sanguine, consumptum fuisse oportuit. Propositionis rationem explicauit Aristoteles, inquiens: διὰ τοῦτο ἧκιστα ξηρότερα γίνεται τὰ σκωλήκια πάντα, καὶ τέλος γε καὶ κόπρος. Solas itaque ex sanguinis illius partibus, fibras relictas & integras esse conuenit, vt quæ terrenæ sint maximè: non iisdem absumptis, humorem esse residuum. *Lib. de mixt. aff.*

FEBRES QVASVIS EX BILE potissimum excitari, & febrium omnium præcipuam materiam esse bilem: ad eruditissimum virum D. IOANNEM EVSEBIVM *medicinæ Doctorem.*

PARADOXVM III.

NVPER HINC DISCEDENS, accepto à nobis Doctoratus (vt vocât) gradu, obnixè rogasti, EVSEBI amicissime, vt paradoxum quo asserо bilem febrium omnium esse materiam tibi conscriberem. Id tunc nō licuit per otium: neque iam licebat: sed ne tui oblitum esse suspicareris, ex commentariolis meis hæc raptim transcripsi, vt μνημοσύνῳ qualiscunque apud te locum haberent, interim dum meliora paro. Hippocratis sententiam in febrium natura docenda, quantum possum tueor: de cuius opinione illud esse nouisti, complures febres ex bile fieri. Ast ego non solum plurimas, sed omnes ex bilioso humore constituo: quod nulla febris ex humore sit, quam bilis non excitet. Alia sunt multa de febribus παραδόξα, quæ vel ex Hippocratis doctrina deprompsi. Ea tibi licebit aliquando videre: nunc isto contentus esse velis, quod

Lib. 2. de nat. hum.

quod dudum Oliuarij Calhartij (mei nominis studiosissimi adolescentis) gratia condideram. Is à me habuit paradoxum aliud quo ostendo, febres non recte dici putridas, quæ sunt quotidianæ, tertianæ, vel quartanæ, quum in talibus humores non putreant, sed tantum vel vrantur, vel bulliant, & efferuescant. Hoc illud sequi debet: siquidem iam docere instituo, quænam materia vstioni cōuenientior febrili calori subiiciatur, hinc sumpto exordio.

VSTIONI APTA videtur materia siccior & terrena, qualis est melancholicus humor, crassiorque pituita, quæ ad illius naturam proximè accedit. Liquidum enim & aqueum phlegma combustioni ineptum esse arbitror: vbi tamen calor est accēsus in alia materia, hoc (ceu liquor in lebete quem flamma circūdat) ebullitionem patitur, verius quàm assationem. Atque pituita eiusmodi, minus multò quàm crassior, terreni crassaméti relinquit: sed magis euaporat, quum plurima sui portione in vaporem dissoluatur. Ex crassiore verò materia parum quidem humidæ illius exhalationis, quam propriè ἀτμὸν Græci vocant, sed cineris atque fuliginis plusculum gignitur. Is est acris mordaxque halitus, cuius ratione febricitantium calor pungēs ac igneus sentitur: & quem Galenus ἄθαλον καὶ λιγνὺν à Græcis appellari dicit. In crassis autem humoribus viscida quædam substantia est, quæ flammam nutrit & retinet cum aduruntur: quod sanè fit, donec illa penitus absumpta fuerit. Ideóque

Lib. 3. de præsag. ex pulsu. cap. penult.

Universidad de Deusto
Biblioteca

que cibaria glutinosa & crassa febres committere solent, non modo quia ex iis facti humores stipare atque obstruere possunt, vt scribit Galenus, sed etiam quod ignem febrilem facile admittant & retineant. Porrò, aërea, pinguis & oleosa materies omnium promptissimè inflammari posse, aliósque humores inflammationi idoneos, pro sui portione plus minúsve reddere, videtur. Nam oleum, adeps, atque similia igni cõiecta statim conflagrant: & ligna quò fuerint puriore insito pingui referta, nec alio liquore vllo madefacta, eò citiùs accenduntur. Aſt oleosam, pinguem, & aëream substantiam esse, ex qua in animalibus gignitur adeps, cum physicis, tum medicis autoribus probatissimis visum fuisse constat. Adipis verò & flauæ bilis eandem esse meteriam, Galenus innuit, vbi docet tenuissimam simul ac pinguem sanguinis materiam per assationem in pallidam bilẽ conuerti. Quæ si vera sunt, ad febrium generationẽ omnium aptissima res erit, pinguior viscósiorque materia, quæ ad bilis, adipis, & semiois naturam accedat (nam ex eodem tria hæc fieri dicuntur) & bilis omnium febrium communis materia supponetur. Proinde minus absurda censeri debet illorum antiquorum sententia, qui ad febrium generationem sufficere dicebãt (vt refert Galenus) augeri ac exuperare biliosum humorem. Cuius opinionis Hippocratem quoque fuisse, coniicere licet, qui tamen non omnes, sed plurimas à bile fieri tradit. Pauciſſimas

Lib. 1. diff. feb. cap. 5.

Lib. 2. diff. feb. cap. 9. & lib. 2. de fac. nat. ca. 9.

Lib. 2. diff. feb. cap. 1. Lib. 2. de nat. hum. circa finem.

mas verò esse quæ non ex bile proueniant, eáq; vel syncera, vel aliis permista humoribus, perfacile est demonstrare: quum, præter febrem συνεχῆ & diariam si placet, (quæ ex sanguine vel laudatissimo ebullitionem patiente tantum, ac inflammato etiam accidunt) omnes febres ex bile excitari videantur. Et sæuissimæ quidem atque atrocissimæ fiunt ex vitellina, quæ omnium crassissima, acerrima, & ardentissima est: mitiores & minus periculosæ ex flaua, seu russa, aut rubra, quæ substantiæ est mediocris: mitissimæ verò ex pallida etiam naturali, quæ tenuis cuiusdam humoris permistione reliquis dilutior est. Præter quas bilis differẽtias, aliam quoque ex flaua bile & pituita vel melancholia conflatam, non iam simplicem, agnoscimus, quam Auicenna perperam λεκυθώδη, hoc est vitellinam, esse putauit. Hanc enim flaua à naturæ modo deficiens profert, dum caloris non naturalis acrimonia torretur, vt igneum colorem & substantiam crassiorem dissipatione consequatur: vnde & colore & crassitudine omninò vitellorum crudorum ouorum speciem refert, à quibus nomen sibi asciuit. Sunt qui vitellinam duplicem esse dicant, aliam coloris valde exsaturati, quam ex deüstabile fieri concedunt: aliã coloris dilutioris, ex pituitę & bilis permixtione facta. Pituita enim flauitiem remittit. Auicennæ nuncupata bilis, tum maioris tũ minoris famæ, flaua & naturali frigidior habetur, vt docet cõpositio. Quippè maioris famæ, seu notã & famo

Lib. 1. sen. 1. doct. 4. cap. 1. Lib. 2. fac. nat. cap. vlt.

Universidad de Deusto
Biblioteca

mosam (quia enim frequentior, ideo notior est) appellat citrinam vitellinamque: illam quidem extenuioris pituitæ permistione: hanc verò ex crassa bilioso humori accedente, fieri existimans. Minoris autem famæ esse docet, bilem vstam vocatam, in qua cineres cum subtiliore materia confusi manent, omnium pessimam: & quæ ex melancholiæ permistione fit, colore quidem rubeo, sed obscuro. Cæterùm nos de frequentioribus tantum, & huic proposito conuenientibus bilis generibus solliciti, eam maximè amplectimur, quæ ex bilis & pituitæ constitione constat, à digniore tamen & potentiore bilis absolutè dici meretur. Quum autem in huius constitutione, varia sit bilis & phlegmatis proportio, simulque amborum varia quantitas, hinc fieri existimo tot febrium humoralium differentias, quæ à bile puriore, vel mille modis impura, gignuntur. Atque hanc ceu frequentissimam præcipuamque febrium, quæ nec symptomaticæ, nec ephemeræ, nec hæcticæ sunt, materiam esse, Hippocrates videtur innuere, dū inquit: Quum bilis aut pituita calefacta fuerit, totum reliquum corpus ab his calefit, & vocatur hoc febris. Pituitā enim appellat, vbi maior est huius quàm bilis portio: vt bilem, quum syncera, vel copiosior fuerit. Sic paulò post Cassius (quem ex meraciore bile nasci omnes fatentur) occasionem explicans, ait: Καῦσος corripit magis bilioſos: corripit & pituitosos. Et alibi, Causum alterum ex bile synceriore, alterum ex

Lib. 1. de morb.

Lib. 4. vict. acut.

ex pituitosiore, conceptis verbis describit. Sit igitur bilis febrium omnium, quas vulgo Medici purridas appellant, vna & communis materia: quòd accensum & vstionem præ reliquis humoribus facillimè patiatur, & eò quidem promptiùs, quò maior fuerit bilis copia: vt acriorem calorem parit, quò viscidior crassiorq; extiterit. Acceduntur enim citissimè quæ natura sunt tenuiora & sicciora, vt stipulæ: quæque ignei elementi plus obtinent, vt sulphur. Tertio loco aërea, quæ humidiora quidem, sed pinguiora sunt, vt oleum, adeps. Quæ verò illis iunctam habēt plurimam cum viscositate crassitiem, paulò quidam tardiùs flammam concipiunt, sed conceptam diu retinent, quia non cito absumuntur. Ob id diariæ, quæ ex accēsis spiritibus, vel inflammato sanguine fiunt, nec acrem, nec diuturnum calorem proferunt. Quæ ex flaua bile tenuissima gignuntur, promptissimè & excitantur & desinunt. Aliæ verò conflagrant diutiùs, quò tardius iguem admittunt humores. Ergo pinguis est & oleosa materies quæ febres committere solet: eademque ad adipis naturam proximè accedit. Hoc ferè tantum differre videntur, quod quæ substantia nuper ad vtrumuis parata indifferensque fuit, nunc acriorem calorem experta, amarorem contraxerit. Sic enim solent dulcia quæuis vstione reddi amara. vnde Galenus: Quod assum nutrimenti est (fuerit sanè hoc calidissimum in eo ac dulcissimum, qualia sunt tum mel, tum adeps) id cum flaua bilis

Aph. 1. & 13.

Lib. 2. facult. natur.

« bilis factum est, per fellis vasa expurgatur. Sed ne citra alicuius magni viri autoritatem, quod nunc propono asserere videar (quando plærosque scio autoribus magis quam rationibus suffragari) diuinum Hippocratem meæ opinioni consentientem audiant: Quibuscunque hominibus (inquit) febris incidit, si nihil aliud male habeat homo, à pinguiore quàm oportet existente humore incidit. Quibus verbis manifestè docet, febrium communem materiam esse pinguiorem sanguinis portionem, quæ in bilem degenerat. Vnde fieri potest, vt etiam bene habiti & egregiè sani, qui scilicet vitiosis humoribus non abundent, aliquando à febribus corripiantur: tunc scilicet, cum nimius est sanguis, eiusque portio pinguis & oleosa inflammationem sentit. Proinde febres plurimum æstate fiunt, ab esu fructuum maximè dulcium, quos verisimile est sanguinem suæ naturæ consimilé gignere. Hic verò, quia facile accenditur, vbi æstus ratione calor natiuus acrior fit, febribus materia est. Pinguẽ verò humorem, ex quo febres excitantur atque fouentur, eidem Hippocrati bilioſum esse, sequentia declarant: Calescente sanguine (inquit) exhalat maximè per hunc humor aquosus, qui febri est infestissimus. Relinquitur autem pinguis ac leuis, qui est biliosus, & febri maximè nutrimentum est. Velut si quis aquam & oleum in vas æneum infundat, & ligna multa subiecta ad multum tempus exurat. Aqua multò paucior erit: ex vase enim exhalabit. Oleum autem paululum imminuetur. Nam aqua præ raritate ab igne attenuari potest, & leuis reddita exhalare. Oleum verò, vtpote quod est coniunctum, ac densum, attenuari non potest, neque similiter vt aqua exhalare. Sic sanè & in homine se res habet. Aqua enim, calescente corpore foras exhalat: biliosus autem humor, vt qui multus coniunctus est ac densus, non similiter attenuatus exhalare potest. verùm attenuatus hic biliosus humor, corpus magis calere facit. Copiosius enim & melius alimentum febri bilis suppeditat, & prorumpens aut firmata in corpore, morbum supra priora corroborat. Hippocratis integram sententiam, quamuis prolixiorem, transcribere placuit, quod nostram omninò confirmet opinionem, atque proposito simili febrium naturam familiarissimè declaret. Nam cùm in bile cõceptus calor subiectam materiam vrit, quicunque alii sunt in vasis humores, velut quandam elixationem patiuntur. Hinc fit vt aqueæ humiditates plurimum exhalent, & assatim absumãtur. Est verò aqueus humor (si benè conijcio) non melãcholicus, vt sensit Hippocrates, sed serosus, qui febrium omnium infestissimus censetur. Nam difficulter accenditur, & contumacem reluctãtémque reddit biliosam materiam. Quemadmodum si quis lignum viride recénsque cæsum igni mandet, principiò ægrè accendi videbit: propterea quod multo scatet humo-

Lib. 4. de morbis.

Lib. 4. de morb.

Universidad de Deusto
Biblioteca

re quem nuper è terra pro alimento sibi hauserat. Hoc consumpto, reliquam substantiam promptè flamma depascitur: quia purior manet pinguis humiditas, quæ olei speciem gerit alio liquore nullo madefacta. Sic bili, vel vniuerso sanguini permista aquea humiditas, igni febrili aduersissima, resistit aliquandiu: ea verò magna ex parte superata, in bile iam puriore igneus calor emicat. Atque vt oleum aquæ mistum plurimo tempore sui dissipationi resistit, aqua citius multò euaporat: sic viscida & crassa biliosæ materiæ portio ignem diutius vigentem conseruat & retinet: pituitosus verò, tenuior, atque liquidior, mox dissipatur & absumitur. Cæterùm, bilis vsque & vsque tenuior cuadens caloris adurentis opera, corpus valdè calefacit: donec tandem velut in cineres abeat & crassamentum in vasis quibus contenta vritur, relinquat. Non enim prius cessat aduri humor (nisi calor extinguatur) quàm ad incinerationem deuenerit, vt Medici vulgo loqui solent. Humores verò talem habere proportionem ad calorem ex eis accensum, qualem ligna ad ignem obtinent, ipse etiam Galenus docuit his verbis: Ligna minimè in infinitum tempus sufficiunt ad alterationem, sed terminus alterationis ipsis est, humoris innati consumptio. Nam eoüsque cremari queunt, dum innatum habuerint humorem: atque eo consumpto cremati desinunt, ac reliquiæ eorum nomi-

Lib. 4. diff. feb. cap. 16.

nominantur cinis. Quinetiam putrescentium humorum similiter calor permanet, dum prorsus sint assati. Par est autem reliquias humorum terrestres exiguas esse, nequaquam multas, quemadmodũ ignorum: propterea quod in substantia eorum elementum humidum exuperat, non siccum. Simili modo si libeat coquere humorum externorum quempiam, vt oleum aut vinum, terrestre quidem eius quàm minimum relinquetur: reliquum autem totum extenuatum, in vaporem atque aërem discedet. Itaque tota substantia feruefactorum humorum ex putredine extenuatorum, ab ipso calore in ambientem dispergitur, per vigorem inclinationémque febrium. Remanet autem iam excrementum omnino exiguum, vel nullum: in humoribus quidé crassioribus exiguum in serosioribus autem nullum. Sed quod de citata Hippocratis sentẽtia supereſt, explicemus. Cùm pituitæ bona portio exhalauit, & attenuata bilis est, tunc copiosius & facilius alimentum febri suppeditatur. Atque tum morbus magis quàm antea sæuit, vbi vel impetu delata, & (vt loquitur Hippocrates) ῥακὸς μένον, id est prorumpens, vel firmata fixaque conflagrat. Porrò quod diximus, bilioſum humorem in cineres tandem verti, id sanè est intelligendum, quantum fieri licet humentis rei natura patitur. Atque hoc verè est crassamentum à nobis vocatum, quale in lebetibus & vasis quibusuis ex decoctis liquoribus relinqui solet. Ex eo verò febris

Universidad de Deusto
Biblioteca

etiam suscitari potest, vt ex melancholico humore naturali, dummodo bilem commistam habeat. Nam vt calamorum extrema sulphure illinunt, quò promptiùs ignis excipiatur: sic bilioſa materia est, quæ aliam quamlibet vstioni conuenientem reddit. Et quidni melancholia crassior terrenaque aduri poterit, quum ex elementis aqua sola ignem auersari videatur, vt quæ illi omnibus suis qualitatibus cõtraria sit? In hanc sentẽtiã philosophorũ princeps Aristoteles scripsisse videtur: *ἐν οἷς μὲν ἡ ὕλη ὕδατος τὸ πλεῖστον ψυχρὰ ἀντίκειται τῷ τοῦτο μάλιστα τοῖς πυρὶ· οἷς δὲ γῆς ἥκιστος, θᾶττον ἕτερα.* Quod siquis huius rationem quærat, ipse eodẽ loco reddit, inquiẽs: *ὅσα δὲ γῆς, ὡς ὑπὸ πολὺ θερμὰ, διὰ τὴν τῷ θερμῷ ἀμιξίαν.* Itaque terrenus crassũsque humor vstionem patietur, quemadmodum fossilis lapis seu carbo (*λιθάνθρακα* Græci vocãt) & terræ cuiusdam gleba, ex qua ignem nonnulli conficiunt. Hæc enim visciditate quadam, & insito pingui, ignem admittunt fouẽntque: sed flammam aut exiguam, aut nullam emittunt. Ergo plurimas febres ex bile fieri, rectè dixit Hippocrates, cum citra bilioſi humoris permistionem alij minime comburi videantur: ipsa verò quãdoque syncera, frequentiùs impura ardeat, vt in tertianis & quotidianis apparet. Quartanæ autem ex bilis vstione per se febres quæ præcesserunt (nam erraticas sequi solent) aut sanguinis fæce & limo, cui portio bilis insit, oriuntur. Proinde in omnibus his febrium speciebus bilem

Lib. de mixt. aff. cap. 11.

lem multam sæpe vomunt ægri, & flauam & amaram (quamuis tertianarum proprium id esse, neque aliis vnquam conuenire, dixerit Galenus) quod indicio est, bilem in omni febre abundare, qua sine humores alij non accẽderentur. Hæc enim reliquos ad instar sulphuris igni concipiendo & conflagrationi, idoneos facit. Quamobrem, quò eius syncerioris copia fuerit maior, eò certè ardẽtior febris excitabitur: sed breuior erit duratio, quod illinus diu suæ dissipationi resistat, quàm multo crassior humor. Quo verò impurior, vel quantitate minor erit bilis, eò minus acris calor sentietur, & febris longioris tempore perseuerabit. Idẽ censuisse Hippocratem opinor, dum ait febrem eò diuturniorẽ esse *ὅκόσῳ ἐλαττόν τι μέρος μετέχῃ χολῆς τῆς τοῦ θερμοτέρου παρέχοντος*: id est, quo minus de bile participat, quæ calorem exhibet ac suggerit. Pituitosum verò humorẽ viscidum & crassum, bilioſi celeritatem detinere, vt bilioſus tarditatem ac segnitiẽ pituitosi accelerat etiã dixit Galenus. Propterea verè scripsit Hippocrates, continuas febres (quæ *συνοχεῖς* propriè dicuntur) à plurima & syncerissima bile prouenire, & iudicationes quam breuissimo tempore facere. Quartanæ verò eidem autori ob id censentur longissimæ, quod bilis minimum habeant, & atram bilem permixtã, quam inter omnes humores densissimam esse, proindéque sedes diuturnissimas facere, affirmat. Nã quũ crassissima sit eius viscositas, sicuti eorum

Lib. 2. ad Glauc. cap. 6. & lib 2. de diff. feb. cap. 2.

Lib. 2. diff. feb. cap. 9. Lib. 2. nat. hum.

Universidad de Deusto
Biblioteca

quæ ſolutu difficillima ſunt, vni loco impacta, illinc non facilè diſcutitur. Quod ad quotidianam attinet, Fernelij viri longè doctiſſimi, lubens amplector ſententiam: quum laborans quotidie febre conflictatur, id ferè à duplici tertiana eſſe. Pituitam enim vſtioni eſſe ineptiſſimã ſuprà oſtendimus. Hippocrates verò ſcitè pronunciauit, quotidianam μετὰ τὴν σωὸχον, id eſt poſt continuam febrem, à plurima bile generari. Quum enim multa colligitur, non modò alternis, ſed & ſingulis quoque diebus febris accenditur. Aſt impura valde atque dilutior eſt, quæ quotidianas acceſſiones longas facit. Vnde etiam diuturnior ſimplici tertiana, cum legitima, tum notha, ab omnibus cenſetur, præter quàm ab Hippocrate, qui continua quidẽ longiorem, reliquis verò breuiorem quotidianam eſſe pronuntiat. Quia (opinor) eam ſignificat amphimerinam, quæ duplex tertiana vulgo dicitur, ex ſynceriore bile prouenientem, & quæ ſi paulò copioſior eſſet, continuam ardentem (Græcis καῦσον dictam) inferret. Nam & alio in loco dixit: Si bile infeſtatur homo, febris ipſum corripit quotidie, ac dimittit. Detinet autẽ in meridie, os amarũ eſt, &c. Non igitur perperam ſcripſit libro ſecundo De natura humana (etſi reclamet Galenus, & vel eo nomine arguat librum non eſſe Hippocratis) tertianam quotidiana longiorem videri, quum ſubdat illam à pauciore bile prouenire: fortè ſignificans ſpuriam tertianam, quæ plus pituitæ quàm bilis

Lib. 2. de morbis.

bilis habet, eóque duos, tres, aut plures menſes nonnunquam perſeuerat. Morbi enim quicunque ex bile fiunt puriore, omnes breui definũt, vt tertiana exquiſita: & hac citius tertiana duplex, ſi ex meraciſſima bile procedat. Ergo, vt rem hanc tandem concludamus, febrium præcipua materies bilis eſt, quæ pro variis ſpeciebus varia febriũ genera ſuſcitat. Craſſior enim, viſcidiorque, & colore ignea (quam propriè λευκόφλεγμα, hoc eſt vitellinam appellant) ardentem febrem ſeu Cauſonem facit. Flaua ſeu ruffa bilis ſyncerior, & quantitate minor, tertianam exquiſitam: copioſior verò duplicem, quæ quotidie affligit, excitat. Impurior autem, viſcidior, & copioſior, quotidianam vocatam, aut hemitritæum, id eſt ſemitertianã, gignit: parcior verò, tertianam ſpuriam, quæ legitima multò eſt longior. Nam (vt optimè dixit Galenus) bilis copioſior longiorem quàm paucior efficit acceſſionem, & tenuis breuiorem quàm craſſa. Quum minori bilis copiæ aliquid melancholici ſuccei permiſcetur, quartana fit. Eodem modo continuæ, quæ quotidianis, tertianis, atque quartanis ſimiles exacerbationes edunt, præter multam bilem vitellinã, pituitæ, aut bilis alterius tenuioris, vel melancholiæ portionem aliquam habent. Vnde vehemens quidem eſt calor, qui cõtinuò affligit: ſed per interualla quædam acrior euadẽs, furere videtur. Id verò qua ratione fiat ſeorſim explicabimus: in eo paradoxo nimirum, in quo febriũ omnium ſedem

Lib. 2. diff. feb. cap. 3.

vnicam esse Cor, docebitur. Hoc satis prolixum est, quod etiam rei difficultas postulabat. Quis enim id ferat, Febres omnes quas putridas vocant, ex bile fieri? At nostris rationibus ritè examinatis, vnà cum allatis citatisve autoritatibus, non tardè (spero) persuaderi hoc poterit, iis saltem qui & doctrina & ingenio valent.

FE-

FEBRIVM OMNIVM MATERIAM propriam seu proximam in Corde contineri, non in aliis visceribus, aut habitu corporis: & sede non differre continuas ab intermittentibus: ad egregium virum, D. IVSTINVM MYLIVM, *Norimbergensem, Medicinæ Doctorem.*

PARADOXVM IIII.

NON POTVI ante hunc diem, promissam tibi tractationem de febribus mittere, IVSTINE iustissime & incundissime. Nam quos in Gallia ilta Narbonensi propter religionem excitari tumultus vidisti (qui te, & alios permultos probos & studiosos viros hinc citius quàm sperassent, discedere coëgerunt) adeò mox increuerunt, vt omni expectatione maiores euaserint. Iam cogita, quantum martis in omnes furentis sæuitia & terror, studia litteraria, pacis amantissima, perturbarit atque distraxerit. Vbi nõnihil respirare nobis licuit, παράδοξον ex meis monumentis colligere & construere quàm primum cœpi, vt ad te mitterem, quem mihi præter eximias virtutes (quibus te omnibus satis com-

mendas)gratissimum reddidit clarissimi viri,D. Iacobi Dalechampij, medici præstantissimi,commendatio. Quod eram pollicitus,nunc præsto, & certè cum fœnore, vt temporis dilatio compensari videatur. Siquidem febrium sedem vnicam mihi studiosè inuestiganti, ecce aliæ occurrunt paradoxæ propositiones variæ, quæ tamen omnes huius tractationis esse possunt. Vt quod rigor,horror,& frigus non fiant,materia febrium senciles partes externas pertranseunte. Et, febricitantium vrinæ hypostasin portionem cuis humoris qui febrem excitauit,non esse:neque puri proportione respondere, vt volunt. Tum & illud:Si febrium intermittentium coniuncta materia in habitu corporis sparsa effecta, aut in ventre inferiore collecta, vt sentit Fernelius,eas omnes symptomaticas fore. Cùm igitur tot mihi proponerentur agitandæ quæstiones,& alioqui febrium tractatio sit longè difficillima, in magnam vastitatem diffusa est enarratio. Adde quod ingenij mei stupiditas ea est, vt nesciam paucis sensa mentis exprimere. Sed pro tua humanitate & æquanimitate, id(scio) boni consules. Tu enim(vir d octissime & minimè tarde) pauciloribus multò contentus esse poteras. Cæterùm vt quod nunc propono de febrium sede & minera (vt nostri vocant) facilius intelligatur,id præsciri debet quod alio paradoxo docui,febrium omnium quas Putridas appellant, communem materiam esse bilem. Nam vt in materia febres illas conuenire volumus,sic materiam in eadem sede per quascunque febres accendi,persuasum habemus. Alij verò ferè tot locorú diuersitates, quot sunt febrium differentiæ,humoribus febres committentibus assignant. Ego omnibus communem locum esse, Cor ipsum, affirmo: quibus autem rationibus dictum confirmem,accipe.

CORDIS proprium affectum esse febrem, medicorum schola iandudum recepit:nondum tamen aliquis mihi videtur recte assequutus, id qua ratione fiat. Nam calorem in aliis corporis partibus excitatum, non prius quidem febrem dici patiuntur, quàm talis affectio Cordi fuerit communicata.Ego verò in Corde primum cõsistere affectum, morbiq; totius causam proximam & immediatam,affero. Sic enim Cor per febres afficitur,vt in epilepsia cerebrum,in quo tanti morbi causa materialis consistere,obstructionemque facere creditur,siue in ipso gignatur,siue aliunde veniat.Per febres verò,dum in Cordis ventriculis feruent humores, ignea caliditas vniuersum corpus occupat. Feruent autem,vt sanguis in ira.hanc enim definiunt, esse sanguinis in Corde ebullitionem: ex qua etiam febres sæpissimò excitantur, si parata & accensu facilis sit materia. Humores verò in Cordis ventriculis per febres ardere, iis mirum non videbitur, qui continuas fieri materia in Corde & venis maioribus corrupta, recipiunt. Atque (opinor) mihi concedent, id continuis saltem conuenire, non tamen intermittentibus, quas ne intra vasa quidem materiam coniunctam

Hæc ira qualiscunque definitio, paruo cum iudicio accipienda est, quum ebullitio nõ fiat in Corde, sed ab eo tãtum ebullitionis causa procedat: nempe auctior calor motionis organa ad vindictam excitans. Alioqui sane iræ affectus à sanguinis nisi incremento differret.

habere, fatentur. Attamen Galenus ipse febrium communes differentias inquirens, manifestò docet Cordis spiritus, humores, & solidam substantiam esse quæ sustinent febres quascunque ephemeras, humorales, & hecticas. Inquit enim: Maximè propriæ caloris præter naturam differentiæ sunt, quæ à materia sumuntur, siue corpus ipsum Cordis prehenderit, siue humores conditos in ipsius ventriculis: Reliqua tertia differentia est, vbi aërea substantia sola modum incaluit. Verùm, sine alicuius autoritate, facile est docere, febrium omnium, tam intermittentium quam continuarum, materiam in Corde ipso, quandiu accessio durat, contineri. Nam quum hic morbus Cordis proprius dicatur, & humores in Corde inflammati accensi, siue toti corpori suum calorem statim communicare possint, quid obstat quo minus in Corde per febres illos comburi recipiamus? Quòd si quis obiiciat, copiosiorem esse materiam febrium continuæ quæ ad plures dies extendatur, quàm vt Cordis sinubus includi queat: esto, portionem eius plurimam in vasis grandioribus Cordi vicinis contineri donemus. Præcipua tamen & verè coniuncta dicetur, quæ in Cordis ventriculis excepta feruet ac vritur. Porrò continuæ febres fiunt, quando materia crassior viscidiorque, simul & copiosior, in Corde inclusa, semel conceptam inflammationem diutius retinet, quod sui dissipationi absumptionive multum resistat. Non aliter quàm ligna crassiora, & pinguia

gui humiditate referta, in diem posse ignem nutrire experimur: ex vitibus autem confectos fasciculos, vix dimidiam horam comburenti flammæ resistere: multò minus paleæ manipulum. Sic sanè vstioni quæ in corde, ceu quodam foco, peragitur, longissimo tempore obsistit viscosior & crassior humor, præsertim copiosus. Vt non sit mirum quod miratur Galenus, sæpe vsque ad quartum vel quintum, & interdum vsque ad septimum diem vnam fieri accessionem in eis, ab initio vsque ad finem. *Lib. 1. diff. feb. cap. 13.* Magis mirum esse puto, febres quasdam repetere per circuitionem: quarum singuli paroxysmi ideò breues sunt quod materiam & tenuiorem & pauciorem habeant. Siquidem bilis copiosior longiorem quàm parcior efficit accessionem, & tenuis breuiorem quàm crassa, vt Galenus ipse docet. *Lib. 1. diff. feb. cap. 3.* Hinc fieri arbitror, vt tertianarum & quartanarum singulæ accessiones, quæ continuarum integræ durationi proportione quadã respondent, rarò diem vnum excedant, quia semel oblata deürenti calori materia exigua & parum crassa est. Perinde hac si quis tenuia ligna & bene sicca igni offerat, quę confestim flãma excitata absumuntur. Sed vt facilius quid velim demostrem, finge in camino quodam ignem perpetuum esse, vti in Corde animalium calor est. Atque illi crassiora & viridia ligna multa concedantur: flamma incendiumque ad multas horas perseuerabit, tandem verò illis absumptis ad priorem modum ignis reuertetur. Sin

tenuia,

tenuia,& vna vice pauca,suggeras,parum dura-
bilis erit flamma, sed quoties apponentur, tot-
ties ignis luculentior fiet, qui tamen paulò post
remittetur. Sit ergo (vt hac similitudine rem ex-
plicare absoluam) vnius diei naturalis, in quo
ligna igni comburenda obiiciuntur, longitudo
quæ proportione respondeat quatuordecim
dierum durationi, quibus continua febris per-
seuerare potest. Nam calor noster adeò potens
& vorax nõ est, vt ignis, qui multam materiam
breui tempore absumit. Quemadmodum ergo
lignorum crassiorum aceruus ignem toto die
auctiorem efficere valet: sic copiosior bilis vitel-
lina, aut alia quæ sit crassa & viscida, deürente
calori dies quatuordecim reluctabitur, priusquàm tota absumi possit. Et quemadmodum ignis
per diem naturalem septies in prædictum ignem
coniicias ex vitibus fasciculum, toties ignis ar-
dẽtior apparebit: horis verò intermediis in suo
statu calor perseuerabit: sic si intra quatuordecim dies, humor accendi facilis, septies in Cor
calida intemperie laborans recipiatur, simplices tertianæ septem accessiones fient: aut si quies tantùm, & per maiora interualla, quintanæ
ex quartanis erunt. Iam dices: febrium intermittentium à continuis diuersitatem pendere
ex materiæ copia & qualitate recipio. sed eam
(si quarumcúnque febrium materia eodem in
loco per febris durationem continetur) intermittentes frigus, vel horrorem, vel rigorem in-
cipiente accessione habent: ex iis verò quæ

συνεχεῖς vocitantur, pauciſſimæ rigorem ab initio patiuntur? Nam (vt recte dixit Galenus) rigor præcedens non semper aliquam ex intermittentibus denotat, quum & semitertiana, aut alia ex continuarum genere aliqua, esse possit. Materiam acrem & semiputridam per sensiles partes irruëre, & è venis in carnem diffundi, quo tẽpore istiusmodi symptomata percipiuntur, respondent, qui extra venas deüri, vel (vt illis placet) putrescere intermittentium febrium materiam existimant: atque illinc, per nescio quos ductus & meatus, ad Cor progredi vapores præcalidos ex putredine excitatos, vnde febris gignatur, asserunt. Quam vulgarem opinionẽ, dum sequitur Fernelius, iniustè Auicennam reprehendit, quod scripserit febrem omnem definiens, esse caloré in Corde accensum. Nõ est id perpetuũ quod definit Auicennas, inquit, omnis febris calorem in Corde accendi: tametsi de continuis & primariis id verum fatemur. Intermittentium tamen & symptomaticarum calor, non in Corde primùm accenditur, sed aliunde sublatus Cor ferit, è quo æstuãs cum spiritu mox per arterias in corpus omne refunditur. Ea est scholæ Medicorum sententia, quam nulla ratione admittere possum. Nam dũ in corporis abitu, prius quàm in Corde, igneũ calorem excitari dicunt, bobus currum (vt est in adagio) præponere mihi videntur: quum magis rationi consonum sit, Cor ipsum primò calidius euadere, & ab eo totum incalescere corpus,

Lib. 1. ad Glauc. cap. 5.

Fen. 1. quarti. cap. 1. tract. 1.

Universidad de Deusto
Biblioteca

pus,non ab hoc in illud transferri caliditatem.

I. Alioqui propria Cordis affectio dici non me-
II. retur febris quæ intermittit: vel aliarum more quæ ab inflammatione interna suscitantur.Sym-
III. ptomatica semper est. Sed per quas(obsecro) vias ad Cor perueniet vapor, quum ei non sit minus expeditum promptumque per cutis raritatem discuti ac euanescere, quàm in venularum aut arteriolarum ostiola remeare? Si cutis obstructionem obiicias (quæ tamen in paucissimis febribus est) num facile ista soluetur, vbi tantus calor exteriora occupat? nam in habitu corporis prius quàm in Corde hunc excitari volunt. Quid quod plurima portio materiæ, quæ
IIII. à vanis maioribus in minores, & ab his in corporis habitum ad cutem vsque defertur(vt volunt)per cutis spiracula facillimè posset effluere:siquidem eò perueniunt quàm plurimarum venarum & arteriarum fines & orificia. Vnde sudores & aliquando ichores sanguinei distillare videntur. Cur(inquam) tenuior salrem humoris portio non effluit, præsertim bilis quæ natura penetrabilis est:quum in febris tertianę accessionibus tanto impetu in partes externas irruat, vt illi existimant? Si cutis densitatem (vt supra)causeris,hanc abesse supponamus, &
V. febrem ex ira vehementi ortum habuisse.Rursus cum frigus, rigor, & horror sola magnitudine causæ inter se differant, cur non fit maior concussio totius corporis,dum pituita(quæ humorum omnium frigidissima censetur Hippocra-

ti,atque Galeno) sese diffundit, quàm à melancholico humore? Atqui melancholicis febribus horrorem, pituitosis frigus tantùm assignant. Præterea, febre iam corpus vniuersum occupante, externas partes plus quàm Cor deûri maiorémque ferre caliditatem oporterer,si materia quæ feruorem excitat & fouet,in illis continereretur. Nam quî fieri potest,vt ex mero vapore, aut nuda qualitate Cor affectum magis incaleat, quàm externa in quibus ille focus accessus manet? Vnde sitis inexplebilis,& crebrior celetiórque respiratio,& maxima anhelãdi difficultas,si vehementior est in externis quàm in ternis partibus caliditas? Dices forsitan, Cordi acriorem & maiorem inesse calorem, etsi materiam ex qua ignis tantus fuit excitatus non habeat:quod(scilicet)ram iniqua mensura aliarum partium calorem superare soleat, vt vel minore portione adauctus,aliis longè superior euadat. Sed vide quantum à ratione alienum sit, talem proportionem rectè seruari, vbi eius immutandæ causa(ex contactu sanè multò potentior)in ea parte consistat, quàm nõ superare,sed vinci calore decet. Nam si in Corde primum (vt fit) calorem ex humorum adustione accensum conflagrare constituas, illud eadem qua prius inæqualitate,plus quàm reliquæ partes caloris sustinebit. Adde quod, si à calore in VII.
habitu corporis excitato incaleat Cor, febrémque patiatur,necesse est eiusdẽ spiritus, vel humores,vel solidam substantiam vri. Id si spiri-

A tibus

Universidad de Deusto
Biblioteca

tibus tantum, aut solidæ substãtiæ accidat, non intermittens, sed diaria, aut hectica febris dicetur. In humoribus verò affectus consistere nequit, si (vt supponunt) materia tota in habitum corporis effunditur per accessiones. Aut enim quæ vstioni seu putrefactioni (vt ipsi loquũtur) inepta est, talem affectionem sustinebit: aut in visceribus, simul & in carnibus, febrium intermittentium materia continebitur. Et quomodo febres quædam non intermittentes initium habent à rigore, si somes continuarum in habitu corporis non est: quum rigorem non aliter fieri putent, quàm materia per illum dispersa? Multò plura possem afferre, quæ huius opinionis absurditatem conuincunt manifestissimè: sed præstat nostram relictis concertationibus proponere, atque docere qui fiant per febres intermittentes rigor, horror, & frigus: quorum occasionem aliam non esse existimo, quàm rigoris qui continuas quasdam & ἀμετρίτροπας præcedere solet. Quid verò talia causetur, iam docere aggrediar.

VIII.

Rigor, horror, & frigus.

Quum in Cordis sinubus materia est biliosa, crassior, viscidiórque, & ex caloris accessione velut retorrida (qualem vitellinã esse censemus) hæc minima occasione protinus accenditur, vt sulphur, & febrẽ continuam ardentem cõmittit, quæ tandiu perseuerat quandiu materia suæ dissipationi resistere valet. Quòd si bilis impurior fuerit, & pituitosi vel melancholici humoris permistione crassior dum Cor attingit

tingit calorẽ initio reddit languidiorẽ: sed quũ paulò post absumpta est tenuior aquæ portio, igneus calor materiã occupat, & sensim vehementior fit. Sic viridia ligna subiacentẽ ignẽ primo eneruare & veluti suffocare videntur: postquam verò humoris eius qui viridia & crepitãtia ligna reddebat, portio maior absumpta est, tunc ignis luculentus acerrimúsq; euadit. Haud aliter Cordis calorem hebetat, & quasi obruit, quę illud subit materia, donec paulatim discussa crudiore ac liquidiore parte, reliquũ vstionẽ admittat: id quod sensim fit, vt in comburendis lignis viridibus. Interim verò per initia corpus totum concutitur frenitúque, & dentiũ stridor est: qui respondet crepitationi viridium lignorum dum in ignem coniiciuntur. Huic nostræ comparationi (nequid dissimulem) etiam Galenus suffragari videtur, cùm ait: Declarabit frigiditas iamiam febrẽ iri accensum. Suffocatur enim tunc, quod materia quæ in profundũ confluit, mirè sit frigidior, vt periculũ sit ne semel principiũ (id verò est Cor) extinguatur. Qualia exempla extra corpus multa conspiciuntur, si quando materiã simul & multã, & quæ non facilè succendatur, in modicũ ignẽ iniiciamus: Nã statim periculũ est ne extinguatur. Si non extinctus sit, sed restiterit, paulò post succendere totam materiã incipiet, calorémque generabit, primò fumosum, tandẽ etiam flammeum, dum prorsus deuicta materia purã excitet flãmam. Ità finge in febribus, vbi aceruus materiæ humidæ

Lib. 3. de præs. pulſ. cap. penult

Universidad de Deusto
Biblioteca

" midæ initio acceſſionis ad Cor peruenerit, pri
" mùm mortis periculum eſſe, quod maxima mu
" tatio pulſuum in raritatem, tarditatem, parui-
" tatémque prænuntiat. Tandem verò vbi mate-
" riam ſuperauerit calor, quaſi flámа incenditur,
&c. Et alio in loco: Inter initia acceſionum (dum
Lib. 1. diff. feb. cap 9. adhuc ſuffocatur calor, ac ſuccenduntur intus
" excrementa) nó ſtatim immittentibus manum
" dignoſcitur, ſed diutius immorantibus prædi-
" ctum caloris genus de profundo emergit. Pri-
mùm igitur, materiæ copia & qualitate affecti
Cor, languidiorem habet calorẽ: atque eo tem
pore accidit, vt corpus totum frigore, horrore,
vel rigore teneatur, idque meritò. Nam quum
vniuerſæ partes à Corde, ceu fonte quodam,
influentem calorem accipiant, quo cuique in-
ſitus alter & fouetur & excitatur: illo refrigera-
to, vel etiam occupato & intercepto, corporis
partes ſingulæ frigidæ manent, & præſertim ex
teriores. Quemadmodum enim Solis calor &
lumen aliquanto tempore obſcurari poſſunt,
vbi déſior frigidióque nubes opponitur, qua
diſſipata longè potentior vis Solis apparet: ſic
profectò & Cor prædicto humore obrutum i-
nitio languet, & frigidius quoque efficitur: at
tandem euicta materia, multò ardentior emi-
cat ingens caliditas. Et quo maior eſt humoris
Cor laceſſentis impetus, aut craſſities & viſco-
ſitas, vel etiam frigiditas, eò magis externa con
cutiuntur horrore atque rigore. Nam rigor,
frigus, & horror ſolo maioris & minoris dif-
cri-

crimine differunt, vt rectè viſum eſt Galeno. Lib. de vi-
Sed quia Hippocrates omnium optimè (quá- gore.
tum diiudicare poſſum) & pro noſtræ opinio-
nis confirmatione, iſtorum ſymptomatum ra-
tionem modumque explicauit, eius verba re- Lib. de
ferre placet, quæ ſic habent. Infrigidatis locis flat.
vnde fontes & radices ſanguinis prodeunt (in- »
quit) per vniuerſum corpus horror conſequi- »
tur. vniuerſo enim ſanguine frigefacto, totum »
corpus horret. Quæ ratio eſt cur primum ante »
febres corpus concutiant: quantoque maiore »
impetu multitudinis & frigiditatis ipſi flatus (at »
nos humores dicimus) præcelluerint, tãrò ma »
ior ſit & horror: à pluribus videlicet & frigidio »
ribus, fortior: à paucioribus ac minus frigidis, »
minus etiam fortis. Hæc Hippocrates libro de »
flatibus: quem ſi quis reiiciat tanquam ſpu-
rium (vt meus facit valeriola, exactiſſimi iudi-
cij & admirandæ doctrinæ vir, quem non mi-
nus candor & probitas, quàm omnium rerum
cognitio, cunctis venerandum colendumque
reddit) adferam ex libro de morbis, quem nul
lus non eſſe legitimum fatetur, ſimilem omni- Lib. 1. de
no ſententiam. Inquit enim: Rigor in morbis morb.
fit, & ab externis, & ab ingeſtis cibis ac potibus. »
Maximè verò & vehementior fit; quum bilis »
& pituita ſanguini fuerint permiſta, aut altera »
ex his, aut vtraque. Et paulò poſt: Quum hi hu- »
mores ambo, aut alter ſolum permiſti fuerint »
ad ſanguinem ipſum congelant, non tamen o- »
mninò. Neque enim viuere poſſet homo, ſi

« sanguis densior & frigidior seipso multis mo-
« dis fieret. Frigescente igitur sanguine, necesse
« est & reliquum totum corpus perfrigerari: &
« vbi huiusmodi quid factum fuerit, rigor appel
latur. In quibus verbis annotandum venit, Hip
pocratem perpetuò rigorem pro horrore dice
re. Nam quum rigorem verum exprimere vult
tremoris dictione vti solet, qua vulgari more
facilius symptoma explicat. Id apertissimè te-
« stantur sequentia verba, vbi inquit: Si vehe-
« mens fiat ῥῖγος, vehementior est etiam τρόμος.
« Nam dum contrahuntur venæ, sanguine &
« coacto & congelato, corpus & contrahunt, &
« τρόμον faciunt. Si verò minus aliquantò sangui-
« nis coactio fiat, hoc ῥῖγος appellatur. φρίκη autem
« dicitur debilissimus ῥῖγος. Porrò tremorem à ve
hementiori causa, motuque materiæ magis præ
cipitatæ fieri, docet idem Hippocrates, vbi su-
« pra scriptis verbis ista subiungit. Cùm horrori-
« bus (inquit) & corporis tremores accidunt se-
« cundum eundem planè modum. Sanguis enim
« præsentis horroris timore percussus concurrit
« ac penetrat per omne corpus ad locos maxi-
« mè calidos: hi enim sunt eius saltus. Decedens
« itaque ab extremis corporis partibus san-
« guine, viscera contremiscunt & carnes. Sunt
« autem quædam corporis partes sanguine ple-
« næ, quædam verò exangues. Exangues itaque
« propter frigus non tremunt, sed parumper
« commouentur, quum calor ex eis defecerit.

Lib. de flatib.

Sanguine

Sanguine autem abundantes, propter sanguinis multitudinem, & tremunt, & inflammationes suscitant: nequit enim fieri vt sanguinis multitudo quiescat. Hæc verba, si quis diligentius examinet, rigoris propriè dicti, qualis per tertianas accidere solet, naturam exactè definiunt. Siquidem corporis truncus, magis quàm artus ipsi, concussione afficitur, & sanguine intus coërcito, fit in visceribus ingens æstus, veluti inflammatio. Hinc situs vehemens, & anhelitus difficultas etiam, per febrium accessiones ægrotos multum affligunt. Est verò tremori conuenientissimè comparatus rigor, ei præsertim qui ex subitaneo metu accidit. Nam ferè in omnibus conuenire videntur: & quod primum Cor (affectuum sedes præcipua, vt volut) timoris pathemate afficiatur: & quod ad viscera confluere impetúque recedere credantur spiritus & calor natiuus vnà cum sanguine: vnde fieri putant externarum partium frigiditatem & pallorem, cum totius corporis subita inæqualique concussione. His adde sitim ægrum diuexantem, & vomitum, necnon alui deiectionem & crebram mictionem vel inuoluntariam. quæ quidem omnia per febrium quarundam accessiones, non aliter quàm per timorem fiunt. Verùm de rigoris seu tremoris, & horroris, & frigoris occasione sat superque nobis disputatum est. Iam tempestiuum esse videtur, vt ad aliorum symptomatum

Hæc sententia euidentiùs est audienda: ab eo scilicet ducta loquendi figura, quod in exequendis ipsorum affectuum finibus est magis conspicuum. Quoniam enim pro amplificata vel remissa vi impetũ. Cordis motus magis aut minus innotescit, hinc desumpta opinio ascribendi affectus ipsos Cordi.

quæ febres comitari nata sunt, explicationem aggrediamur. nam singulorum rationem reddere ex iactis fundamentis, quoad eius fieri potest, decreuimus.

Oscitatio, & Pandiculatio.

Continuarum febrium mulcę fiunt sine oscitatione, & pandiculatione: intermittentes verò ferè semper ista præcedere solent. Qua autem ratione fiat oscitatio, omnium optimè docuit Hippocrates, in hanc sententiam: Hiatus (inquit) præcedere solet febres. Siquidem multus aër coaceruatus cumulatim superiora petés commouet ac diducit os, quum per hoc facillimus ei exitus pateat. Vaporem verò (quem Hippocrates aërem vocat) à calore viscera occupante excitari, eiusdem verba sequentia monstrant elegantissimè & apertissimè, proposito simili quod huic rei bene quadrat, etsi doctissimus humanissimusque Valeriola repugnet. Inquit autem: Quemadmodum ab aquis in lebete feruentibus vapor multus eleuatur: sic & corpore calefacto penetrat per os ὁ ἀὴρ σωιτρεμμένος, hoc est turbinis instar conuolutus, & quadam vi erumpens. Quid in hac similitudine possit desiderari, non video. Nam si plurimus calor in visceribus non est tunc temporis cum externa horrent ac rigent, vnde est sitis illa vehemens per initia accessionū? Quinimo quum in visceribus largior humiditas inesse debeat eius portione aliqua in vapores dissoluta fit oscitatio: atque inde sicciora reddita ipsa, siti tor-

Lib. de flat

torquentur. Sed & ex Corde multa effumatio attollitur per initia, cum materiam crudiorem aggressus calor, aqueam humiditatem in vapores resoluit. Sic virentia ligna igni superposita non statim inflammantur, sed prius multum fumi edunt. Non enim prius aduri possunt, quàm resolutis portionibus aqueis sicciora euadant. Tunc non crassior fumus aut vapor fit, sed aridior exhalatio, quam propriè ἀναθυμίασιν, ἄιθαλον, seu λιγνὺν Græci vocant. Eodem modo humores Cordis ventriculis inclusi, non amplius in vapores crassos dissoluuntur (ex quibus fit oscitatio) posteaquàm accensa & egregiè inflāmata est materia: sed iam sicciorem fuliginem producunt. Hinc fit vt solius accessionis inchoantis proprius sit oris hiatus. Atque hic sanè febres eas magis comitatur, quæ ab humore magna ex parte pituitoso fiunt. Nam (vt recte annotauit Galenus) calorem pituitosi humoris assimilabis igni fumoso lignorum viridium accēsorum. Porrò quam modo attigi vaporis & sicci halitus differentiam, idem Galenus egregiè his verbis exprimit: Calorem generabit primò fumosum tādem etiam flammeum, dum prorsus deuicta materia puram excitet flammam. Nam ab ea flamma quod defluit, non fumus, sed fuligo est. Græcis duo nomina sunt, ἄιθαλος & λιγνὺς. Vtrunque enim materiæ aduſtum excrementum, quod in sublime fertur, significat: quod verò decidit, cinis & fauilla, &c. Pandiculationis eadem est ratio quæ oscitationis. Est

Lib. 2. diff. feb. cap. 4.

Lib. 3. præ sag. puls. cap. vlt.

Universidad de Deusto
Biblioteca

enim vtrunque ſymptoma, deprauatus muſculorum motus & extenſio, qua natura flatuoſum in illis contentem humiditatem, aut ſpiritum vaporoſum excernere nititur. Verùm hoc differunt, quod pandiculatio ad totius corporis muſculos, ſed præſertim extremarum partium, pertineat. (nam pandiculari id dicimus, cùm brachia & crura diſtẽdimus) oſcitatio verò propriè ad partes oris, dum natura vaporem ſurſum latum diductis maxillis expellere curat.

Articulorum exolutio.

Articulorum quoque exolutio quædam ſentitur, relaxatis ex interna calefactione ipſis neruis, vt ſcripſit Hippocrates.

Cephalalgia & ſomnus.

Capitis dolor vnà cum febre accidit, illa eadem ratione qua oſcitationem fieri diximus: ſcilicet vapore multo ad cerebrum ſublato, vnde grauitas, diſtentio, & ſæpe vehementiſſimus dolor prouenit. Cùm autem vaporis frigidiuſculi copia largior eſt, in ſomnum procliues ſunt ægri inuadente febre: nonnunquam etiam in κῶμα incidunt. Vbi verò tandem ſiccior fumus ſeu fuligo caput implere perſeuerat, intenſior capitis dolor conſequitur.

Temporum pulſatio.

Circa tempora pulſatio ab ægrotis febrientibus ſentitur frequentior, & plenior ſolitò, ex vaporum abundantia quæ vaſa replet atque diſtendit: præter id quod adauctus calor pulſum ſic immutat. vt rectè dixerit Hippocrates, eandem eſſe occaſionem doloris capitis, & pulſus temporum.

Lib. de flatib.

Calor febrilis.

Quod ad caloris febrilis, ac planè igniei, exci-

citationem attinet, nimirum qua ratione fiat poſt rigorem & Cordis refrigerationem ceu ſtupefactionem quandam (quæ vnica eſt febris ſignificationum cauſa) ex iis quæ iam docuimus facile colligi poſſe arbitror. Placet tamen Hippocratis verba, quæ idem luculenter explicant, hic tranſcribere: vt omnes intelligant, nos vbique tantum autorem noſtræ ſententiæ defenſorem habere. Inquit autem: Quod poſt rigorem corripiat febris aut maior aut minor, ſic habet. Quum ſanguis percaluërit, & vim depulerit, ac rurſus ad ſuam naturam redierit, concaleſcit ſimul & pituita & bilis ſanguini permiſta, & ſanguis ipſe ſeipſo multipliciter calidior euadit. His igitur percalefactis, neceſſe eſt febrem ſuccedere poſt rigorem, præ ſanguinis caliditate. Item, libro de flatibus id elegantiſſimè docet, ſi modo aërem pro humore, vel craſſo humoris vapore, dictũ accipias. Nam illic quoſuis morbos ad aërem referre tentat, vt maximam (aut certè præcipuam) materiæ portionem aëri debere demonſtret. Inquit autem: Quando congregatus fuerit cumulatim plurimus ſanguis, calefit rurſus ipſe aër, qui antea ſanguinem infrigidauit. Nimirum à calore multo victus accenſuſque, ac veluti igneus factus, per omne corpus caloré ſpargit, cooperãte ei in hoc etiam ipſo ſanguine. Vritur ergo & conflagrat materia in Corde accenſa: & corpus vniuerſum inde calefit, non aliter quam ex igne in foco accenſo repet cubiculum. Durat autem febris,

Lib. 1. de morb.

febris, donec prorsus absumatur humor, inquo igneus ille calor consistit. Quod Galenus ipse
Lib.2.diff. feb.cap.17. non minus doctè quàm elegàter explicat, vnius
" accessionis quatuor tempora distinguens, in
" hunc modum: Febris materia succenditur in-
" star lignorum humidiorum, confertim in exi-
" guam flammam coniectorum, atque id tem-
" pus omne, initium accessionis appellatur. Vbi
" verò calor superat materiam, appellatur incre-
" mentum & ascensus, tale tempus. Atque eo
" tempore augetur calor tam multus, vt non solùm
" deũrat locum ipsum, qui veluti ἑστία, focus & fo-
" mes quidam putredinis est, sed iam per conti-
" nuitatem depascatur vniuersum corpus. Et vbi
" ad summum peruenerunt feruorem qui accen-
" duntur humores, appellatur vigor talis pars ac-
" cessionis. Vniuersum verò ignitum esse videtur
" tunc ægroti corpus calore in vniuerso animali
" æqualiter intenso. Deinde, siquidem humores
" tenues sint, ac facultas valida, & corpus rarum,
" pars plurima feruefactorum humorum fusa in
" sudorem vacuatur. Quòd si crassi fuerint, ac ex-
" pultrix facultas debilis, & viæ angustæ, nihil
" quidem sensibile effluit: sed solum id quod ita
" extenuatum est, vt in halitus tenuis transierit na-
" turam. Appellatur autem id tempus Inclinatio,
" quæ perspiratio quædam est feruefactorum hu-
" morum.

Sudor. Porrò quæ pars in vaporem conuertitur, ea sudoribus materiam præbet: quibus redditis, solutio febris est. Sudoris verò generationem paulò

paulò ante citata Galeni verba satis explicant: sed istud accuratissimè (vt alia omnia) descripsit Hippocrates, inquiens: Sudor fit hac de causa: *Lib.1.de morb.*
De pituita & bile quod tenuissimum est eliqua-
tur & secernitur, & secedit partim extra corpus »
(id nos insensibiliter expurgari dicimus) partim »
intus. & isthic in corpore relinquitur, partim »
præ tenuitate attenuatur & vapor fit, & cum »
spiritu permixtum foras procedit, &c. Idem »
apertiùs alibi declarat, in hanc sententiam. Li-
quefit quicquid ignea vis illa attigerit, fitque *Lib.de flatib.*
inde spiritus, qui cùm ad meatus corporis ir-
ruërit, sudores fiunt. Siquidem spiritus compa- »
ctus in aquam transmutatur, & per meatus pe- »
netrans extra prorumpit. Eodem planè modo »
quo à feruentibus aquis vapor eleuatus, si ob- »
staculum habeat ad quod impingere oporter, »
pinguefit ac condensatur, gutteæque distillant »
ab his corporibus quibus vapor ipse fuit impa- »
ctus. Quæ sententia si attentiùs examinetur, ne- »
que à vero, neque à Galeni doctrina (meo iudi-
cio) videbitur aliena. Humoribus enim in Cor-
de accensis, venarum & arteriarum humores
quodammodo feruent. Propterea, si in vapores
dissolui apti sint, ex iis sensim colligitur exhala-
tio humida, quæ ad cutim perueniens concre-
scit, & fit sudor: idque non tam cutis frigiditate
(nam & talis dici potest, internis partibus col-
lata) quàm densitate: cuius etiam ratione mul-
tus ibidem concrescit adeps. Factus verò sudor
extruditur, si pateant meatus, & excretrix facul-

tas

Universidad de Deusto
Biblioteca

tas valida fuerit, quam arteriarum agitatio iuuat. Reiicitur ergo impetu quodam (qui sanè vires constare significat) tota materies quæ per ebullitionẽ attenuata in vapores magna sui portionem degenerauit per febris durationem. Ab arteriis & venis protinus in cutem (quo eorum extrema pertinent) excrementum illud transmittitur, si robur valeat, & satis pateant meatus, neque admodum viscidi crassique sint humores. Nam si quid impediat, vel remoretur, calor febrilis tandiu perseuerabit, donec talia excrementa magis magisque attenuata euanescant & dissipentur.

Rigor febribus superueniẽs.

Supereſt vt rigoris eius qui febres nonnullas terminat, rationem inquiramus, quam certe omnium difficillimam esse iudico. An vbi copiosior viscosiorque est materia (vt in continuis & ardentibus febribus esse solet) dum Cor tandem ad eius expulsionem insurgit, multóque magis in ipsa excretione, corpus totum cõcutitur, riget, & horrescit? Huc enim pertinere videtur quod scripsit Hippocrates, à febre ardente habito, rigore subueniente, solutionem esse. *Aph. 58. lib. 4.* Tum & illud; Si rigor incidat febre non deficiente, ægro iam debili, lætale est. Et rursus. Quibus in febribus quotidie rigores fiunt, quotidie febres soluuntur. quod non tam de rigore facto accessionis initio dictum ab Hippocrate existimo, quàm de eo qui Corde materiam excernente fit. Hic enim perpetuò accidere solet, cum materiæ euacuandæ maior est copia, & *Aph. 4. lib. 4.* *Aph. 63. lib. 4.*

à Cor

à Corde semel tota reiicitur. Nam protinus alio impletur humore nouello & frigidiusculo: fitq; idem quod per vrinæ excretionem euenire scribit Aristoteles: scilicet, ad extremam vrinę emissionem corpus inhorrescere, quia vbi calidior humor effluxit, aëre frigido repletur vesica. Eandem ille rationem adfert horroris qui per sternutamenta accidit: nempè quia venis subtrahitur, quæ cùm redditę sunt inaniores (inquit) aër ingreditur frigidus, qui rigorem ciere potest. Hæc multis absurda videbuntur, scio: ab iis tamen facile admittentur, qui in rerum abstrusarum inuestigatione peritiores, sæpius animaduerterunt, rupto abscessu (præsertim interno) rigorem accidere. Nam in quemcũque locum pus excidat, seu sensilem valde, seu obtuso sensu prędituin, ex ipsa vomica rigoris affectus exordium occasionem accipit. Sed cur febres quæ intermittunt in declinatione rigorem facere, nisi rarissimè, non solent? Vtrum quia paucior materia facit accessionem? Ob id enim minori impetu extruditur quod reliquum est, & recens humor (qui scilicet euacuati locum occupat) parcior quoque est. proinde non fit valde insignis muratio. His adde, non tantam alterationẽ Cordi accidere ex eius materiæ euacuatione, quæ non ita diu Cor tenuërat, quàm alterius quæ totos septem aut plures dies in Corde remansit, dum hinc repente extruditur, nouæque cedit. Video multò plures supereſſe scrupulos, quibus plærique in nostram sententiam

Probl. 9. lib. 8.

descen

Universidad de Deusto
Biblioteca

descendere parati.offendi possunt. Atque vt iis satisfaciam: præstat in quęstiones more nostro rem totam digerere. Iis enim propositis quæ quis facile in nos torqueat, atque solutis, nostrę opinionis veritas amplius eluceſcet. Id me recreat, quod Hippocratis autoritate omnia confirmauerim, & aperrè ostenderim, Medicinæ parentem illum nihil aliud de febribus statuisse quàm ipse proposuerim.

ΑΠΟΦΗΜΑΤΑ.

1. Cur per febres tertianas maior est corporis totius concussio, quàm per alias, quum tamen in tertianis bilioſi humoris copia sit maior: ab eo verò minus quàm à reliquis natura frigidioribus (vt pituita & melancholico humore) Cordis calor retundi videatur? An materia minimè frigida sui copia tantùm calorem obruëre poterit, & aliquandiu sopitum grauare. Quandoque enim sola impetus ratione, tremor quidã, & artuum inconstantia fit. Nam fortes strenuique viri hostem petituri fæpe obtremiſcunt, nõ perterriti, sed fidentes: ob motum quendam scilicet inæqualem ac tumultuarium, qui in eorum corporibus per acumen & nimium impetum caloris oriri fermè animaduertitur, vt docuit Aristoteles. Eodem quoque pertinere videtur, quod scripsit Galenus, vbi astruere vult alterationem esse doloris aut voluptatis causam. Nullam enim potiorem affert rationem, quàm

Probl. 3. lib. 17.

Lib. 1. de caus. symp. cap. 6.

quàm alterationis inuehendæ modum, ἀθρόως factũ scilicet. Et Aphrodiseus: πᾶν δὲ τὸ ἀμετρέως καὶ ἀθρόως γινόμενον κατὰ δυσκρασίαν, λυπῆ τὴν φύσιν. Quòd si rogites, cur quæ fiunt ἀθρόως, sensum magis afficiãt, quàm quæ sensim: in promptu causa est, quoniã illic sint alterationis multæ partes simul, hic verò sint duntaxat successione multæ. Cùm igitur bilis, eò mobilior quò syncerior est, vt in tertianis, affatim & maiore impetu Cor inuadat, eius calor subito totus obruitur. Hinc frigus intensissimum (quod nihil aliud est quàm rigor) externas partes occupat. Verum id non multò tempore durat, quum facilis accẽsu sit humor, qui tantùm copia suffocat. Calor enim non multo post illum permeãs sensimque accendens, breui incendium maximum edit. Pituita verò, vt est omnium viscidissima, adeóque pigra, trahentem ægrè sequitur, expellentique diu resistit. Ob id non multum vna vice Cor implet, sed valde lento passu subit, vt liceat calori nonnihil resistere: hic verò refrigerationem diu sustinet, priusquam materiam talem euincere possit. Eam ob rem languidior quidem fit Cordis caliditas, sed non tam subitò aut vniuersim, quàm dũ maiori impetu ruit materia, etiam calidior. Nam oleum quoque ellychnio magna copia affusum, flammam aliquandiu hebetat & minuit. Porrò melancholici succi natura sanè tarda & hebes admodum esse videtur: attamen quum visciditatis minus habeat quàm pituita, hac certè promptiùs bili

Lib. 1. ἀπορημ.

Universidad de Deusto
Biblioteca

commixtus dispergitur. Quo fit vt horrorem (frigoris & rigoris mediumaffectum) quartanarum proprium esse dicamus: quia neque tã cito vt bilis meracior, neque adeò tardè ac pituitosior, Cordis ventriculos occupat, vel accenditur. Hanc ratiocinationem Galeni etiam auctoritate cõfirmare possum, qui pituitosæ febris naturam describens, ait: Ea incipit ex frigore *Lib. 2. diff feb. ca. 4.*
" partium extremarũ atq; horrore, potius quàm
" rigore: difficulter accenditur, longumque obti-
" net incrementum ad ipsum consistendi vigo-
" rem: quoniam humor ipse in quo consistit tri-
" gidus atque humidus est temperamẽto, ac glu-
" tinosus consistentia. Itaque difficulter accendi-
" tur, ac tardè mouetur. Per febrem verò bilio-
" sam, calor ipse non multò postquam destitit ri-
" gor, accenditur luculentus, quemadmodum i-
" gnis quidam planè purus, in quo nulla fumosa
" caligo inuehitur. Calorem verò pituitosi humo
" ris assimilabis igni fumoso lignorum viridium
" accensorũ. De Quartana verò sic scribit: Quo-
" ties ex humore melancholico solo (hoc est, vt
" ipse interpretor, qui pituitosior non est) effici-
" tur, paulatim quidem succenditur. Vbi verò
" flamma quædam ex eo accensa est, nihil relin-
" quit fumosum. Et paulò post: Ob eam rem acci
" dit illis rigor, qualis potissimum in forti frigo-
" re refrigeratis, &c.

11. Quamobrem pulsus initio accessionũ fiunt languidiores, minores & tardiores, si dum externa frigent calor ad viscera recurrit, vt vocant nam

nam aucta caliditate frequentiores & maiores fieri assolent. An & hoc euidenter arguit, Cor per initia refrigerari, eiusque calorem languescere: quum non nisi diminuta necessitate aut viribus debilitatis, aut impedito seu occupato organo, tales accidant pulsus. Proinde quò frigidior est materia, eò magis inæquales, debiles, ac parui fiunt, non initio tantùm, sed & primo incremento, vt in quotidiana febre docuit Galenus. Per febrem verò biliosam (vt idem inquit) existit inter initia accessionum vnaquæque affectio ex dictis circa pulsum, scilicet inæ » *Lib. 2. diff feb. cap. 4.*
qualitas, debilitas, atque paruitas. Sed ab illa »
quidem cito abeunt tum alia, tum etiam inæ- »
qualitas, quæ magna ex parte nec cum talibus »
febribus accedit, nec tales febres comitatur. Ra »
tionem esse puto, quod tertianarum materia sit magis ἡμιτομερὴς, aliarum verò ἑτερογενὴς, quia biliosum requirit humorem quo accendatur. Materiæ verò difformitas ac inæqualitas pulsum Cordis in quo aduritur, inæqualem reddere videtur. Paruus autem ac languidus fit omnibus initio, quia sopitus & obrutus calor nec eget magno pulsu, nec eum potest vehemẽtem efficere. Languidi enim fiunt pulsus initiis ac- *Lib. 3. præ sag. puls. cap. penult.*
cessionum (inquit Galenus) ob facultatem affectam, & parui ob imbecillitatem facultatis atque frigiditatem, tardi quoque ex ingenti frigi »
ditate. Quæ omnia manifestè docent, materiã »
quæ accessionem facere incipit, in corde consistere. Nam si in habitum corporis expulsa &

Universidad de Deusto
Biblioteca

putrens(vt aiũt)calidis vaporibus ad illud trãsmissis febrem accenderet,non video quomodo per febrium acceſſiones talis pulſus immutatio ſuboriretur: præſertim quum frigeſcentibus externis calorem ad Cor refugere dicant. Quòd ſi fieret, cur pulſus eo tempore multò celeriores ac maiores quàm ante non percipperentur, vt ſolent vbi calor in Corde adauctus eſt?

III. Qui fit vt per febres lipyrias interna vrantur,frigeant verò externa,quũ accenſo in Corde vehementi calore, vniuerſum corpus præter modum incaleſcere debeat? An(vt reſpondet Galenus) quando aliqua fortis inflammatio in corporis parte profundiori,vel eryſipelas euenerit,totus ex toto corpore ſanguis ad locum trahitur patientem, atque ideo vruntur profunda,cutis autem perfrigeratur. Omnis ſiquidem partium internarum grauis dolor,extremorum ac externorum frigiditatem comitem habet:quia (vt putat Galenus)dolens pars more cucurbitulæ ad ſe vndique trahit ſanguinem & ſpiritus,quibus membra deſtituta frigent. Ex eo verò accidit, vt interna plurimum incaleant:multóque magis ſi ex calida occaſione morbus fuerit.

In aph. 48 lib. 4.

IIII. An non abſurdum eſt,in corde materiam febrium collocare,cùm febres frequentiſſimè ſalubres ſint, Cordis verò affectus plurimum ſuſpecti habeantur, ob membri dignitatem? Quomodo poteſt humoris praui tã ſæpe fer-

re contactum,omnium præſtantiſſima nobiliſſimaque noſtri pars? An autorem lib. De renum affectibus(quem perperam Galeno attribuunt)ſequuti,dicere poſſumus,Cor in cauitate non ſentire,vt neque iecur & renes:ſed tantùm in ſuperficie,vbi ſunt nerui ſenſiles. Propterea nullam ex contentis moleſtiam ſentiunt niſi dum copia & grauitate ponderis ſenſum diſplicentem inferunt. Cor verò peculiariter (quod ad preſens inſtitutum pertinet)nullo doloris ſenſu,à materia febrili quam prius accendit, multum incaleſcit ac æſtuat:quod febris eſt eſſentia. Quid quòd Galenus docet, Cor puris tranſitum ferre? Id certe multò deterius & malignius eſſe puto, quàm humorẽ febres cõmitentem recipere. Galeni verba ſunt: Læuis arteria pulmonis, quantũ puris ex erupta vomica ſuſcipit,id in ſiniſtrum Cordis ſinũ deferre poteſt,quod inde in magnam ipſius arteriam incidens,per renes tranſit in veſicam.

Lib. 5. de loc. aff. cap. 4.

V. Cur,ſi in Corde præcipuè vritur febriũ materia,vrinas adeò ſtudioſè conſulimus: quid cõcoctionem in venis & habitu corporis factam ex earum bonitate & (vt vocant)concoctione coniicimus,vnde morbo ſuperiorem fore naturam pronuntiamus? An neque id perpetuò verũ eſt ſalubritatis indicium, quũ plæroſque ex febre mori videamus, quorum vrinæ nunquam non coctæ apparuerunt. Nam & ipſe ſæpius obſeruaui (quod etiam annotat Fernelius)toto febris intermittentis decurſu vrinam

Universidad de Deusto
Biblioteca

substãtia, colore, & hypostasi laudabilem, quã aliàs salubris, aliàs lethalis esset morbus. Quod verò dixit Galenus, maximè proprium esse febrium ex humoribus consistentium, vrinæ cruditatem atque obscuram concoctionẽ, (nam apertè concoctã esse in febribus Diariis, & eam quæ secundum naturã est imitari, vel à naturali statu parum deflectere, asserit) magna ex parte verum est. Siquidẽ primæ vrinæ in tali febrium genere, vel penitus crudæ, vel obscurè concoctæ vt plurimum existunt. Neque enim magnũ aut insigne concoctionis indicium in primis vrinis ferè vnquã existit per huiusmodi febres, nisi à Diariis in has trãsitus fiat. An quia primis diebus valde laborat natiuus calor ei malo insuetus, perperam fiunt concoctiones: remittente verò iam morbo, & materiæ aliqua portione absumpta, ad naturalem statum redire incipit. Natiuus autem calor alimentũ humoréve concoquens, primum quidem & maximè substantiæ mediocritatem molitur, cui deinde propartium natura colorem addit. Proinde ex substantia magis quàm ex colore cõcoctio spectatur. Hypostasis verò dicitur, crassior vrinæ portio infiti caloris vi secreta. Nã dũ hic validior est, quicquid in emissã vrina crassioris inest substãtiæ, licet nõ protinus aspectabile sit, mox tamẽ secernitur atque coit, ac plerunq; subsidet perinde atque fæx in aqua rosarum stillatitia. Caloris enim est ἐτερογένεια secernere. Natiui autem caloris vim in ipsis quoque animaliũ excrementis

Lib. 1. diff. feb. cap. 9.

Ibd. & lib. 1. ad Glauc.

tis manere, Aristoteles annotauit. Hic ergo si in vrina vegetus est ac validus, materiã per vrinæ humorem sparsam, ac tum minimè cõspicuam citò segregat & colligit, ac dein prorsus deorsũ deponit, & demum ita cogit vt æqualis euadat, id est sui vbique similis, atque etiam læuis, nihil asperum, nihil diuulsum habens. Infirmior vrinæ calor crassamentum hoc tardiùs secernit, neque id deorsum impellit, sed in medio sinit propendere (quod enęorema dixerunt) idque ferè aut diuulsum, aut inæquale. Languidus calor tardissimè secernit, neque potens cogere, id aut diuulsum relinquit, aut per summa innatãs nubis specie. Calor demum extremè languidus (vt in exitiali febre) aut nimia indomitorũ humorũ copiâ oppressus (vt in ictero, sæpe & tertiana febre, cum bilis abundantior sero permiscetur) nihil prorsus segregat, & vrinã permistã ac verè confusam exhibet. Quũ igitur in actionum & vitæ necessitate omniũ prima vitalis facultas statuatur (vt doctè monstrauit Fernelius) quod non modo reliquis materiã sufficiat, sed illas etiam suscitet atque perficiat, nihil mirum si Corde (ex quo spiritus & vis influit vitalis) male affecto, nutritionis & concoctionis functio interpellatur. Non enim citra caloris opem alimentum confici, aut corpus nutriri potest. Vnde Aristoteles à perenni illo fonte caloris, vitam & primam nutriendi facultatem seiungi noluit. Nam Cordis calor & facultas toti

Universidad de Deusto
Biblioteca

corpori (maximè verò iecori & cerebro) impartita, omniū functiones & munera complet. Propterea in syncope, tantisper dum vitale robur corporis partes non illustrat, reliquæ facultates omnes pariter intermissionē faciunt. mox autem vt id excitatum reuixerit, ac seipsum collegerit, omnes illæ quasi recreatæ recurrunt. Sic (arbitror) per febris initia, vbi valde turbatum grauatúmque Cor est, deterius fiant cōcoctiones, cum in aliis partibus, tum in venis maioribus, quarum præcipuè hypostasin indicem esse dicit Fernelius: & in quibus febrium materiam antecedētem contineri recipimus. Quū igitur absumpta est noxij humoris portio, vrina defluit tenuior, & minus quàm initio turbida. Nā cùm magna esset humorū perturbatio atq; confusio, tunc eorum quoque magna vis in vrinā ferebatur. Tum etiam superior dominatrixque Natura crassiorem ex vrina materiam in ænorema vel hypostasin secernit, Ob id itaque cōcoctionem vrinæ quū primum apparet, maximi faciunt, quod caloris & naturæ dominium atque victoriam indicet, quæ humores non ita pridem turgentes & ferocientes magna ex parte superauit, & quæ iam ad pristinas muneris sui functiones redit.

VI. Quid, & ex qua materia est febricitantium vrinæ hypostasis? Nunquid puri proportione quadā respondet, vt scripsit Galenus, éstq; portio humoris eius quē alij in febre cōputrescere, nos comburi dicimus. An illud est pernicio-

Cnm. 46. lib. 1. prog.

sum. Medicinæ commentum (vel autore Fernelio) ardentis febris materiam, quæ torrida bilis est, aut in pus, aut in quippiam simile puri concoctione verti posse, cùm non sit eadem huius atque phlegmones ratio. An verior est Galeni sententia, dum inquit: Tandem vbi materiam superauerit calor, quasi flamma incenditur: atque is est vigor accessionum, vbi fuliginosum » natura excrementum expiratione & cōtractione arteriarum expellit. Quod verò est veluti cineritium, non perinde (quia crassum est) potest » excernere, sed per insignes quosdam meatus » educit. Hoc in partibus inflammatis pus est, in » ipsis vasis sedimentum vrinæ. An aliter de febricitantium hypostasi statuendum est cum Fernelio, sed alia ratione. scilicet eam non portionem eius humoris esse qui febrem excitauit, sed similem atque in sanis materiam obtinere. Nam & in diariis febribus, vrinæ parum aut nihil ab vrinis sanorum differunt, quamuis vniuersum corpus febrilis calor occuper. quia facultates non admodum labefactare potest leuior morbus, & parum durabilis. Estque in vrinis diaria febre laborantium hypostasis, licet in humore morbus non consistat, & vel calefactio tantum, non vstio sit. Igitur quum per febres humorales materiæ portio maior absumpta vel dissoluta est, ad naturalem statum redire incipit calor natiuus, & consueta munia perficere aggreditur. Atque tunc minus quàm antea in comburendis humoribus exercetur, quamuis

Lib. 3. prefag. puls. cap. penult.

(forcitan) non minor sentiatur caliditas. Verùm hæc calefactio dudum impressa est quæ sensim & vltrò non multò post minuetur atque deficiet.

VII. Quænã est sudoris, vomitus, alui deiectionis, aut hæmorrhagiæ materia, qua excreta solent plærumque febres omninò cessare? Num quæ in Corde vstionem passa febrem excitauit, aut quæ illi ex vicinis partibus continuò suggerebatur? Atqui eorum quæ excernuntur copia nonnunquam maior est, quàm vt illhic contineri posse videatur. Præterea, per febres maxima eius pars absumitur. Erit igitur excretionũ illarum salubrium, & (vt medici loquuntur) iudicatoriarum materia in venis & arteriis, aliisve patentioribus spatiis contenta, quæ per febrilẽ calorem à naturali cõditione immutata, quum postmodum suo robori restitutus incipit esse natiuus calor, impetu quodam excernuntur. Atque inde salubrem esse dicimus euacuationem, & vt signum, & vt causam: nimirum quod exolutum robur nunc demum sese colligere agnoscamus, vbi in Corde accensi humores magna ex parte consumpti sunt. Ad humorum verò, qui per febres corrupti fuere in vniuerso corpore, subitam euacuationem, salus succedit: quum hi essent qui semel impressam caliditatem aliquanto tempore post coniunctæ materiæ dissipationem, fouebant. Cùm igitur Corde exonerato, vitalis facultas sese recolligere incipit, sanguinis pars in venis & arteriis percalefacta,

facta, & vaporosa, acriorque reddita, per nares reiicitur. Aut si in bilem flauam prorsus conuersa sit, à vena caua in portam reiecta per alui fluxum expurgatur. Idem fit si in mesaraïcis, hepate, aut ventris inferioris partibus id passa fuerit. In ventriculo tamen collecta, vt plurimum vomitu reiici videtur. Mulieribus verò menses nonnunquam κριτικῶς fluunt, ea ratione qua per nares fit hæmorrhagia, & quibusdam per sedis venas, quas hæmorrhoïdes vocant. Sudores autem omnium frequentissimè erumpunt, febréque iudicant, vaporibus ex sanguine in venis & arteriis calefacto sublatis, & in aquam densatis ad cutem, quos excretrix facultas (ex Corde nonnihil recreato sanè validior) impetu quodam protrudit. Proinde vbi aliqua ex parte tantum, non integrè, solutum ac liberatum est grauante materia Cor, sudores quidem leues, & è naribus guttarum aliquot reiectiones, aut eiusmodi aliæ excretiones exiguæ fieri solent, diebus quos ea ratione Indicatorios appellant, quia roboris quoddam specimen exhibent. Quum verò prorsus deuicta est materia, tunc absoluta crisis fit: vt non omninò liberato Corde, imperfectum iudicium subsequitur.

VIII. Quid prodest febricitantibus venam secare, & medicamentum purgans exhibere? An vt antecedentem materiam quæ in venis maioribus, & Cordi proximioribus est, retrahamus excernamúsque? Sic enim quæ assiduè Cordi suggeritur, detrahi potest. Phlebotome verò peculiariter

ter sanguinem excalefactum & feruentem mitigat euentilatione facta, eundemque refrigerat dempta portione. Purgatione autem, materia accensu facilis, quæ ad Cor properat, euacuatur: nec non quæ per febrilem calorem in toto corpore deprauari solet. Ea est quam demum per hæmorrhagiam, sudorem, aut alui fluxum Naturæ sponte expelli docuimus. Vnde fit vt sæpissimè febres sine manifesta excretione soluantur: quia medicamentis purgantibus toto morbi decursu id detrahitur, quod vnico impetu Natura ad extremum morbi reiiceret, per conuenientem admodum regionem, pro eius materiæ quæ nocet conditione: quod certe medicum latet. Quamobrem merito suadet Hippocrates, cum morbi inchoant, si quid mouendum videtur mouere: cùm verò consistunt ac vigent, quiescere. Natura etenim quæ in corpore inhabitat, cunctáque intus perlustrat, quid & qua ratione vacuandum sit nouit, sæpissimèque à medicamentis perperã exhibitis ab incepto conatu cessat: vel cum agentu medicamento resistit (quod non sibi nocuum, sed alium humorem solicitet) ac aliud moliens ipsa contranititur, hinc atque hinc distracta viribúsque fractis, aliquando succumbit. Conferunt verò sæpius per initia purgationes, quia (vt prædixi) coniunctæ materiæ proximam, atque adeo cõtinuam retrahere, si non excludere, possunt. Sic & in febrium incrementis valent, vt quod per febrilem ardorem in toto corpore corruptum

Apg. 29. lib. 2.

est, prius excernatur, quàm materia antecedente (quæ fuit initiò) consumpta, hæc eius locum vicemque subeat. Febrium enim duratio nonnunquàm longissima est, eo quòd humores corrupti alios continuò deprauant, qui in locum absumptorum succedentes, primum antecedens, mox coniuncta materia fiunt. Sic (arbitror) per vnam febris intermittentis accessionẽ, calore febrili corpus vniuersum occupãte, qui humores sunt corruptu faciliores, in eius natũ sensim degenerãt, qui accessiones cõmisit. Hi verò certũ post tempus ad Cor successione quadã peruenientes, in eo inflãmati ac vsti, accessionẽ aliã producunt. Ex hac verò, materies pro alterius paroxysmi deinceps futuri generationegignitur. Atque id fieri perseuerat, donec humor corrumpi ac vri facilis, Cordisq; intẽperies calidior & siccior, supersunt. Ergo ad antecedentis, vtique paratæ materiæ extractionem, per febrium continuarum initia & incrementa purgationes instituimus: in febribus verò intermittentibus, iis diebus qui accessiones præcedunt. A purgationibus autem alterantia (vt vocant) præscribimus, refrigerantia videlicet atque humectantia, quæ febrilem illam Cordis intemperiem obtundant remittantque, vt vel accedẽs materia vstioni præparata minimè accendatur, sed vi naturæ per conuenientem regionem reiiciatur. Robur enim Cordi præstant, quæcunque eius intemperiei medentur, æstum mitigantia, tum assumpta, tum admota, vt quæ Epithema

Universidad de Deusto
Biblioteca

themata vocant.

IX. Si materia febrium est in Corde, cur non potius arterias (quòd ab illo prodeant) quàm venas aperimus, vt sanguis virulus, morbi fomes, effundatur? An quia tuta non est magnarũ arteriarum sectio: paruæ autem sectæ nequeunt ex alto humorem exhaurire. Sufficit verò per venas mittere sanguinem, cum arteriæ & venæ mutuò communicent, vt demonstrauit Galenus. Hinc enim fit, vt inanitis venis, inanes quoque fiant arteriæ, & contra: quia istorum vasorum oscula sese contingunt. Cùm igitur Cordi arteriæ annexæ sint, hæ autem venis communicent, satis est ad vtramuis materiam phlebotomen instituere.

Lib. de vsu. puls.

X. Cur in principiis paroxysmorum, quas ἐπισημασίας, id est annotationes vocant, ægrotantes vigilare iubemus? An quia (vt recte à Galeno est annotatum) tunc calor naturalis totus, & humores in profundum corporis vergunt, præcipuò in quibus horror, vel rigor, vel fortis partium exteriorum refrigeratio contingit. Per somnum verò hæc magis fiunt. Vnde symptomata illis protenduntur, & febres vix ad consistentiam perueniunt: ac si qua inflammatio circa viscera fuerit, augetur. Nonne ex his facile & euidenter colligitur, humores ad Cor per initia accessionum confluere, non extra venas deferri, & in habitum corporis diffundi, vt illi volũt? Etenim si nocet somnus, quia de illorum sententia humorum impetum maiorem concitat, per somnum

Com. aph. 1. lib. 2.

somnum verò à circunferentia ad centrum humores recurrant vt iidem existimant, non est quod putent initio accessionum materiam spargi in habitum. Nempè somnus prodesset, humorum impetu fracto per retractionem ad interiora: vt apertè iuuat in partium externarum inflammationibus & vulneribus, & quibusuis excretionibus. At contra accidit, vt per initia paroxysmi valde noceat: quod tunc temporis humores vstione absumendi in Cor irruant. Feruntur verò impetu maiore ex somno, vt etiã in quauis inflammatione interna: quia calor adauctus humores mobiliores efficit, viásque magis dilatat.

Hic vulgare opinionẽ sequor. Aliter paradoxitat. dec. huius statuo, per somnum humorem in visceribus suis coërceri, non eò refugere.

XI. Qui fit vt arquati omnes febre non infestẽtur, quum tamen bilis adeò in illis abundet, vt per totum corpus diffusa sit? An quia humor per habitum corporis dispersus, non facile accenditur? An neque hic accensus febrem excitaret, nisi humores in Corde vrerentur? Nam quũ materia quæ febres excitat, in habitu corporis non sit, quin potius (vt nobis est persuasum) in Corde, quantumuis copiosè in carnes effundatur bilis, vt per subitam icteri vel erysipelatis generationem fieri putant, neque rigor, neque febris consequitur. Quòd si quando accidat, præter eum qui externa occupat, humor est alius in Corde latitans, ex quo febris enascitur.

XII. Quomodo per Epialam febrem in eadem particula frigus & calor sentiri possunt? An vapores

pores qui à Corde in vniuersum corpus distribuuntur, inæqualitatem ei quam Cor patitur ad similem gignunt? Pituitosior verò est huius febris materia, ex pauciore bile, & viscida crassaque pituita multa, vitro fuso simillima, vnde vitreæ nomen. Hæc cùm mouetur, Cordis sinus permeans sine febre rigoré inducere potest. Sin parũ accendatur, Epialam committit febrem. Si adhuc magis vratur, (vt fit cum pluscul ũ bilis admixtæ habet) rigor præuenit, febris subsequitur, deuicto scilicet statim frigore ab ipsa multitudine caloris. Nam frigus non perseuerat per incrementa, & vigores accessionum. Id ex Galeni doctrina colligere licet, cui Epiala de genere pituitosarum febrium est. In his verò maximè calor sentitur inæqualis (inquit) ita vt per « colum quendam, vel cribrum transmitti videa« tur: quum omnes aliæ febres calorem habeant « æquabiliter occurrentem. Inæqualitatis verò « pituitosarum potissima causa est, lentor crassi« tiésque humoris, & dissolutionis difficultas. Ni« perinde euenit vt in glutinosis crassisque humoribus externis dum elixantur, ait Galenus. Exi« stunt enim ex iis bullæ, quibus ruptis spiritus « vniuersè educitur, simul abducens humorem « attenuatum. Vbi verò tenuis humor elixatur, « neque bullæ efficiuntur, & qui ab eo attollitur « vapor, omninò similis ac continuus est sibiipsi. Cùm igitur viscidissima crassissimaque in Corde vritur materia, horror & calor simul percipiuntur, affectu Cordis vniuerso corpori communi

Lib.2.diff. feb.cap.6.

Lib.2.diff. feb.cap.12.

Lib.2 diff. feb. cap.13.

municato, vt est verisimile. Quippe tum alia ratione, tum vaporibus & fumis quaquauersum diffusis, eius inæqualitatis qua ipsum Cor afficitur, corporis habitus sit particeps. An vapore non continuò, sed per interruptas vices (frequentissimas tamen) in corpus trãsfuso, caloris acrimonia sentitur: & quibus momentis partes ab eo vapore non afficiuntur, frigent? Nam ea ratione fieri posse arbitror, vt eodem temporis puncto & frigus & calor sentiantur in quauis parte, quum valde subito alterum alteri succedat. An satis est partem vnam, vt Cor, à materia contrariis qualitatibus prædita affici, vt totum corpus idem patiatur: nuda scilicet ac simplici qualitate momento permeante. Siquidem velox est ab eo quod primò afficitur, in corporibus sensilibus per totum corpus diffusio: vt videlicet cum excalefacto vna totum incalescat, refrigerato frigeat, adeóque frequenter etiam cõtraria eodem tempore perpetiatur. Id quod Galenus ipse variis exemplis, inter quæ est Epialæ & Lypiriæ febris symptoma, demonstrauit.

Lib.3. facult simpl. cap. 16. XIII.

Quam sedem occupat febris hectica? An, vt reliquæ omnes cuiuscunque generis febres, in Corde primũ excitari debet? Id etiam Galenus docuit, hecticæ duos modos constituens. Vnus est, vbi consumitur temporis spatio humor corporis Cordis: atque tunc nõ solum hectica, sed etiã Marasmodes existit. Alter manente adhuc humore fit, dum corpus ipsum Cordis prehendens, inde maximè accẽditur, quemadmodum

Lib.1.diff. feb.cap.10.

Universidad de Deusto
Biblioteca

lucernarum flamma ex ellychnio. Et deinceps

Cap. 11. Marcor incipit, quoties humor insitus, ex quo
« membra primum aluntur, ferè in ipso corpore
« Cordis nullus amplius inest. Quousque enim
« aliquid ipsius seruatur, Hectica febris tantùmo
« do est, non dum Marasmōdes. vbi verò ferè ni-
« hil insuper huius humoris existit, exquisitus tā
« marcor existit, &c. Ergo febrium omnium se-
des & minera, quam primò affici oportet, ip-
sum Cor est.

XIIII. Quænam est præcipua febrium circuitus, &
repetitionis accessionum, causa? Num ea quam
Lib.2.diff. Galenus his verbis explicat: Quicunque circui-
feb.cap.vl. tionibus quibusdam repetunt morbi, partium
« superueniunt dispositionibus, vel mittentium,
« vel suscipientium, vel gignentium, vel traben-
« tium excrementa. Quod quidem verissimū est,
sed non satis explicatum, quum nec partē præ-
cipuè affectam, nec quæ eius affectio circuitio-
nis causa sit, demonstret. An Cordis intempe-
ries calidior ficciórque aliquanto tempore per
seuerans, donec ipsum ad naturalē redeat sym-
metriam, & quādiu materia accensu facilis sup-
peditatur, febrem non modò continuam, sed &
intermittentem producit? Ea enim est dispositio recipientis, vel aliunde trahentis biliosa ex-
cremēta: quæ in ipso etiam Corde gigni posse,
quid vetat? Mittuntur verò nōnunquam & sta-
tis temporibus, per certam quandam aliarum
Lib.2.diff. partium affectionem, quam Galenus accuratè
feb.cap 17. docuit. Sed ex variis circuitus febrium causis nulla

nulla est potentior Cordis intemperie, quæ ap
pellentem materiam succendere potest. Hac ve
rò consumpta, supereſt in Corde ἡ τῆς θερμότη-
τος δυσκρασία, ἢ ἐρυσία, & nonnihil cineris ex a-
dustis. Caue enim putes (ait Galenus) in vasis ex Lib.2.diff.
ternis, in quibus elixa cibaria nidorulenta eua- feb.cap.18.
serunt, dispositionem quandam relinqui: in par »
tibus autem in quibus humores putrescunt (vel »
potius accenduntur) nullam permanere. Pro- »
pterea sanè affectio ægrè soluitur, quoties vni-
uersum corpus prauis humoribus, & ad vstio-
nem comparatis abundat, ac plethoricum est.
Nam quandiu materia suppeditatur, tandiu pa
roxysmi perseuerare videntur, qui pro materie
copia & qualitate longiores breuioresque fiūt:
ac pro eorum duratione grauior leuiorque in
Corde permanet affectio. Hinc fit vt nulla tan-
dem supersit. Etenim pro causarum fouentium
magnitudine, Cordis intemperiem augeri vel
minui par est. Intemperiem verò, cum excremē
torum quadam colluuie, in Corde perseuerare
ad absolutam vsque febris curationem, ex pul-
su facile est deprehendere, qui Cordis affectus
certissimè declarat. Hic enim in nulla febrium
intermittentium ad naturalem statum penitus
redit per tempus quietis (vt rectè scribit Gale- Lib.1.ad
nus) etiamsi temporis spatium inter prioris ac- Glauc.cap.
cessionis finem, & sequētis initium longum sit, 2.
quemadmodum in tertianis atque quartanis.
In illis enim febris remanet signū: in epheme-
ris autē in totum aboletur accessione cessante.

Universidad de Deusto Biblioteca

Et alibi de febribus tertianis, quæ omnium maximè ad infebricitationem desinere videntur, loquens ait: Constat hanc quidē (quoniam & humorem habet accensu facilem, & prompte semper ob tenuitatem quicquid eius feruefactum est per accessionē expurgatur) ad integritatem quandā magis purā desinere, & exiguum post accessionem vestigiū putridi caloris relinquere. Eam verò quæ ex pituita consistit, nec integrè purgari per inclinationes accessionum, nec exiguum quod velut succendatur relinquere. Inde ergo efficitur & intermissio multò deterior, & secundæ accessionis maturius principium. Hæc ille. Igitur quoties ad Cor peruenerit comburendus humor, toties febris repetitio erit: idque perseuerabit donec reliquus nullus sit talis humor, vel cordis intemperies abolita, aut simul vtrunque. Nam nisi ista simul conueniant, ad dies aliquot tantum lubrica & fallax sanitas expectanda est, vt in pristinam affectionem lapsus sit facillimus.

Lib. 2 diff. feb. cap. 4.

XV. Quî fieri potest, vt Cor omnium partium robustissimū atque dignissimū, ab aliis recipiat excrementa (quod in sup. problemate innuēre visi sumus) quum nobiles & fortiores, in ignobiles & imbecilliores, non contrà, sua mittant superflua? An Cor tunc est imbecillius, cum intēperie laborat, quā necessariò interuenire in febris generatione superius declaratū est. Proinde nihil mirum si ab indigniotibus recipere possit. At non modò aduenientem excipit, sed cùm

cùm sibi trahit alimentum, quod in eo dulciùs, pinguius, ac viscosius offenditur, id (quādiu calida siccaque intemperie Cor laborat) accenditur & ignescit.

XVI. Vnde fit vt synochus, seu febris continens assiduò fatiget, nulla excandescentia, nullaque intermissione, dum integrè soluta sit: cùm tamen ex continuis aliæ quotidie; aliæ alternis diebus, aliæ quarto quoq; die exacerbationes habeāt? An quia vt sanguis (in quo eius essentia consistit) sui vbique est similis, ità & illius inflāmatio tota vnius modi est, & ab initio in finē vna qua si accessio. Sic enim respondet Fernelius. Sed quomodo sanguinem (quem non simplicem, verùm ex quatuor humorum æquabili permistione costantem, intelligit) sui vbique similem esse dicit, quum id singulis per se humoribus magis conueniat? Sanguis enim totus ex diuersis partibus componitur; bilis verò, pituita, & melancholicus humor similares sunt, ac sui vbique similes multò magis quàm illa sanguinis massa. Attamen cùm hæc inflāmantur, & assiduam febrem gignunt, excandescētias siue exacerbationes quotidianarū, tertianarū, & quartanarum efficiunt: vnde continuas quotidianas tertianas, & quartanas dicimus. Cur ergo talium humorū sui vbique (vt par esse videtur) similiū atque simplicium, inflāmatio nō est tota vniusmodi, perinde ac quæ in sanguine consistit, quē cōstat esse dissimilarē? An rectè illa de Synocho

protulit Fernelius, de aliis verò cõtinuis multò diuersa est ratio, quam nemo assequi potest, qui à nobis supra iactis fundamentis non imitatur: in Corde scilicet potissimum contineri omnium febrium materiam. Quum enim in Cordis sinubus contenta fuerit biliosa materia viscida & crassa, si accendatur febrem efficiet, quæ tandiu perseuerabit, quandiu absumptioni resistet humor. Quia verò in hepate hominis bilioſi multa bilis colligitur, quæ non rectè expurgata venas subire potest, & aliqua sui parte ad Cor deferri. dũ id fit, exacerbatio est. Eandem rationem de pituita & humore melancholico esse volo, quorum alterum bile abundantius, alterum parcius aut tardius esse solet. vnde pituitosæ febris excandescentiæ crebriores sunt, quàm biliosæ: melancholicæ verò omniũ tardissimæ, vt quæ nõ citiùs quàm quarto quoque die repetãt. Dixi parciorẽ esse hunc humorem, quamuis bile copiosiorẽ esse velint, quum eo multæ partes nutriãtur, bilioso syncero nullæ, vt putant. Ast ego melancholiam parciorem esse intelligo excrementitiam, partibúsque nutriendis inutilem, quæ sanè minus quàm bilis abundat. Bilis siquidem ad nutriendas partes aliquas minimum vsum præbere videtur: alias verò vtilitates plurimas habet, vel excrementitia, in aluo. Melancholiæ autem minimè alentis quænam est commoditas, nisi quam Galenus comminiscitur ab anatomicis improbatam

tam, ad excitandam animalem appetentiam? Quum igitur bilis excrementitia copiosior sit quàm melancholicus humor superfluus, vbi distracta est ab hoc alendarum partium portio conueniens: absurdum esse non debet quod scripsimus, melancholiæ quàm bilis parciorem esse copiam. Sed ex diuerticulo in viam redeamus. Continuæ quotidianæ, tertianæ, & quartanæ exacerbationes habent, quum statis certisque temporibus ex hepate ad Cor per venam cauam noui commeatus perueniunt: impurior (inquam) sanguis pituitosus, biliosus, vel melancholicus. Nam dum crassa & tenax materia in Cordis sinubus comburitur, continua fit febris duratio, vt prædiximus. Quòd si huic per interualla quædam adiiciatur recens materia, iis sanè spatiis auctior erit caliditas, vt ratio docet. Absumpta verò noua illa & parciore materia, febrilis calor ad pristinum suæ qualitatis gradum paulò post redibit: quod nos apertissimè declarauimus proposito simili, circa huius paradoxi initium. Porrò, qui febrium continuarum & intermittentium diuersas sedes esse volunt, continuarum materiam in venis occludi censent, atque eius dispersionem in habitum corporis prohiberi ab obstructionibus quę vasis insunt. Quid igitur? Dum exacerbationes in cõtinuis fiunt, materiæ portionẽ effundi, & ab ea quendã horrorem excitari respondent. Sed quàm absurda sit opinio, vide. Si aliqua ma-

Universidad de Deusto
Biblioteca

teriæ parte euacuata id fieret, non exacerbatio sed potius morbi diminutio, & μαλακτήριον, vel (vt ita loquar) melioratio esse deberet. Atqui per morbi incrementa id magis accidit. Præterea, si obstructę sunt venę, quomodo is humor effunditur? Si iam patent, cur non totus humor effluit, vt fiat rigor iudicans? Tenuius tantùm, ac elaboratum à calore per angustiora spatia elabi posse, nô crassius, respondebunt, ni fallor: atque inde leuiorem exacerbationem, non magnum rigorem vel horrorẽ persentiri. Sed quid de horrore maximo semitertianarũ (quæ verè continuæ sunt) dicere poterint, quum copiosam & crassam materiã effundi oporteat, si talia symptomata effusis humoribus contingant? Absurda sanè omnia illorum esse responsa, ex male posito principio, constat. Verisimilius multò est quod asserimus. In Synocho verò idẽ semper est febris tenor, & calor par suique similis toto febris decursu manet, vel continuo incremento inualescit, aut statim à summo vigore incipiens sensim minuitur dũ desinat: quia sanguinis massa, quã semel & vniuersim totam occupat inflãmatio simplex (φλόγωσιν Græci appellant) sui vbique similis est, nec impurior in hac quã illa parte sanguis habetur. Nã optimo sanguine & copioso præditos temperatosque homines, sed intemperanter viuentes (vt dicit Cornelius) hæc febris apprehendere solet. Eos, inquam, qui quum bene habito sint corpore, multo se tamen vino, multaque carne

carne implent. Quamobrem non est alia sanguinis in corde inflammati natura, & alia eius qui in reliquo corpore continetur. Vnde cùm absumpta est portio eius qui in Corde primus efferbuit, alia ei succedit omninò similis materia, vel transmissa, vel attracta. Quo fit vt idem perpetuò seruetur caloris tenor. In impuris verò corporibus, cacochymia multiplex varia efficit symptomata, de quibus est exacerbatio illa in febribus continuis, non continentibus, euenies. has Græci propriè συνόχους, illas συνοχεῖς vocitant.

XVII. Quî fit vt intermittentium, diuersi aut eiusdem generis, accessiones longitudine sint inæquales? An (vt monstrauit Galenus) quia neque genus, neque multitudo excrementorum vna est, neque similiter accendi in omnibus, neque discuti possunt? Nam plura quidem, & frigidiora, & glutinosa, & crassa, longiores committunt accessiones: pauciora autem, & calidiora, & tenuiora, breuiores. Ad id etiam conducit non parum Cordis constitutio, & facultatis expultricis robur. Cor enim rarius, breuiores quantum in se est, efficit accessiones: densius autem longiores. & robustum quidem breuiores, debile verò multò longiores. Febrilis siquidem accessio tantisper durat, dum prorsus absumpta sit & discussa materies. Huius reliquias in magnam arteriam Cor pro viribus excernit. *Lib. 2. diff. feb. cap. 16.*

XVIII. Quam ob causam accessiones quædam ad integritatem desinunt, quædam minime? An

Universidad de Deusto Biblioteca

quoties prioris accessionis tempus adeò breue fuerit, vt priusquam secunda incipiat iam prima desierit, medium interuallum principij secundæ, finisque prioris, totum sine febre existit, vt respondet Galenus? Vbi verò secunda prius incipit quàm prior omninò soluatur, nihil harum medium relinquitur. Nonnunquam verò intermissio quidem est, sed impura, vt in quotidianis febribus quæ pituitosi humoris copiam habent. Hic enim haud facilè per accessiones discutitur: ac proinde fiunt diuturniores, & tempus intermissionis breuissimum relinquunt. Propterea in pulsu & calore semper indicia vsti humoris seruantur. Contrà exquisitæ tertianæ ad perfectam ἀπυρεξίαν desinere videntur, quoniam humorem habent accensu facilem, & promptè semper ob tenuitatem quicquid eius seruefactum est (vt etiam loquitur Galenus) per accessionem, expurgatur. Ea verò quę ex pituita consistit, nec integrè purgatur per inclinationes accessionum, & plurimum eius quod denuò succendatur relinquit. Hæc cùm ita sint, miror eundem Galenum iis qui accuratè & curiosè loqui volunt, concedere vt dicant, quotidianam vbi exquisita fuerit, puram habere intermissionem. Nam quum eam fieri ex mera pituita existimet, tali verò humore nullus sit frigidior viscidiorq;, quò is syncerior fuerit, eò certe longitudo accessionum diuturnior, & remissio impurior existet. Siquidem ex quotidianis ex longiorem accessionem, & difficiliorem solutionem

Lib. 2 diff. feb. cap. 17.

Lib. 2. diff. feb. cap. 4.

tionem habent, quæ pituitæ multò plus quàm alterius humoris obtinent.

Qua ratione fiunt ex inflammationibus oborræ febres, quas vocamus συμπτωματικὰς? An inflammatio statim febrem accendit (vt autor est Galenus) quoties ob magnitudinem, aut vicinitatem, calor ex ea ad cor peruenerit. An etiam oportet in Corde materiam esse quæ aduratur: vel tantùm erit ephemera vnius aut plurium dierum, ex spiritibus aut sanguine excalefactis. Ob id verò συμπτωματικὰς nuncupãtur, quod phlegmonem partis alicuius internæ commitentur, vt symptomata ex morbis oriri solent. Nihilominus tamen ipsę morbi sunt, eaumque causa censetur inflammatio. Sic per æstum, aut per vehemens exercitium ex partibus primò calefactis distributionem ad ipsum vitale principium (Cor nimirum) fieri docet Galenus. Non enim prius est febris, quàm Cordi communicatus calor in eo incendium excitet. Quum igitur in corporis habitu deüri, vel (vt ipsi loquuntur) putrescere materiam, atque inde ad Cor ferri vaporem (febris causam immediatam) asserunt, febres intermittentes in συμπτωματικῶν classem reponunt. In carnibus enim fieri quãdam inflammationem, ex qua demum Cor afficiatur, eorum sententia docet. Quid verò aliud ex viscerum phlegmone accidere monstrant?

XIX. Συμπτωματικὴν proprie dicitur, quod σύμπτωμα infert, vt morbus. Συμπτωματικὴν vero, quod naturam symptomatis habet. *Lib. 2. diff. feb. cap. 5.* *Lib. 1. diff. feb. cap. 7.*

Cur intermittentes aliquas febres vocitamus, si verum est quod sup. ex Galeno monstraui,

XX. *Probl. 14.*

Universidad de Deusto
Biblioteca

ui, paroxysmo cessante etiamnum manere Cordis intemperiem, quæ febris est essentia? Quippe assiduum morbum esse constat, non interpolatum, qui efficientem causam, vt calorem immodicum, perseuerantem habet. An ea quidem ratione febris omnis assidua dici meretur: quandiu scilicet natiuus Cordis calor intemperie laborat. Verùm quia non euidenter lædit actiones, status quidam neuter, vel intemperies quæ sanitatis limites non excedat, potius esse videtur. An febris etiam vocari debet ea dispositio quæ inter accessiones relinquitur: quod satis innuimus, dum febrem tertianam exquisitè decimoquarto die cessare dicimus. Siquidem detractis intermissionum horis, vix tres dies cũ dimidio supputandi forent, quum septem circuitibus (quod longissimum est, autore Hippocrate) terminari soleat: singulæ verò accessiones horas duodecim non excedant, vt docet Galenus. Sic quartana annum perseuerans, trium mensium spatio duntaxat hominem haberet, singulis paroxysmis octodecim horarum duratione æstimatis. Manet igitur Cordis intemperies: quamuis ἀπυρεξία esse dicatur, Quod Galenus apertè significat, dum febrium implexus declarans, scribit: Porrò coniectare nos ex toto

Aph. 59. lib. 4.
Lib. 2. de crisi. cap. 3.
Lib. 2. diff. feb. cap. 7.

« accessionis motu, circa vndecimam horam ἀπὸ
« ῥεύματος fore ægrotum, ea scilicet ἀπυρεξίᾳ quam
« in περιόδοις nominare solemus. nempe quia nullus febrilis caloris sensus est, quum paulò ante grauissimus extitisset. Atque eiusmodi accessiones,

nes, continuarum propriè dictarum exacerbationibus proportione quadam respondent. An potius dicendũ, eiusmodi affectum non mereri febris appellationem. Quippe non à quacũque alteratione dicitur corpus mutari κατὰ τὸ πάσχειν. nam leuissima θερμασία non ita immutat corpus, vt ex ea corpus affectu calido affectum dici queat. Sunt enim diuersa τὸ ἀλλοιοῦσθαι, καὶ τὸ πάσχειν. nam hoc ex illo existit, quanquã non semper.

PAR

PARTES SPERMATICAS Omnes semine nutriri: & chylum ventriculi proprium esse alimentum: ad egregium virum D. IOANNEM BROHÆVM Turnonien sem, Medicinæ studiosum.

PARADOXVM V.

QVOD de ventriculi nutritione ambigas, non miror, BROHÆE amantissime, quum in Medicorum libris hæc legeris: Partes nostri corporis omnes sanguine nutriri: & rursus, nullam aliis, sed sibi tantùm concoquere, coctionis verò finem in assimilatione constitui. Quæ si vera sunt, exquisito chylo ventriculus non modò recreabitur, verumetiam propriè ac solidè nutrietur. Medicorum tamen schola, ventriculum cibo delectari, & à se confecto succo perfruiduntaxat, aut si eo nutriatur, vnicam interiorem tunicam (quæ membranosior est) id nutrimenti leuiusculè sentire, pronunciat: externum verò, sanguinem tantum admittere, contendit. Quasi absurdum non esset, vnius membri, vix heterogenei, alimoniam duplicem eos constituere, qui non verentur brachia & crura (decuplicem

plicem partium similarium differentiam complectentia membra (solo sanguine nutriri, asserere? Id etiam te male habet, quod solidas animalis partes ex semine sustentari toto vitæ curriculo, me affirmantem audieris: quandoquidē sperma in earum formatione totum in vtero absumptum fuisse Medici prædicant. Vnde etiā formatricem facultatem minime superesse, aut certe feriari, vbi fœtus est absolutus, confirmāt. Cui opinioni necdum subscripsi, nec suffragandum censeo. Spermaticas verò omnes particulas ex eadem qua constant materiæ specie nutritas conseruari, Galenus ante nos docuit. Atque si huius commentarios curiosè diligenterque perlegeris, animum his omnibus difficultatibus absolues. Quippè hinc inde collectis sententiis (quod ipse aliquando feci) annotabis, carneam molem sanguine statim nutriri: candidas verò partes semine, vti ventriculum χύλῳ vocato, & alias omnes ea materia quam sibi elaborarint. Rationes quibus id demōstratur, ex rerum natura, & communi quadam conditione petitæ, indubitatæ censeri debent, adeò sunt euidētes & certæ, vt mox persuadeant. Earum te maximè cupidum esse intelligo, & in soluendis duabus illis quæstionibus operam nostram requirere. Accipe igitur quibus argumētis, vel etiam autoritatibus defendi possit, ventriculum absolutè χύλῳ nutriri: & quomodo sit intelligēdum, ex semine ali partes solidiores.

Lib. 1. de semine.

OSSA, cartilagines, arterias, venas, neruos, mem-

Universidad de Deusto
Biblioteca

membranas, & his similia, ex sanguine fieri, quamuis sint exanguia, scripsit Galenus: id sibi
Lib.2.sue. nat.cap.3. persuadens, semini (quod efficiens principium vocat) sanguinem menstruum materiam suppeditare, quo illud enutritum & auctum, singulas partes formet. Inquit enim semen eo vsque sanguinem trahere, quoad molem sibi & magnitudinem iustam ex nutritione adiecerit. Proinde cùm in spermatis naturam permutetur (vt ille existimat) sperma verò totum corpus componat, ex sanguine omnia fieri audacius pro-
Com.26. nunciauit. Et in librum Hippocr. de nat.hum. Quia exigua seminis moles est quæ in vulua coniicitur, nutrimentum verò ipsi & incrementum ex sanguine obuenit, ideo quis particulas propemodum ex sanguine conformari dixerit. Idem aliter, sed minus ingenioſè, eam propositionem eodem in loco interpretatur: scilicet ob id partes omnes ex sanguine constitutas dici posse, quod ex sanguine testium vi semen gignatur, ex semine verò partes nostri corporis in vtero formentur. At longiùs petita occasio videtur, quàm vt docenti conueniat. Altera est subtilior, quam prius adduximus. Id quomodocúque fiat, omnibus certe confessum est, ex semine partes eas componi, quæ seminis modo candidæ & exangues apparent: Vnde & spermatis carum apud omnes recepta nuncupatio. Vocá-
Lib.11. meth.m ed. cap.1. tur etiam solidæ passim à Galeno, vt dum inquit: Natura constat ex tribus, scilicet ex substã-
« tia spiritus, & earum quæ verè solidæ dicuntur (quas

(quas alibi ex semine genitali cõditas esse mõ- »
strauimus) & tertia ab iis carnosæ. Easdem sæ- »
pe nuncupat, corporis habitũ, quod lib. de diff. *Lib.1.cap.*
feb. his verbis explicat: Ipsum corporis habi- *7.*
tum vocare consueuerunt, solidas partes, humi »
dis ex aduerso distinguentes. Porrò solidarum »
partium nutritionem ex semine, carnosarum »
verò ex sanguine fieri, idem autor hac ratione *Lib.1.de se-*
demonstrauit: vnumquodque ea substãtia qua *mine,cap.*
primùm est genitũ, ali etiam perpetuò cõsue *16.*
uit, quippè cum nutritio nihil aliud sit, quàm »
continuò effluentis substantiæ redintegratio. Et »
alibi: Nutritio partes eorum quæ aluntur, simi- *Cap.13.*
les iis quæ digesta sunt gignit. Neque ex alia ma »
teria totum vas genitum est, ex alia nunc partes »
eius gignuntur. Rursus: Omne id quod alterat, *Cap. 12.*
in suam naturam illud quod alteratur transmu »
tat: proinde crassum & lentum semen, ad alen- »
dum arterię & venæ corpus est accõmodatum, »
Et paulò ante: Ne opineris singula ex principa- *Cap. 11.*
libus membris è semine à principio constitisse, »
aliunde verò suum vltimum atque accõmodatis- »
simum habere alimentum. Quæ Galeni verba, »
quod proposuimus omnium euidentissimè demonstrant. Siquidem nutritio est quædam particularis generatio, quum in effluxæ substantiæ locum noua eiusdem generis restituatur. Nam alioqui partes singulæ nostri corporis sensim aut minuerentur, aut speciem seu formam propriam amitterent. Quod ex osse, cartilagine, ligamento, membrana, & aliis spermaticis parti-

bus cõtinuo fluore resoluitur, id ex semine primum concreuerat. Nunc nisi prorsus talis materia reponatur, nutritio haudquaquam fiet: quum eius finis dicatur perfecta assimilatio, nutrimento propriam nutriendæ partis formam cõsequuto. Prius ergo seminis naturam induit, ei non dissimilem ex qua prædicta fluxerunt: cumque id natiui caloris opera vis formatrix (quæ à fœtus perfectione vnius Assimilatricis appellatione significari videtur) exiccarit indurarit que, ossis, vel cartilaginis, vel alterius portiuncula euadit. Hinc illud Galeni: Proprium
« partium similarium alimentum non est, quod
« pervasa attrahitur. Nam potius futurũ alimentum, vt Hippocrates loquitur, dici debet: quoniam nondum alit, id est reficit, reparat, instaurat, & reponit ei similem substantiam quæ ex partibus vi caloris dissipata exhalauit. Est igitur verissimum, quod præclara illa sententia pronunciauit Galenus, Omnibus solidis animalis membris, è semine, vt carneis ex sanguine, tam generationem quàm nutritionem esse.

Lib de alimento.

Lib. 1. de semine cap. 16.

Iam ad alterum caput deuoluenda est oratio, monstrandumque (vel autore Galeno) ventriculum verè & solidè χύλῳ nutriri, non sanguine: quum si illius copia cõtinuè suppeteret, hoc facile nullóque incõmodo posset abstinere. Pro argumentis, præter Galeni autoritatem permultas rationes afferemus, quæ luce meridiana clariùs explicabunt, ventriculo suum chylum

lum sufficere, neque eum sanguine vesci præter quàm inedia coactum. Primò quidem id sciendum, facultates quatuor naturales cuique animalium parti esse ingenitas: familiarium ac conuenientium attractricem (videlicet) attractorumque retentricem, cõcoctricem, atque inutilium expultricem. Has ventriculus omnium manifestissimas habere videtur. Attrahit siquidem euidenter cibos ab ore per gulam (διοφάγον Græci dicunt) veluti per manum, vt loquitur Galenus. Attrahit verò, quoniam eos sibi conuenientes esse deprehendit: idque naturali quodam instinctu, qui partibus singulis cum stirpibus est communis. Natura enim & animalibus, & plantis insitas quasdam vires deficientis ac desiderati semper appetentes, ab initio statim dedit. Est autem in iis quæ Naturam solum insequuntur, non voluntatem, desideratum idem quod deficiẽs. Propterea nihil appetunt, quàm quod substantiæ familiaritate eorum corpora in perpetuo fluore constituta, conseruare potest, ne citiùs pereãt. Atque is appetitus sola eius quod familiare & iucundum est penuria, excitari solet. Sed cùm in aliis partibus nullo sensu, nullaque cognitione impellente incitetur naturalis illa quam describimus, appetentia, in ore vẽtriculi superiore (quod & καρδίαν Græci dixêre) sensilẽ constituit Natura, vt animal indigentiam agnosceret, & veluti quodam stimulo excitatum ad cibos accederet. Plátis verò, quia nullo non temporis momento ex terra succos

Attractio ventriculi omnium manifestissima. Lib. 3. fac. nat. cap. 8. Gal. lib. 1. sanit. tu. cap. 3.

sibi familieres attrahunt, & immotæ radicibus innituntur, non fuit necesse appetitum sensu præditum concedere. Hęc Galenus ipse docuit: soli ventriculo (inquam) sensum indigentiæ & inanitionis collatum fuisse. Nam aliis omnibus animalis particulis, quamquam easdem facultates habeant, non indidit Natura sensum eorum quæ desunt: sed in plantarum modum nutriuntur hæ, assiduè ex venis alimenta trahẽtes. Soli vẽtriculo, & maximè his partibus eius quæ ad orificium pertinent, sensum indigentiæ & inanitionis contulit, ad cibum sumendum animal ipsum excitantem. Porrò ventriculi sensus ille, molestia potius quędam est, & dolor ex suctione compressionéve, qua irritatum animal cibum quærit vt famem sedet. Nõ enim est vera deficientis aut desiderati cognitio, quæ planè altioris est illius facultatis, quam sensum cõmunem appellant. Nam vt stirpibus vim illam insidentem salutarium & idoneorum attractricem, appetitu solo naturali impelli citra vllam vtilium cognitionem, cẽsuit Aristoteles, neque vllam stirpibus vim inesse posse quæ idoneum ab alieno internoscat: sic animalium partes ingenitam habent appetentiam eius attrahendi quod sibi affine est & amicum: præter quam, vẽtriculi os peculiari quodam sensu penuriam conuenientis rei significat. At eo non internoscit quod iucundum est & familiare, sed naturali tãtùm facultate insensibili, more plantarum. Illud animalis facultatis opus est, ex qua sensus motúsque procedunt: hoc naturalẽ vim sequitur, & naturali tantùm desiderio accidit, non aliter quàm grauibus inferiorẽ locum petere, & leuibus superiorem. Sed nunquid præter communẽ singulis partibus appetentiam (quæ nullo sensu aut cognitione, sed naturali tantùm incitamento propriè fit) etiam sensu discernentem ea quæ iucundiora sunt, vẽtriculus habet? Non opinor. Sensus enim illi est, nõ ad vtilium cognitionem, sed tantum vt excitetur animal ad alimenta. Ipse verò naturali solum appetitu mouet attrahendi facultatem, quæ familiaria, si offerantur & propè sint, arripit. Sic verò à Natura præscriptum est, vt quæ ventriculo peculiariter grata sunt, eadem toti deinceps corpori alendo conueniant. Proinde non idcirco sensu præditam appetentiam habuit ventriculus, vt qualia corpori profutura sint alimenta præuideat, sed tantum vt ad quærenda stimuletur. Ipse verò sibi duntaxat appetit, naturalique facultate plantarum more idoneum alimentum ascisçit: id autem & iucundum & vtile futurum est reliquis partibus, mira Naturæ sagacitate ac prouidentia. Ea enim sorte ventriculum fecit, vt quod appetitu suo naturali incitatus attraxisset, & sibi & vniuerso corpori idoneum foret. Attraliit igitur ventriculus cibos, non alio nomine, quàm quod sibi familiares & iucundi sint. Iucunditas verò percipitur iam inde ab ore, quia tunica illis est communis: cuius ratione

Mira Naturæ prouidentia.

vide cap. 7. lib. 3. de fac. nat.

Universidad de Deusto
Biblioteca

ne fit, vt acidi, salsi, amari, vel insipidi humores qui ventriculo continentur, suo sapore os inficiant. Ob id etiam vomituris, labrum inferius tremulum magna ex parte videtur. Est enim cõmunis ori oesophago, & ventriculo, interior illa tunica, vt docet anatome, per quam maximè fit attractio, quum rectis villis sit prædita. Eadẽ prægustat, & animali sensu distinguit cuiusque speciei conuenientia alimenta, ne ea ventriculo offerantur, quæ minimè familiaria sunt. Cæterùm attractos cibos ventriculus retinet satis multo tempore, vti percipimus, quoniam longiore mora opus est ad concoctionem illã priorem, quæ χύλωσις propriè dicitur. Ea verò est præparatio quædam alimenti, quod sensus iudicio valde est dissimile, donec ad ventriculi naturam propiùs accesserit. Assumuntur enim cibi varij, quorum pars crassa & dura, pars tenuis mollisque est: atque alij candidi, alij rubri, alij alterius coloris visuntur: quos omnes in cremoris albi speciem conuertere habet ventriculus, antequam ex iis conueniens alimentum extrahat. Interim tamen dum illi crassiore modo cõminuũtur ac elaborantur, eorum portione tenui ac delicatiore humectatus vẽtriculus quodammodo perfruitur, & iucundè refocillatur. Sic coquus ex eduliorum nidore & sapore, quę olfacit sæpiúsque prægustat inter præparãdum ita reficitur, vt deinceps pauco alimento contentus esse possit: Attamen eget solidiore cibo, quò

Retentio attractorũ à vẽtriculo.

quò partes solidiores sustineantur. Eadem ratione (ni fallor) & ventriculus dum concoquit, ciborum vapore tenuique substantia reficitur: proindéque absolutam eorum elaborationem commodiùs expectat, & animalis illa fames sedatur. Verùm solidiore nutrimento post modum vtitur, quando sùis tunicis apponit & assimilat quod in χύλῳ iam absoluto iucundius ac sibi conuenientius secernit. Reliquum omne superfluum & inutile est ventriculo, ab eóque in intestina deiicitur. Hinc colligas, duplicis cõcoctionis autorem esse ventriculum, quarum vna in amplâ illa sua cauitate, altera in tunicis, quæ proprium ventriculi corpus constituunt, perficitur. Illa est veluti quædam ciborum præparatio, quæ ventriculi substantiæ eos conuenientiores reddit, per accidens verò vniuersò corpori vtiles præstat. Hæc autem solum ventriculi corpus reficit, ex elaborato priùs χύλῳ. Prior attrahendi facultate gulæ & ventriculo communi vtens, cibos allicit, quos totus ventriculus & retinet & concoquit, & quod tandem superfluum deprehenditur, abiicit. Posterior verò particulatim fit à facultatibus cuique ventriculi particulæ insidentibus. Singulæ etenim ex chylo probè elaborato portiunculam sibi attrahunt, apponuntque, & agglutinant, vt tandem concoctionis illius particularis ope simillima euadat. Nam vt prorsùs non est similaris ventriculus, sed hic carnosior, illic fibrosior

Universidad de Deusto
Biblioteca

neruosiórque, alimẽtum singulis eius portiunculis nõ nihil differens ab alis conuenire videtur. Particularis hæc concoctio nobis dicitur, quæ ad nutritionem solidioris substantiæ ventriculi propriè pertinet: χύλωσιν verò nuncupamus, præparationem quandam: quæ si ad aliam comparetur, vniuersæ ex æquo ventriculi substantiæ conueniens, & crassiori modo facta, eó coctio erit. Ex his patère arbitror, quàm verè dixerit Galenus, conuersionem ciborum in eiusmodi morem (χύλωσιν vno verbo appellant) non esse terminum more illorum in ventriculo quod tamen recipiendum esset, si non sibi, sed alis conficeret chylum. Quinimo ne concoctionem quidẽ id vocat Galenus, quum sit tantùm veluti præparatio, ipsa optimi chyli generatio. Fit enim eiusmodi ad ventriculi perfectam nutritionem futuram: quod ex Galeni citata sententia licet colligere, quũ innuat χυλώσεις absolutas χύλου statim non reiici in intestina. Siquidem terminus morę ciborum in ventriculo, non est perfecta chyli generatio, sed (vt idem subiũgit) concoctio, quæ à conuersione in cremorẽ restat diuersa, sicut nutritio à sanguificatione. Nam vt sanguis est cõmunis materia cęteris partibus nostri corporis nutriendis conueniens: sic chylus singularum ventriculi partium nutriendarum vtilis materia. Nutritionem verò ipsius ventriculi, hic vocat concoctionem Galenus. quasi prior illa qua fit chylus, nihil aliud esset quàm præparatio quædam, vt præmonuimus.

Galeno

Lib. 3. fac. nat. cap. 4.

monuimus. Ob id citatis verbis subdit: Tanquam hæ functiones monstratæ sunt qualitatũ mutatione fieri, itidem concoctio ciborum in ventriculo, mutatio eorum est in propriam eius quod nutritur qualitatem. Vbi & hoc notandum est, quod nostram confirmat opinionem, Galenum manifestè asserere χύλῳ nutriri ventriculum, quum non scribat absolutè, coctionẽ ciborum, esse mutationem eorum in propriam ventriculi qualitatem, sed insuper addidit, eius corporis quod nutritur. Nam quæ pars commodius nutriri potest χύλῳ, quàm ipse ventriculus? Intestina quidem ex eodem nutrimentum capessunt (autore Galeno) vt quæ ventriculi naturam & substantiam proximè referant: at ventriculo qui primam fecit elaborationem, æquum est vt prima fruitio concedatur, si quæ pars χύλῳ nutriatur, vt Galeni verba significãt. Sed quid in his diutius moror, quum iam à Galeno satis superque persuasum sit, nihil esse in rerum natura quod attrahat propter ipsum trahi, seu trahendi functionem, imò vt eo cuius per tractum sit compos fruatur? Galeni verba sunt: οὐδὲν γὰρ τῶν ὄντων ἕλκει τι δι' αὐτὸ τὸ ἕλκειν, ἀλλ' ἵν' ἀπολάυσι τοῦ διὰ τῆς ὀλκῆς εὐτυχηθέντος. Atqui ventriculum cibos ad se trahere, & amplecti, multóque tempore continere, nemini dubium esse potest. Quamobrem eodem autore sic tandem inferre licebit: Si retinet & fruitur, etiam ad eum finem ad quem sic retinet & fruitur, vtitur. Porrò is finis est, vt eius quod in

Idem cap. 7. lib. 3.

Lib. 3. de fac. nat. cap. 13.

Lib. 3. de fac. nat. ca. 6.

Cap. 7.

« qualitate conueniens cõsentiénsque est, partem
Cap. 13. aliquam capiat. Et deinceps: venter non idcirco
« circa cibos se contrahit, quò reliquis partibus
« eos reddat accommodos: (sic enim non tam na
« turale esset organum, quàm animal quod ratio
« ne menteque præditum quod melius est eligere
« ret) verùm ipse circa cibos se constringit, quod
« totum eius corpus & attrahendæ propriæ sibi
« qualitatis, & eadem fruendi, sicut ante monstra
« tum est, vim obtineat. Accidit verò interim vt
« cibos alteret. Iam verò vbi impletus & satiatus
« eorum humore est, pro onere eos de cætero ha
« bet. Ergo quod redundans est statim abiicit, ac
« deorsum trudit: ipse scilicet ad aliud opus (nem
« pe vt agglutinet) conuersus. Ex his quæ fuerit
Galeni sententia, satis declaratur: ventriculum,
inquam, sibi duntaxat, de aliis partibus nihil so
licitum, cibaria concoquere. & ex χύλῳ perfe
ctè nutriri. Non enim delectari solum (vt quidã
interpretãtur) & eius commercio iucundè frui
aliquandiu, dixit, sed chylum etiam pati agglu
Cap. 11. tinationem conceptis, verbis exprimit. Prius ve
Lib. 1. rò docuerat, προσφυσιν, id est agglutinationem
necessariò præcedere nutritionem, & sequi πρό
σθεσιν, hoc est appositionem. Non igitur impro
prie dictâ nutritione, & certa quadã (vt loquun
tur) refocillatione, ventriculum nutriri Gale
nus voluit: sed eodẽ modo quo reliquas omnes
nostri corporis partes. Cur enim diceret, vbi im
pletus & satiatus eorum humore est, quum sa
tietas non prius accidat, quàm exhaustæ sub
stantiæ

stantiæ instauratio facta sit, quam propriè nutri
tionem vocamus? Id magis exprimit alio in lo
co, inquiens: Constringitur venter ad cibos, τὸν »
ἐκλιθορεκτικὸν χυμὸν ex illis eliciens, quo ad satura- »
tus ac perfectè repletus fuerit: quicquid super- »
est excrementi, in ieiunum reiicit. Attrahit inde »
etiam iecur cibum in ventre prius concoctum, »
qui non ea quidem causa à ventre immutatur, »
vt iecori suppeditetur. Et paulò post: Sicut ven- »
tris reliquiæ iocinori accommodæ sunt, eodem »
modo quod à iecoris alimento superuacaneum »
est, reliquis omnibus vtile efficitur: neque tamẽ »
illorum causa iecur nutrimentum immutaue- »
rat. Quibus sanè verbis apertè docet Galenus, »
cibos in ventriculo contentos, illius conueniẽs
atque proprium esse alimentum, cùm vocet
ἐκλιθορτὸν χυμὸν, id est familiarem succum. Præ-
terea, perfectam esse nutritionem, quum ea sa-
tietur ac perfectè repleatur. Denique, quicquid
supereſt, id ventriculi ratione excrementum es-
se, reliquis partibus futurum conueniens ali-
mentum. Sic enim Natura mirè sagax & pru-
dens, corporibus animalium prouidit, vt quod
parti vni iam displicet, alteri iucundissimum ha
beatur. Atque (vt præmonuimus) ventriculum
ea sorte condidit, vt quod vniuerso corpori vti-
le foret, eo delectaretur: quódque ventriculo sa-
tiato iam esset oneri, reliquis partibus maximè
conueniret. Vnde Galenus: ventriculus sua ip- Lib. 4. fam.
sius causa nutrimentum suscipit, inquit, vt eo tũ tu. circa fi-
fruatur, tum quod sibi desit suppleat: eóque am nem. »
plecti

Universidad de Deusto
Biblioteca

« plectitur id vndique ac retinet totum, quoad se
« abundè satiauerit. Idem vbi ali præterea non de-
« siderat, ἀνλῶρεῖ recludit, ac quod ciborum su-
« perfluit exprimit, pessúmque ceu alienum onus
« trudit. Id mesaraïcæ alimentum ad se rapiunt,
« quod ἐκ τῆς χειλίας quam in ventriculo habuit,
« & alteratum, & animali magis idoneum est ef-
« fectum. Tot Galeni sententijs in medium pro-
« latis euidentissimum fit, chylum ventriculi con-
« ueniens esse alimentum: nec eo solum delecta-
« ri, sed etiam perfectè nutriri. Cæterùm, nonnul-
« li qui se putant cæteris argutiores, ventriculi
« internam quidem partem, quæ neruosior exi-
« guiorque membrana est, ex chylo portiuncu-
« lam delicatiorem haurire, sibiq; ad delicatulam
« nutritionem, & veluti cupedias apponere, præ-
« ter quam solidius alimentum ex venis accipiat
« oportet: externam verò tunicam, multò crassio-
« rem ac carnosam, sanguine tantùm ali, nullam
« chyli partem gustare. Quæ distinctio prorsus
« inepta mihi semper visa est, & à Galeni placitis
« aliena, nisi quando sibi contradixerit. Nam
« alias totum ventriculi corpus cibo nutriri, alias
« ventriculi tunicas in plurali numero exprimit,
« vt non minus externam quàm internam signi-
« ficet, vt cùm ait: Quod in cibis optimum est, id
« halitus specie & paulatim sibi attrahit, atque is
« tunicis suis reponit, ijsdemque adiungit. Vbi a-
« bunde saturatus est, quicquid reliquum nutri-
« menti est, velut oneroſum quid reiicit. Et deni-
« ceps: venter postquàm abunde cibis est satiatus,

Lib. 3. de fac. nat. ca. 7.

Cap. 12.

« & quod vtilissimum sibi in his est, in tunicas suas
« fugendo reposuit, tum quod reliquum est tan-
« quam alienum onus reiicit. Totum verò cor-
« pus ventriculi τῷ χύλῳ perfrui, expressis verbis
docet, inquiens: Ipse idcirco circa cibos se con-
« stringit, quod totum eius corpus & attrahendæ
« propriæ sibi qualitatis, & eadem fruendi, vim
« obtineat. Cur igitur (inquies) venas sortitus est
« ventriculus, admodum euidentes & multas, si
« χύλῳ integrè nutritur? An non vt ventriculo ali-
« moniam suggerant, ad hunc ex vena porta ve-
« niunt, sed potius vt chyli portionem aliquam
« iam inde extrahant? Id quippè videtur, si Gale-
« ni dogma recipias, rationemque minimè detre-
« ctes. Ille siquidem palam asserit, cum anatomes
« peritorum turba, ventriculi venas succulentio-
« ris ab illo confecti cremoris partem aliquam ad
« iecur, non aliter ac mesaraïcas, deducere. Quod
« verò non lacteo colore, qui est chyli optimi
« proprius, sed rubeo & sanguineo suffusæ spectẽ
« tur venæ, vel statim ab ipsa insertione, id dicto-
« rum fidem non minuit: confirmat autem magis
« paradoxũ illud quo asserimus, venis propriè cõ-
« uenire ἀιμάτωσιν. Nam simul ac venas subiit chy
« lus ex ventriculo attractus, non aliter quàm quẽ
« exugunt mesaraïcæ, sanguinis formam ementiri
« incipit. Fuit autem valde necessarium, vt ex vena
« porta (per quam alimenta hepati offeruntur) ad
« ventriculum subirent venæ, vt cum illud exhau
« stum est, cibóque statim refici debet, ab hoc via
« breuissima trahere posset alimentum. Porrò
« eædem

Cap. 13.

Ad quid venas habet ventriculus.

Dec. 1. parad. 4.

Universidad de Deusto
Biblioteca

eædem ventriculo auxiliantur,& alimentum(si placet)reponunt quod acceperant:dum scilicet is laborat inedia,& cibi non offeruntur. Nam conuenientissimum ventriculo nutrimentum est ex oblatis eduliis, quæ maximè & primum expetit.Quod si non statim concedantur famelico, vndecunque potest materiam qua sese expleat mutuatur rapitque. Est autem ventriculo omnium iucundissimus, cùm deest recens,chylus quem ipse dudum concoxerat, quique adhuc in suis venis inclusus, non longè discessit. Hinc igitur per inedias tantùm, & vrgente fame,allicit alimentum. Quod si nõ sufficiat,rem aliam quamuis attrahit,vel excrementitiam, vt infestissimam valdeque molestam famem sedet.

Lib. de atrabile.

Hæc Galeni sententiæ conuenire, sequentia docent:In sanis(inquit)sæpenumero per longiora ieiunia sanguis optimus ad ventriculum nutriendi eius gratia fertur.Et deinceps. Ventriculus per venas in longioribus inediis proprium attrahit humorem.In quibus verbis obseruandum est, proprium ventriculo humorem dici hoc loco,qui non multo ante ex ventriculo haustus fuit. Eundem verò sanguinem optimũ appellat, quod sit ventriculo conuenientissimus, nondum sanguinis elaboratissimi naturam obtinens. Talis siquidem vena caua potissimum, aliisque deinceps continetur,quum assiduè maiorem perfectionem accipiat.Ab illa verò nulla, quantumuis exilis, vena ventriculum petit. Ergo non nisi per inediam, & conuenientioris alimenti

menti (qualis est chylus) penuriam, ventriculus à venis alimentum mutuatur, de Galeni sententia:qui tanquam id rarum sit,aut vix probabile, inquit: Illud minus mirandum est, si per quas venas à ventre in iecur facta est digestio, rursus ex iocinere in ipsum trahi aliquod alimentum in longiore inedia potest.Et paulò post:Si venter manere sine cibo cogatur, hoc tempore à venis quæ in lactibus ac iocinore sunt, nutrimentum trahet.Et rursus: venter quo tempore ipse nutrimenti est indigus,animal verò non comedit,hoc ab iis quæ in iocinore sunt venis,rapit. Quæ verba aperte docent,assumptis cibo potuque satiari ac refici ventriculum, neque alio egere alimento, quandiu hoc suppetit. Vbi verò descenderit, tunicisque apposita nutriendo ventriculo conueniens portio, absumpta fuerit,mox esurire,ac tandẽ latrare incipit ventriculus.Tunc nisi ingeratur cibus,aliunde trahit alimenta, quæ minus conueniunt: nempe quicquid illi fit obuiam. Quod Galenus sic explicat:venter,si melius paratiusque nutrimentũ habet,externum (vtpote iecoris sanguinem)nõ postulat.Sin aliquando postulat, nec eius copia est,excrementis impletur.Ea sunt,sanies quædã bilioſæ pituitoſæque, atque seroſæ, quas solas trahenti illi, tum scilicet cùm nutrimento indiget,iecur remittit. Quamobrem venarum quæ ventriculum circunstant, munus proprium & primum est, ab hoc chylum arripere, dum sinit:secundum verò, & quod minus sæpe exercetur,

Lib.3.de fac. nat.cap. 13.

Lib.3. fac. nat.cap.13.

cetur, ventriculo alimentum suppeditare. Qui his rationibus & autoritatibus non acquiescit, quæso mihi respondeant: Cur, si sanguine satis ne nutritur ventriculus, quandiu copiosus est in vasis sanguis cibum appetimus, quum venter non aliis prouideat, sed sibi tantum quærat alimoniam? Atqui plenum est sanguine iecur, quo tempore rursus est nobis comedendum, vt ventriculo satisfaciamus. Nam dum hic appetere sincipit, iecur nuper cócesso chylo in sanguinẽ mutato turget. Quid quod natura animalib⁹ male prouidisset, si sanguis vẽtriculo nutriendo familiatissimus esset: quando quidẽ eo contentus nũ aliud appetiisset, neque cibos de nouo assumere fame irritatum animal coëgisset. Nam si conuenientior non est chylus, cur illi studet ventriculus, quum deficientis tantùm atque necessarij desiderium quoddam Natura partibus singulis, perinde ac plantis, indiderit? Cùm tot absurda illos circumueniant, qui ventriculi accómodum nutrimentum ex χύλῳ esse negant, etsi Galenus palam id asseueret, nescio quibus rationibus suam ipsi tutari queant opinionem. Quas. n. Fernelius adfert (pudet dicere) mihi moror: pastionem eam quam ex chylo ventriculus capessit, veram nutritionem non esse appellandam, sed ex qualitatis cognatione & conuenientia delectationem quãdam & satietatem nutritionis æmulam. Eius verò assertionis causam proponit, quod dum fœtus vtero continetur, totus ventriculus puro ac syncero sanguine alebatur, nullo nimirum tum vspiam existente chylo. Cui hoc respõsum volo: quandiu fœtus vtero includitur, vẽtriculũ peculiarẽ suã actionẽ minime exercere, vti neq; ipsum pulmonẽ. Cũque animalis fames desit, quia plantarũ modo viuenti fœtui maternum corpus assiduè suggerit alimoniam, & cibos appetere nescit ventriculus, & iis facillimè caret. Ast vbi iam in lucem emisso, animalis illa appetentia cibos attrahere suadet, iisdẽ nutriri aggreditur. Cur enim traheret, nisi conuenientis qualitate incitatus, ipso Naturæ nutu eos sibi idoneos perciperet? Quod verò subiungit Fernelius, grandiorẽ ventriculum cumulatiùs atque perfectiùs ali postulare: eum ex sanguine nutriri & incrementum suũ capessere minus infert, quàm ex assumpto cibo. Eadem quippe ratione dicã, lacte potius quàm solidioribus alimẽtis nutriendos esse homines, quia primis saltem annis lacte duntaxat aluntur. Grãdiores enim cumulatius atque perfectius nutriri postulãt. Est autem lac sanguine syncerius, ac magis elaboratũ. Ast quemadmodum natu maiores solidioris alimenti vsu robustiores euadunt, sic sanè vẽtriculus ipse delectis cibi melioribus quibúsq; portionibus cõmodè nutritur, ac in dies potentior reddi solet. Subdit Fernelius: Ossa, quæ longiore interuallo quàm ventriculus à sanguinis natura recedunt, sanguine ali fatemur: quanto igitur magis ventriculi membranæ sanguinẽ pro suæ naturæ custodia requirent? Huic argumẽto à nobis satisfactum esse puto, quũ prædiximus ventriculum fœtus

Vide cap. 13. lib. 3. fac. nat.

Cap. 1 lib. 6. physiol.

E nul

Universidad de Deusto
Biblioteca

nulla animali fame agitatũ, more aliarum partium viuere. Quæ enim sola naturali appetentia tenentur, haud incõmodè satiantur omnibus cõmuni succo. Cui verò parti præstantior sensus atque fames inest, alterius generis alimẽtum cõueniebat: quod tamen ipsa nõ traheret, nisi præter aliarum cõmunem sortẽ, peculiarẽ cibo esset nutrienda. Postremò, qui fiat vt cibus ventriculo conceptus famẽ & appetentiã sedet atque saturet, si is neque vẽtriculum pascit, neque nutrit, docere nititur. Verũ quid de animalis appetentiæ ex primo ciborũ occursu satietate & expletione sentire oporteat, à nobis paulò ante fuit expositum. Superest vt iis demum satisfaciam, quos mecum sic agentes audire videor: vẽtriculum verè & solidè totum χύλῳ nutriri, quando id certissimè demonstrasti, persuademur. Sed heus tu? Spermatica omnia & exanguia membra semine propriè nutriri, superius ex Galeno probasti. Quid nunc ventriculo aliũ assignas materiam? His respondeo, membra omnia quę sanguine nutriuntur, hunc sibi de nouo præparare & concoquere, nulli dum assimilem, præter quã generi carnoso. Nam qui per vniuersum distributus est sanguis, ad ossium, cartilaginum, ligamentorum, neruorum, aliorumque similium nutritionem, is nunc assumptis cibis crudisque, proportione quadam respõdet. Illæ sanguinẽ primum in mediã quandam substantiã transmutant, quę mucco similis oblinitur partibus prædictis: ossa verò medullã faciunt

faciunt atque recondunt. His alimentis ad mẽbrorum nutriendorũ materiã iam proximè accedentibus, ventriculi chylus rectè cõparatur: cuius portio cõuenientior, eius corpori primũ agglutinatur, deinde ventriculi formã accipit, quemadmodũ aliæ partes exãgues ex muccoso illo humore à se præparato, familiarẽ partem sibi apponunt, & deniq; assimilant. Id iam spernatis nuncupationẽ meretur, vt etiã quæ ventriculum alit chyli portio. Cùm verò absolutè pronuntiamus, chylo nutriri ventriculũ, τὸ εἶον τροφλὸν, (vt loquitur Hippocrates) significamus: sanguinẽ verò, aliis partibus multis cõueniens alimentum non esse ventriculo prima ratione dicatum. At nutrimentũ ventriculi, vt aliarum partium spermaticarum, quod propriè nutrimentum est, nempe actu iam nutriens, seminis materia est, quam vltimum & accõmodatissimum alimentum vocauit Galenus, inquiens: *Lib. 1. de semine cap. 11.* Ne opineris singula ex principalibus membris è semine à principio constitisse, aliunde verò suũ vltimum, atque accõmodatissimum habere alimentũ. His distinctionibus sanè intellectis, omnibus cõpertum esse video, partes omnes exangues semine à se cõfecto deperditã substantiam reficere & reparare. ventriculo autem huius materiam à χύλῳ suppeditari propriè, primumque, & semper, nisi per longiores inedias: aliis verò sanguinem distribui fere omnibus, ex quo illud generent.

SINGVLAS PARTES noſtri corporis humore à ſe attracto commodè nutriri, vt lienem ſanguinis face, cyſtin filleam bile, renes ſeroſo ſanguine, & veſicam vrinariam ſero: Ad honeſtos iuuenes, ANTONIVM BELLAM, ET GASPARVM TAILLADAM *Hiſpanos, Medicinæ ſtudioſos.*

PARADOXVM VI.

AVDIO permultos ex condiſcipulis veſtris ſibi perſuadere non poſſe, quod nuper inter prælegendum aſſerui: ſplenẽ fæce illa ſanguinis (quã ſuccum melancholicum Galenus propriè vocat) nutriri, vt cyſtin felleam à ſe attracta bile, renes ſeroſo ſanguine, & veſicam vrinariam ſero. Hæc equidem (vt verum fatear) tũc vt veriſimilia tantum, ac probabilia expoſui: at cum deinceps rationes quibus ſuffulciri queant, examinaui, nihilque abſurditatis ad eiuſmodi aſſertiones conſequi, deprehendi, *παράδοξα* certe veriſſima iam eſſe defendo. Rem, vt poſtulaſtis, paulò fuſius declaratam proponam, allatis demonſtrationibus ex Galeno, quibus aduerſarios ſic vrgeo, vt non ſit facile contradicere. Vos hanc opinio-

opinionem (quæſo) tutari poſthac non vereamini, præſertim cum de iis ſit, in quibus errorem non ſequitur vllum vitæ humanæ damnum. Siquidem naturæ opera in talibus ſolum perſcrutamur, atque finem cuius gratia inſtituuntur, alium alii aſſerimus. Sed iam ad inſtitutum aggrediamur, atque ſigillatim quæſtionis huius multiplicis partes diſcutiamus, vt rei veritas, ex confuſa alioqui & obſcura ſententia, (ceu tenebris) eliciatur. Quia verò maxima argumentorum hic proponendorum pars, ex iis dependet quibus demonſtramus, etiam ventriculum ſuo *χύλῳ* nutriri: paradoxum de ea re cõſcriptum etiam mitto, quod vt attentiùs legatis obſecro. Nam ſic facilius vobis perſuaſeritis, quæ mihi nunc docenda obiiciuntur: neque erit neceſſe illic fuſius explicata, quæ ad rem iſtam pertinent inutiliter repetere.

QVI GALENI doctrinam ſequuntur, haud grauatè recipiunt, Lienem ſanguinis fæce & craſſamento (*τὸν μελαγχολικὸν χυμὸν* propriè Græci vocant) verè nutriri, non tantùm frui, vt aliqui loquuntur. Nam lien à natura factus eſt, vt lutoſi fæculentique ſanguinis in hepate confecti eſſet receptaculum. Hunc autem ad ſe per venæ portæ truncum multiplici ſobolæ diſtinctum, ceu familiarem conuenientémque, ſibi allicit & exugit. Nõ enim attrahit, vt reliquum ſanguinem reddat puriorem, quum nulla ratione vtatur: ſed quia gratum iucundumque ac

Universidad de Deusto
Biblioteca

proprium illi est alimentum. Nam talis est à Natura splenis temperies atque constitutio, vt nigro, terreno, acidoque vel acerbo nutrimento bene conseruetur, quum & ipse niger sit, & austeri saporis. Præter quas nobis manifestas qualitates, illa est inexplicabilis & recondita proprietas, ex totius substantiæ similitudine proueniens. Cæterùm, vt nihil prorsus est simile, partibúsque animalis nutriendis idoneum, quod ab iisdem elaboratum non sit: quemadmodum ventriculus cibos sibi iucundos concoquit & præparat, vt ab iis nutriatur: sic lien fæce sanguinis gaudet, quòd in ea portio multa substantiæ sibi conuenientis insit. Proinde ad se tractam multa cura studioque elaborat, conficit, ac suæ nutritioni aptam reddit. Si quid elaborationem refugiat, atque illius nutritioni ineptum sit, vt suæ substantiæ adaptari nequeat aliò reiicitur. Atqui (dices) lienem tenui sanguine ali asseuerat Galenus. Inquit enim: Hepar quidem ex rubicundo & crasso sanguine, splen autem ex subtili, sed nigro. Cur igitur crasso illo & fæculento sanguine, non modo delectari, verumetiam nutriri asserimus? An Galenus idé nobiscum sentit, quum tenuem illum sanguinem, lienis alimentum esse intelligat, qui ex crasso attenuatus est caloris natiui auxilio, qué frequentes arteriæ suppeditant copiosum? At is crassior est adhuc, quàm quo reficitur hepar, si inuicem compares. Hepatis verò caro (hoc est

Lib. 4. de vsu part.

est παρέγχυμα) sanguinis in suis venis contenti, puri & defæcati, crassiore parte gaudet: vt lien subtiliore eius fæcis quam attraxit, portione. Porrò ad lienem solum peruenire syncerũ sanguinis limum, atque adeò fæcem ipsam, manifestè prodidit Galenus, dum ait: Splen & renes non solum familiarem adducunt & rapiunt humorem, sed splen quidẽ cum illo attrahit etiam aliquid sanguinis, quẽm antequam ad splenem perueniat, venæ quæ sunt in περιπλόῳ ad seipsas attrahunt. Quæ verba euidentissimè docent, solam sanguinis fæcem ad lienẽ peruenire, eámque splenis familiarem esse alimoniam. Nam (vt idem rectè pronunciauit) nihil trahit propter ipsum trahi, imò vt eo cuius per tractũ sit compos, fruatur, quod ἀξίωμα in hac tota disputatione firmissimum nobis præbet fundamentum. Eodem quippe argumento probamus, cystin felleam bile à se tracta nutriri, cùm non vt sanguinẽ purget, sed quod tali materia comprimis delectetur, bilem attrahat. Alioqui non tam naturale esset organum, quàm animal ratione præditum. Licet etiam Galeni autoritate probare, quàm sit conueniens bilis suæ vesiculæ. Nam vbi docet, cur vesicula, renes, & lien non eguërunt exactiore sensu, ait: Non enim attrahere possent huiusmodi superfluitates, nisi sit aliqua eis communicatio cum illis secundum qualitatem. Vnicuique verò quod cognatum est & familiare ἐκ οἰκείωσιν omnino & innoxium est. His igitur organis meritò non

Lib. 5. de vsu part. cap. 6.

Lib. 3. de fac. nat. cap. 6.

Lib. 5. de vsu part.

« dedit Natura sensum ampliorem, quum non
« deberent vnquam lædi à contentis ipsis super-
« fluitatibus,&c. Neque est quod obtendas, humo
rem qui à vesicula trahitur, nondum meram es
se bilem (quam planè excrementum esse, nulli-
que parti nutriendæ idoneam volunt) sed gra-
tum humorem huic confusum simul allici. Vel,
vt alij dicunt, sanguinem valde biliosum à vesi-
cula trahi, in quo parũ sanguinis & plurimum
bilis insit: atque illo in vesiculæ nutritione ab-
sumpto, syncerам bilem supereſſe, quæ tunc
primum excrementi nomen assumat, & à suo
vase reiiciatur. Verùm quî Galeno satisfacies,
cui placet vesiculam ad se trahere bilem syncе-
ram, alteriqúe humori impermixtam? Id quod
vel sententia nunc citata satis declarat, vbi non
lædi à contentis superfluitatibus, sed potius de
lectari, scribit. Sed multò euidentiùs, cùm ait: vnaquæque pars attrahens familiarem & pro-
prium humorem, per ampla quidem orificia,
« non solum ipsum, neque mundum, neque syn-
« cerum potest attrahere, sed quadá permistio-
« ne aduteratum corruptumque. Si verò in sub-
« tilia valde orificia attrahentium organorum fi-
« nes terminentur, impermixtum hoc modo &
« syncerum exactè attrahent familiarem humo-
« rem. Rationabiliter igitur quæ est in hepate
« cystis, inuisibilibus & strictis exactè finibus
« implantatorum ab ea ad viscus vasorum, v-
« num solum attrahit humorem non adulte-
ratum

Lib. 5. de vsu part. cap. 6.

ratum alia qualitate, ad quem scilicet attra- "
hendum Natura ipsam præparauit, &c. Ergo "
puram quàm exactissimè fieri potest bilem at-
trahit vesicula, in eóque humore gratam sibi ac
vtilem materiam nanciscitur, qua omnium cõ-
modissimè nutriatur. Reliquum verò illi est su-
perfluum & iniucundum, quemadmodum chy
lus ventriculo, vbi grata portione satiatus & ex
pletus fuerit. Atque vt ille in intestina quod sibi
excrementum est reiicit, ita & cystis fellea in
duodenum protrudit bilem superfluam, quæ
nulli deinceps parti futurum est alimentum.
Quippe syncerior est eius natura, quàm vt pos-
sit variis conuenire particulis. Sanguinis verò
& chyli natura est valde heterogenea: vnde va-
riis partibus facile suam peculiarem alimoniam
præbent. nam quod vni displicet, alteri est ma-
xime familiare & iucundum. Bile igitur sola gau
det vesicula, eademque nutritur. Quod ne ab-
surdius dictum videatur, quum id iam omni-
bus persuasum videam, nullum animans, nul-
lamque animalis partem amaris nutriri, sed tã-
tum dulcibus: illud memoria repetendum ve-
nit, quod toties philosophi & medici inculcãt,
nostri corporis partes, quantum ad nutritio-
nem attinet, plantis esse similes. Sicuti enim so-
lo appetitu naturali affectæ stirpes, ex terra
quod sibi familiare est attrahunt, sic & anima-
lium quæuis particula. Atqui familiare id, plan-
tis varium est, non solum dulce, sed & acidum,
& austerum, & amarum, & salsum, καὶ παντοῖον,

Universidad de Deusto
Biblioteca

Lib. de nat hum. & Gal. lib. 2. de elem.

id est multifarium, vt loquitur Hippocrates. Amaris verò gaudere plurimas, amarus cortex, amari frondes, amarusque fructus id satis probat. Similibus quippè omnia delectatur ac cómodè vescuntur, qualiacunque fuerint. Similitudo verò est, ex temperamenti certa conditione & natura, quæ conceptis verbis explicari nequit: proinde occulta proprietas nuncupari solet. Eam comitantur nonnunquam euidentes qualitates, qüæ similitudinem quoque arguũt. Nam vt lien niger est, saporeque acidus, nigro & acido humore delectatur. Neque enim dicendum est, ex nutrimenti sui qualitatibus eam naturam sortitum fuisse lienem. alioqui de cæteris omnibus particulis idem diceremus, albedinem, dulcedinem, duritiem, læuitatem, aut alias qualitates ex alimenti simili conditione singulis accessisse. Atqui nutrimentum à parte quæ nutritur alterari, nõ illam immutare (nisi admodum exiguè & insensibilitet vt vocant, ac ferè præter naturam (medici omnes fatentur. Sic itaque & fellis vesica. non solum ex temperamento (quæ tamen præcipua est familiaritatis occasio) cum bile ipsa conuenientiam quãdam habet, vnde & trahendi vim sortitur; verum etiã colore & sapore ad bilis naturam proximè accedit. Cumque euidenter bilem ipsam attrahat, vt anatomes periti omnes asserunt, tali materia delecterur ac fruatur oportet: cum (vt axiomate illo sup. diximus) nihil in rerum natura trahat, nisi vt eo cuius per tractum fit compos fruatur.

fruatur. Quænam verò alia fruitio esse potest, quàm nutritio, quæ quidem conuenientis & familiaris materiæ appositione perficitur? Dices magnetem ferro delectari, & ob id ferrum recondita illa proprietate familiaritatis substantiæ attrahere, & ferri limatura gaudere, in eaq; diutius integris viribus seruari: nullam tamen fieri substantiæ ferri absumptionem, quæ magneti in alimentum cedat. Cui obiectioni respondeti posset, quod nonnulli comprobatum esse scribunt, magnetem ferri limatura obrutũ grauiorem tandem euadere: vt sit manifestum aliquid ferri in se transferre. Nam etsi vita careat, nihilominus tamen similis materiæ applicatione & adhæsione cæterorum lapidum modo augescit. Quod si ferri æquale pondus manere affirmes, nec quicquam à magnete absumi: esto recipiamus nullam sensui euidentem accidere ferri consumptionem, quòd neque sensui manifesta sit magnetis corporis absumptio: quæ si fieret, illud (opinor) in restituenda resarciendaque substantiæ deperditione insumeretur. At fellis vesicula, vt aliæ quæuis nostri corporis partes, alimento destituta languet & contabescit, quòd perpetuum sit triplicis nostrę substantiæ effluuium, minimè obscurum. Propterea humorem quo delectatur & iucundè fruitur, etiam euidenter absumit. Is verò est, familiaris ille succus bilios us, quem ex sanguinis massa extrahit. Quod si non sufficiat, & in multa humoris à se attracti quantitate parum sit eius

quod

quod verum nutrimentum est futurum, ex prò priis venis sanguinem mutuatur vesicula, vel ventriculus. Idcircò etenim venas habuit cystis fellea, vt conuenientioris humoris inopia laborans, ex tenuissimo sanguine bilem sibi familiarem insita facultate gignat, ad corporis sui nutritionem.

Renes paulò aliter se habent: nutriuntur tamen & ipsi seroso sanguine, quem per venas arteriasque emulgentes perpetuò attrahunt. Familiaris enim illis est aquosior sanguis, cuius quantitatem maximam vena caua continet, minorem arteria magna. Hinc igitur serosum sanguinem extrahunt, eiusque meliorem portionem elaborantes sibi apponunt, agglutinãt, & similem substantiæ suæ reddunt. Quod superest, transcolatum per renum densitatem in vesicam demittitur: atque id iam absolutè serum, non amplius sanguis serosus, dici videtur, quod renibus excrementum est. Quidam non ineruditus, negat renes serum per se attrahere, sed quemadmodum magnes acum ferream (inquit) ab occulta proprietate & substantiæ familiaritate attrahit, per accidens verò filum acui alligatum: sic renes per se sanguinem alliciunt, tanquam proprium & familiare alimentum, sed quoniam sanguis ille qui statim ab egressu ex hepate venam ascendit, est seroso excremento plurimo mixtus, serum etiam renes trahunt per accidens. Ego verò serosum quidem sanguinem renibus conueniens atque desideratum

tum alimentum esse profiteor: serum autem syncerius, eorundem excrementum, sed quod alteri parti, vt vesicæ familiare sit. Quamobrem vt ad hanc facilius perueniret, Natura eius conditionis renes effecit, vt sanguine seroso delectarentur. Sic enim fit vt serum ad vesicam proprius accedat.

Porrò quum hæc nostra opinio videatur accedere ad illam Lyci sententiam, quæ à Galeno censetur absurdissima, quibus eam improbet rationibus, examinandum venit. Vnico sane hoc argumento vtitur, quod absurdum sit renes tantam excrementi copiam habere. Quasi verò solis renibus istud accideret, non etiam ventriculo, cuius excrementum esse cõstat, chylum ab eo ad intestina reiectum. Quippè in maxima ciborum quantitate parum est eius quod alendo ventriculi corpore conuenit. Eodem modo quum serosus sanguis sit renibus iucundior, nec multum habeat eius quod naturæ valet, plurimum illi trahere cogũtur, vt in eo portionem conuenientiorem eligant, sibique assimilent. At pulmo, & cæterę partes hepate superiores, quum natura sua puriori alimento gaudeant, nequeunt tantam excrementorum copiam colligere: nisi male affecto corpore vitiosi humores pro melioribus expetitis concedantur, vel laudabiles corrumpantur vitio partium. Accidit enim vt non modo pulmo, sed etiam partes eo superiores mirandam superfluitatum copiam reddant, vt in pleuriticis, & catarrho in pulmo

Lib. 1. de fac. nat. cap. vlt.

Universidad de Deusto
Biblioteca

pulmones defluente laborantibus, quotidie ob seruamus. Hi enim si facile expuant, intra paucos dies tussiendo plærunque reiiciunt, quæ pituis tonsoria vix caperet. Sic quædam vlcera incredibilem puris quantitatem breui tempore accumulant. Quod igitur partes male affectæ, aut morbi ratione, aut humorum prauitate patiuntur, id renibus & vesicæ ex natura prescriptum est, vt excrementum multum producant. Cùm enim eo delectentur quod in multa quantitate parum nutrire potest, accidit vt plurimum excrementi coäceruent. Non aliter sane quàm si quis vino, carnibus, & pani siligineo assuetus, horum inopia, vel cupiditati indulgens, fructibus fugacibus, oleribus, & pane furfuraceo vescatur, & aquam bibat. Paucum enim ex horum maiore copia sortietur nutrimentum, sed maximam recrementorum quantitatem reiiciet.

Supereſt omnium παραδοξοτάτη opinio explicanda, qua asserimus vesicam vrinariam serum ad se trahere, non tantum excipere, & attracti portione iucundissima nutriri. Nondum enim absolutè excremẽtum dici meretur, quod alicui parti esse potest vsui: neque prius lotium vel vrina vocari debet, quàm vesica satiata illud fastidiat. Quod vt facilius quisque assequatur, aduertendum est duplicem à nobis constitui excrementorum naturam. Alia est eorum quæ prorsus inutilia sunt, & nulli parti nutriendæ, vel etiam delectandæ, conueniunt, atque talia propriè & absolutè dicuntur περιττώματα. Alia

est eorum quæ alicuius tantum partis, non totius corporis respectu, excrementa vocantur, quo genere loquendi, chylum satiato ventriculo in intestina reiici tanquam superfluum onus & excrementum, dicimus, quanquam aliis deinceps profuturum sit. Vnde simpliciter & absolutè excrementum non appellant. Eo enim amplius concocto nutriuntur intestina: & portio plurima à venis mesaraicis in hepar deuehitur. Reliquum paulatim impellitur per omnia intestina, vsque ad satis capax spatium quod in eo intestino visitur, cui ab argumento vel situs ratione, Recti appellatio est. Atque id primum excrementum est (vt Galenus ait) eorũ quæ nutrimenti ratione fiunt, & stercus dicitur: idque iam absolutè excremẽtum vocatur, quod nulli parti nutriendæ conueniat, neque vllam delectare possit. Propterea neque à recto intestino trahitur, sed duntaxat excipitur à superioribus impulsum. Villi siquidem recti huic inesse videntur, non vt fæces ad se trahat, sed ad transuersarum fibrarum firmitatem. Nam quum superiora intestina in ambabus tunicis orbiculares villos sortiantur, vt ocyùs quod ad illa trãsmittitur propellant: externa recti intestini & coli tunica rectos quoque obtinet, vt hi veluti vinculum circularium essent: ne forte cum illi duriores fæces extrudunt, inuicem absçedant & diuellantur. Ea enim potissimum de causa recto intestino (vt quod sicciora amplectatur excrementa) eius generis fibræ quàm plurimæ

Lib. 1 fun. ta.

tri

Universidad de Deusto
Biblioteca

tribuuntur. Quod si quis velit, etiam rectum, vt est crassius, in aliorum excrementis aliquid deprehendere quod sibi vtile esse possit, eoque trahere à superioribus intestinis, concedam, modò stercus non prius censeat nominandum excrementum, quàm illi prorsus displiceat. Sic enim dum ex chylo sanguis efficitur, lien & bilis vesicula conuenientes sibi substantias, quæ iecoris excrementa sunt, attrahunt. Quicquid iis satiatis ac instauratis supersit, excrementum vocitatur, non modo eorum respectu, sed totius corporis, quòd nullam deinceps particulã delectare possit: quo fit vt excernendum veniat, cùm à nullo trahatur. Hepar vero (cuius præcipuæ partes sunt venæ) sanguine à se confecto satiatum, reliquum pro excremento habet, & reiicit in cauam. Id tamen absolutè excrementum non est, sed sanguis omnibus ferè partibus nutriendis necessarius. In eo siquidem diuersæ partes quod sibi conueniat offendunt, atque aliæ aliud extrahunt. Renes verò (vti prædiximus) serosum sanguinem, quo delectantur, hauriunt: eoque nutriti, serum iam purius & syncerius factum, illorum excrementum est, quod à se mox reiiciunt. Id nondum est planè inutile, neque excrementum absolutè dici debet, cùm à vesica trahatur. Non enim traheretur, nisi quædam substantiæ familiaritate cum parte quę attrahit conueniret, eamque nutrire & delectare posset, vt superius multis argumentis probauimus. Quod autem vesica ex renibus serum trahat,

hat, Galenus quoque innuit, vbi ex professo de his disputat. Inquit enim: Non est diuersa ratio qua vrinæ per renes ferantur in vesicam, & qua sanguis in omnes animalis partes, nec etiã qua flaua secernatur bilis. Quippe si mõstratum sit in vnoquoque organo tractricem haberi vim, nullum negotium est eam ad reliqua transferre. Neque enim renibus Natura talem facultatem contulit, vasis iis quæ bilioſum humorem trahunt eandem negauit: nec rursus his quidẽ tribuit, reliquis autem omnibus ademit. Et alibi: venter quidem postquam abundè cibis est satiatus, & quod vtilissimum sibi in his est, in tunicas suas fugendo reposuit, tũ quod reliquum est tanquam onus alienum subiicit. Idem & vesicæ faciunt, vbi quoduis eorum quæ attraxerint, vel multitudine distendens, vel qualitate mordens, redditur molestum. Ast idem aliàs sibi contradicit, vt cùm ait: Vesica nõ trahit à renibus, quemadmodum neque intestina à ventriculo. Nos igitur rationẽ ipsam, potius quàm eius autoritatem, insequi decet. Ratio verò est ex vesicæ structura, quo argumento ipse Galenus in similibus vti consueuit. Hac autem vesicam trahendi facultate præditã esse monstrat: cùm villos sortiatur omnigenos, & recti quidẽ sint instrumenta attractionis alicuius euidentioris, quàm quæ à particulis quibúsque fit pro sui nutritione. Similes certè facultates habet vesiculæ felleæ, qua cum & structurâ conuenit. Dicens, vesicam vrinariam omnis generis fibras habere,

Lib. 2. fac. nat. cap. 1.

Lib. 3. de fac. nat. cap. 12.

bere, vt cutem, ad ſolam extenſionem: quò facilius in omnem dimenſionem extendatur. nam ſæpe reddi capaciſſimam, & mox angu-
ſtiorem, oportet. Sed quid de vreterum compoſitione reſpondebis? Cur hi per longitudinem ductas habent fibras? Nonne vt veſica per illos ſerum attraheret? Nam ſi tantum excernitur à renibus, neque alia parte attrahitur, vreteribus tranſuerſi villi erant conuenientiores, vt inteſtinis: quandoquidem iis ſeſe conſtringentibus continuo ſucceſſu in veſicam exprimeretur ſerum à renibus expulſum. Verùm quod gula ventriculo, id vreteres veſicæ præſtant. Sunt enim huius veluti manus, per quas ſerũ renibus iam diſplicens rapit. Ergo, ſi attrahit, eo fruitur ac vtitur: ſi bene eſt demonſtratum, noſtri corporis partes aliud trahere neſcire, quàm quod ſibi conuenies & familiare eſt. Tale verò dicitur, quod illarum conditioni & naturæ congruit, quódque in earum ſubſtantiam (aliqua ſaltem vel minima portione) tranſire poteſt. Et quid quæſo abſurdi eſt, fateri veſicã tali cibo gaudere, qui ipſa manifeſtis qualitatibus cum illo ſatis conueniat: præter illam, quæ nobis occulta eſt, proprietatem? Qui ſanè artẽtiùs legit, quę Galenus docuit, facilè intelliget, veſicæ vrinariæ ſerum qualitate cõuenire, atque ideo trahi, quódque magis eſt, retineri, donec vel multitudinis pondere, vel mordentis acrimonia offendat: non aliter quàm ventriculus cibos & attrahit, & nutritionis ſui cauſa diutius continet. At quia ſero è

Lib. 3. fac. nat. cap. 5.

ſero è renibus tracto, vix tanta eſſe poteſt eius quod veſicam nutriat copia, vt id ſolum ſufficiat: plurimum excremẽti ex eo prouenit, & veſica ex venis quas habet conſpicuas, ſanguinem pituitoſiorem, ſibi conuenientiſſimum mutuatur. Vbi ſero ſatiata eſt veſica, reliquum ceu onus ſuperfluum à ſe abiicit, non punctione vel acrimonia, ſi ſanum eſt animal, irritata. Nam vt ſcribit Galenus, de vrina loquens: Quum bene ſe habent omnia quæ ſunt in animali, neque aliud quid peccat in quauis particula, ſeroſarum ſuperfluitatum ſubſtantia nec acris nec doloroſa fit veſicæ. Tunc verò primum abſolutè dicitur excrementum, atque vrinæ appellationem propriè ſuſcipit, cùm veſicæ diſplicet. Quæ ſi vera ſunt, non primæ concoctionis, quæ in ventriculo & inteſtinis perficitur, neque alterius quæ in venis, ſed tertiæ quæ in ſingulis partibus celebratur, excrementum eſt cenſendum: haud aliter quàm ſudor, cui lotium & proportione & naturæ affinitate reſpondet. His auditis permulti ſubſannare, modeſtiores verò ſtupeſcere ſolent, quod abſurdiſſimum videatur aliquam noſtri corporis partem nutriri, vel minima portione eius quod vrina iam eſſe putatur, aut ſtercus. Sed cogitent (obſecro) ſues ſtercoribus gaudere atque ſuauiter veſci: quæ vt animalia ſunt perfecta, ſic vnica noſtri corporis parte longè digniora cenſeri debẽt. Nam veſicas, inteſtina, & alias partes, plantarum modo viuere omnes recipiunt, tam medici quàm phi-

Lib. 5. de vſu part.

losophi, quòd appetitu solo naturali, non animali, moueantur. Si igitur ex animalibus quædam stercoribus delectantur, alia frondibus & amaris arborum corticibus, pisces quàm plurimi luto & marinis sordibus, quum tamen animali appetitu incitata ad cibum capescendum moueãtur, sintque integra animalia, nostri corporis vnica particula sanè præstantiora: quid mirari debent, etiam inter nostri corporis partes esse nonnullas quæ talibus perfruãtur? Eodem planè argumento vti videtur Galenus, cuius autoritatem quisquis retinere volet, nostræ sententiæ statim suffragabitur. Inquit enim. Tãquam stercus hominũ, est canibus suauissimum: ita iocinoris excrementorum aliud lieni, aliud bilis vesicæ, aliud renibus est iucundũ. Hæc etsi plerisque παράδοξα videantur, iis tamẽ quos rerum naturam expendere minime pigebit, nequaquã videri παράλογα vereor. Vos ANTONI & GASPAR amicissimi, si quid est adhuc in quo hæsitetis, cotã aperite, vt scrupulos, si qui supersint, pro virili mea parte, eximam. Nolim siquidem, nisi argumẽtis instructissimos, hanc meam opinionem tutandam suscipere. Vale.

Lib. 3. fac. nat. cap 9.

FOR-

FORMATRICEM facultatem toto vitæ curriculo superesse, neque inertem, neque otiosam: & partes spermaticas semel deperditas non regigni, ob solius materiæ defectum: easdémque cæteris natura calidiores esse: ad generosum doctúmque iuuenem, D. THOMAM IORDANVM *Clausemburgensem Transsiluanum, Medicinæ studiosum.*

PARADOXVM VII.

CVM ME aliquando in scholis nostris disputantem audiisses, qua ratione partes spermaticæ non regignantur, contra vulgarem opinionem: nimirum ob solius materiæ defectum, nõ quod vis formatrix agere desinat postquam fœtus est absolutus: obnixè rogasti (amicissime THOMA) vt argumenta quibus illa duo παράδοξα confirmare possum, tibi dictarem. Quàm lubenti animo tuæ petitioni annuërim meminisse potes: at tunc temporis non licuit per ocium, quod maximopere cupiissem, tibi satisfacere. Distuli coactus in aliquot dies: dilationis fœnus iam persoluere statui. Nam duobus illis quæ fides mea tibi dudum obligauit, tertium

addidi παράδοξον, quo docere nitor, partes ſpermaticas cæteris natura calidiores eſſe. Vereor ne multis abſurda ineptáque magis quàm paradoxa iudicetur ea ſententia: verùm intelligant, mihi ſat eſſe in tali exercitatione, quæ probabilia ſunt afferre in medium. Sic enim commodè exercentur adoleſcentium animi, dum nunc aſſeri, nunc infirmari eandem propoſitionem audiunt. De rei veritate hic (ſi nolint) meum iudicium minime expectent: argumentis modò reſpondeant. Tu verò, mi THOMA, tuo nomine ſuſceptum laborem æqui & boni cõſule: quodque tibi veriſimilius videbitur, vt ingenio atq; iudicio plurimum vales, amplectere. Nullius ſiquidem autoritati addictos eſſe decet veri ſtudioſos. Aduerſus Galenum, aliósque claſſicos autores diſputo, non vt ambitioſè ex illorũ reprehenſione laudem aucuper, ſed vt ex tali contradictione reiveritas magis ac magis eluceſcat. Eadem licentia Galenus, & Ariſtoteles, omnéſque ad vnum celeberrimi viri, in antiquiores præceptoréſque ſuos prudenter vſi ſunt: quod in rei naturalis ſtudio cuique liberũ ſit iudiciũ.

FORMATRICEM vim edito iam partu, langueſcere, & mox aboleri vt dentes emiſerit, noſtri exiſtimant. Quum enim ab editione nulla iam pars gigni videatur, dentium duntaxat gignendorũ gratia hæc manet incolumis. Ea eſt Fernelij ad verbum opinio, cui dubitationem ſubiungit, quomodo facultates aliquæ intercidere dicantur, inquiens: Si fœtus vtero geſtatus tribus

Lib. 5. phyſiol. cap. 3.

tribus illis continetur, editus verò dum adoleuerit duabus, reliquo vitæ curriculo vnica: quonam illæ auolarunt? Perierunt ne prorſus, an illic præterea ignauæ iacẽt, & quaſi feriatæ? Perſiſtit vna quidem facultatum ſubſtantia in diem vitæ ſupremum, neque à ſuis illa viribus manet deſtituta. Quorſum enim genito iam animali, cóq; edito, debeat procreãdi vis perire? Quid illam ſuſtulerit: verùm quoniam prima illa ſeminis natura, quò vires ſuas exprimat, idoneo corporis alicuius & caloris adminiculo indiget, citra cuius opem ne minimum quicquã efficere poteſt: quũ certe aut mutila erit, & violata corporis integritas, aut ad effectionem materia deficiet, tum illa vacabit, finémque conſtituet operi. Vt igitur magnetem allio perunctum, quia ferrum allicere non poteſt, trahendi facultate orbatum dicimus, aut ſaltem præpeditũ: & cui ſuffuſio oculi aciem perſtringit, is obcæcatus dicitur, eique adempta cernẽdi facultas, aut certe impedita: ita & qui ſenio confectus effœtũ corpus & emeritũ adeptus eſt, augeſcendi, aut partes nouas gignendi facultatẽ non habet: & quæ in illo eſt naturalis pars animæ, ſi fortè illæſa ſtatuitur, intercepta tamen eſt & vitiis corporis irretita. Fortè, dixit, etiam nũ dubitãs: quum paulò ante affirmarit, animę facultates aliquas aboleri, intercidere exoleſcere, atque perire poſſe. Quod nos falſũ & erroneũ eſſe putamus, vt de formatrice nobis propoſita ſtatim demõſtrabimus: quæ nõ modo nõ aboletur, ſed in vitæ diẽ

Cap. 2. circa finem.

Universidad de Deusto
Biblioteca

extremũ permanens ab opere nunquã ceſſat. Siquidẽ non alia eſt vis Aſſimilatrix vocata, (ex nutrici famulantibus vna) quàm quæ in ſemine formatrix nuncupatur, vt nutritio eſt particularis quędã procreatio. Quẽadmodũ enim procreatio ſeu generatio eſt motio quæ ad nouam ſubſtantiã corpus perducit: ita & nutritio motus eſt quo nouæ portiunculę corpori adiiciuntur. Illa duabus ceu partibus abſoluitur (docente Galeno) alteratione videlicet, ſeu ſubſtantiæ cõmutatione, & conformatione. Dũ enim ex ſemine fit os, neruus, cartilago, vena, arteria, vel alia quæuis pars, id in aliam naturã prorſus cõuertitur, atque ſubſtantiã mutatur: ſimul verò eidem conueniẽs naturæ cuiuſque partis figura effingitur. Et quid aliud (quæſo) eſt, quæ in perfectis animalibus fit aſſimilatio, ipſius nutritionis terminus? Nõne hæc accidit, alimento in corporis ſubſtantiã tranſeunte, atque particularum deperditionẽ reſtituente? quod fieri non poteſt, quin partium quoque formam accipiat. Quandoquidẽ vt ſanguis tandẽ oſſis pars euadat, oſſis qualitates omnes aſſumat neceſſe eſt, non ſolum eſſentiã mutet. Ergo non modo formatrix, quæ Procreatricis pars eſt duntaxat, verumetiã Procreatrix ipſa perpetuò manet, quãdiu vinum eſt animal: (nã tandiu etiã nutritur) habẽtque deinceps aſſimilatricis nuncupationem, quæ in prima cõformatione procreatrix vocata fuit. Galenus rectè in ventris, gulæ, inteſtinorum, & arteriarum tunicis, vim alteratri

Lib. 1. fac. nat. cap. 5.

Lib. 1. de fac. nat. cap. 6.

teratricem ineſſe, quæ eas particulas genera-uit, pronunciat: quibus verbis apertè ſignificat, eam facultatem quæ particulas primum conformauit, etiamnum in ipſis manere. Attamen dum abſolutum eſt corpus, nihil de nouo moliri poteſt, quòd deſit materia: ſed eam tantum reſarcit, quæ in euitabili quadam neceſſitate continuò dilapidatur ſubſtantiam, vt proprium opus quàm diutiſſime fieri poteſt integrum conſeruet. Et quid obſtat quo minus aſſimilatrix nunc vocitetur, quæ olim formatrix dicta eſt, quum vtriuſque idem ſit effectus? Siquidem formatrix in vtero ex propoſita materia corpus fabricauit, ei aſſimile à quo ſemen deceſſerat. Hinc non modo ſpeciei conſeruatur ſimilitudo, ſed & parentum quoque effigies innatis plærunque apparet. Quæ cùm ita ſint, cur ea vis non recte Aſſimilatrix nominabitur, quæ ſibi ſolam aſſimilationem proponit? Cur dicere ſolemus, quædam vitia ex prima conformatione pendere, ſi præter eam nulla eſt deinceps? Nonne ea loquendi forma, præcipuis medicorum vſitatiſſima, omnium manifeſtiſſime ſignificatur, aliam eſſe conformationem quæ ſecunda dici mereatur? Eam extra vterum exerceri, id etiam denotat, quod Galenus quoties illã priorem apertius indicare ſtudet, ſcribat: primam conformationem, quæ ſcilicet fit in vtero. Eadem planè facultas eſt, quæ de ſubiecto alimento iis quæ inſenſibiliter effluunt ac diſſipantur aſſimiles portiunculas reponit, quo nomine

Assimilatrix dici meruit. Fateor integram partem nullam hæc conficere valet, non arteriam, non venam (nisi admodum rarò, si Galeno credimus, vel nunquam vt ipsi putamus) quia materies ex qua singulæ partes conformatæ sunt, in prima generatione tota fuit absumpta. Ethi vero indies ad earumdem nutritionem illi assimilis gignatur, non tamen sufficit ad nouę particulæ procreationem: quia singulæ partes sibi tantum peculiare alimentum assimilant quo defluxa substantia restituatur. Si qua verò prorsus periit, nõ est quæ illi reponendæ ac gignendæ materiam paret aut conficiat: quum singulæ sui conseruationi duntaxat incumbant. At in prima conformatione omnibus communis subiicitur materia: quæ si quantitate par sit, (vt magna ex parte esse solet) corpus suis partibus absolutum conficitur. Sin iustò parcior fuerit, alicuius partis defectus apparet: vt ex copiosiore, aliquarum partium numerus vel magnitudo naturalem excellit. Ergo materiæ inopia potissimum facit, quo minus particulæ nouæ fingantur, quum formatrix facultas (quæ deinceps Assimilatrix vocatur) non sit abolita, imò neque ociosa, sed id perpetuo resarciat & instauret quod sensim deperit. qua ratione certe corporis partium figuram conseruat. Vnde etiam licet probare, assimilatricem vim non aliam esse quàm formatricem. Quippe vt eiusdem est artificis calceos nouos parare, & dissutos consuere, attritósque reparare: vt idem artifex domũ con-

Lib. 14. meth. med. cap. 16. & 17. lib. 1. de semine cap. 15.

constructuxit, & ei præfectus aliquid semper resarciendo prohibet ne corruat, formamque sensim amittat: sic vis procreatrix, toto vitæ curriculo partibus quas semel formauit insidens, in iis perpetuò aliquid molitur, vt partium integritatem quàm diutissimè fieri potest, conseruet, & datam figuram retineat, alioqui breui perituram. Quod non minori industria fit, quàm primum conformare: vt non minor est virtus, quàm quærere, parta tueri. Est autem figura seu forma, ipsius conformationis opus in naturæ operibus admirandis facile primum. Porrò figuram perire assimilatricis frustratione, satis docent morbi diuturniores, & exactissimis quicunque faciem illam Hippocrati descriptam inferunt. Per hos siquidem nutrix facultas omnium maximè eneruatur ac languet. Vnde etiam fit, vt totius corporis, non solum vultus, forma plurimum immutetur. Idem senescentibus hominibus accidit, quorum pulchritudo sensim perit, quum facultatis assimilatricis actiones hebetescere incipiunt. Sed omnium euidentissimè istud apparet in elephantis, quorum sanè facies multum conuenientis decoris amittit, vt pro iucundo gratoque aspectu, horrendus fiat. Talem verò morbum assimilatricis virtutis errore accidere, meritò dicunt: siquidem ea vis laborat, cui figuræ conseruandæ munus est mandatum, quam Assimilatricem appellamus. Verum enim vero facultatũ error, aut imbecillitas (si quis rem attẽtius probet)

Lib. 1. prog. part. 8.

Universidad de Deusto
Biblioteca

bet) non accusabitur, quum animæ facultates integræ atque valentes perpetuo maneant: sed actionis frustratio. Hæc autem accidere solet, vel ex instrumenti incommoditate, vt in senescentibus palam fit, imbecilliore iam reddito calore: vel materiæ ineptitudine, vt in elephanticis.

Ex his patere arbitror, solius materiæ conuenientis defectu accidere, vt minus conspicua sit formatricis facultatis actio: & spermaticas partes eadem de causa restitui non posse. Sanguinæ vero, qui à materiæ copia suppetit, facile regignuntur, vt caro: in qua sane procreatricis ac formatricis opera non obscurè apparent, dum cauum vlcus adimpletur. Quum enim cauitas non solum in deperdita magnitudine consistat, vt Galenus scribit in methodo medendi, sed etiam in figura partis deprauata, vt idem lib. de differ. morborum docet: quod vlceris cauitatem implebit, id figuram emendasse dicetur. Atqui facultas est assimilatrix quæ ex sanguine carnem fingens, pristinam magnitudinē & figuram partis redintegrat. Non igitur perijt, imo neque ociosa est formatrix, quam vbi conuenientis materiæ vbertas conceditur, nemo non apertè exerceri videt. Ratio verò dictat, eandem assiduè per nutritionem suum munus perficere, quamuis sensus effugiat. Nam spermaticæ partes omnes semine nutriuntur, vt ex Galeno alibi demonstrauimus. Quum verò singulæ sibi tantum alimoniam præparent, non nisi

Lib. 3. cap. 6.

Parad. 5. dec. 2.

nisi quantum suæ conseruationi est opus conficiunt, saltem post adolescentiam. Quippe tunc temporis non plus alimenti assimilatur, quàm de partibus substantiæ absumitur. Propterea eiusdem materiæ copia minime colligitur, quæ alicubi asseruata integræ partis alicuius restitutioni aliquando tandem accommodari possit. Per adolescentiam verò, quandiu mollius & calidius est corpus, alimenti quidem plus assimilatur, quàm de substantia partium pereat: verùm quod amplius est, id totum in accretionem solidarum partium absumitur: vt nihil fiat reliquũ ad partium regenerationem, si quæ pereant. Siquidem (vt sæpius iam monuimus) singulæ ita sibi solis alimenta parant, vt nerui præscissi portio quę remanet, sibi vni nutriendæ, & per adolescentiam augendæ ad reliquarum partium proportionem, incumbat. Proinde non est quod quis obiiciat, seminis gignendi τὴν ἐσχάτην, quæ maxime in adultis viget, vsque dum senio intercidere videatur. Nam seminis tantum proxima est materia, quæ à membris hauriri creditur, eorũ veluti benignum excrementum: non quod supra ipsarum partium naturam sit elaboratum, sed melior portio eius humoris qui ad partes nutriendas peruenit, & (quod nimia esset quantitas) non fuit absumpta. Itaque superfluitas quædam censetur, quam testibus attrahentibus cæteræ partes non ægrè concedunt. Ex ea vero nequeunt partes regigni, quod non sit quæ illam accuratius elaboret

Universidad de Deusto
Biblioteca

ret & transmutet: quum sibi vni singulæ consti-
lant. Quamobrem solius materiæ conuenientis
penuria accidit, vt solidæ partes (quas vocant
spermaticas) minime regignantur, non facultā-
tis formatricis absentia ocio, vitio, aut imbecil-
litate, quum à prima cōformatione ad vltimum
vitæ diem integra perpetuò aliquid moliatur, vt
satis monstratum est.

Haud dissimili ratiocinatione probare licebit, neque auctricem vim vnquam perire, fetiscere aut languere, quandiu viuum est animal, tametsi eius opera post adolescentiam minus sint conspicua. In carne siquidem & adipe tantum maximè est euidens augmentatio quauis ætate, quum musculi secundum omnem dimensionem manifestè nunc crescant, nunc minuantur, vt πολυσαρκία atque ἀτροφία apertissimè declarant. Porrò cuius facultatis esse putas eiusmodi effectus? Auctricis profecto, quāuis Galenus veram auctionem solis partibus solidis attribuat. Nam si in πολυσαρκία & obesitate non est musculorū accretio, quî ea moles vocabitur quæ ex alimēti bonitate ac vbertate accessit? Quod si augmentatio est, vis augendi perpetuò manet, agitque, vt de formatrice quoque probauimus. Cæterùm auctrix post adolescentiam in partibus solidis latet, quod alteratrix iam minus agere valeat in sicciore materia consistens. Vnde non plus conficit & immurat alimenti, quam quod ad effluuii reparationem est necessarium. Ergo (dices) solidarum partium nulla fit accretio, vt circa eas

Lib. 1. de fac. nat. ca. 5. & 7.

eas saltem non versari auctricem vim constet. Versatur sanè haud minus quàm circa sanguineas, sed eius actiones illic minime sunt conspicuæ, quod assiduè tantumdem effluat, quantum superadditur.

Hæc si satis probata sunt, manifestè docent, prædictas animæ facultates non feriari, etsi plerunque earum actiones & opera minus euidenter appareant. Aliquas verò perire, exolescere, intercidere, aut aboleri dicere, contra omnem rationem & philosophiam esse videtur. Nam quum eæ sint ὑπόστασις ac insitæ ipsius animæ proprietates, inseparabiles manere oportet, quum ea sit proprij natura. Neque verò ob id periisse censendum est, quod nonnullæ aliquando non agant, vt in cæco videndi facultas, & audiendi in surdo. Siquidem anima iisdem instructa etiānum potest agere, quamuis non agat instrumētorum vitio, aut subiecti conuenientis defectu: quod si detur, nec aliquid obstiterit, haud dubiè suas vires exercebit. Sic magnes facultate trahēdi ferrum orbatus esse videri potest, cùm grandius attrahere nequit: etsi propriam vim integram seruet, sed quæ obiecto conuenienti priuetur. Eodem modo vis augescendi circa eas partes operari deprehenditur, toto vitæ curriculo, quæ augescere possunt. Aliis verò non minus insidet, neque in iis minus ex sese potest, quamuis subiectum reluctetur. Quinimo neque ociosa facultas ex eo dici meretur, quum id tantum sit ociosum, quod dum agere & potest

&

Universidad de Deusto
Biblioteca

& debet, non agit. Neque verò est necesse facultates in actu semper esse secundo. Rectè si- *Lib.1.de anima.cap. 4.*
nè Aristoteles animæ facultates inuiolatas permanere, nec corporeorum organorum modo atteri, ex eo docet, quòd si senis anima iuueniles oculos haberet, æquè ac iuuenis cernere posset. Eius verba sunt τὸ γῆρας (sub. est) ἐν τῷ τοιῷδε ἐνίοις οὐκ ἐνυπάρχει τισὶν ἀλλ' ἐν ᾧ. εἰ γὰρ λάβοι ὁ τοιοσδὶ ὄμμα τοιοῦδε, βλέποι ἂν ὥσπερ καὶ ὁ νέος. Multa plura ad huius rei probationem afferrem argumẽta, nisi ista satis superque docere quod proposuimus, ipse persuaderet. Afferã tamen pro coronide absurdum quod sequeretur maximum, si animæ facultates aliquas aboleri recipiamus nempe natorum ex brutis & stirpibus animam minus esse perfectam, quàm eorum vnde manauit. Siquidem sperma, in quo vis procreandi inest, quodque animatum dicitur, eas omnes facultates potẽtia obtinet, quæ in genitore actu insident & exercentur. Quamobrem, si canis (exempli gratia) vbi iam crescere desiit, catulum gignat, quum in parente abolita videatur augescendi facultas, neque catulus augeri poterit. Imò neque exacte formari, quum semen accrescendi potentiam minime contineat. Vnde enim haberet, quod è corpore decessit, cui ea facultas adempta creditur? Quid quod neque fœcundum esse poterit semen vllum, si procreatricem vim emissis dentibus perire dicamus? Nam si à corpore abest, quæso sperma quod ab illo secernitur. Vnde vim gignendi accepit? Nemo dat quod

Gal.cap.5. lib.1. de semine.

quod nõ habet, vt vulgo dicere solemus. In nullo autem semine vim vllam contineri, quæ parentibus non insit, facta inductione prõptè colligitur. Neque verò eam procreatricẽ dici volo, quæ in adultis semen conficit, & in fœtus constitutionẽ exhibet (vt doctè annotat Fernelius) *Cap.3. lib. 5. physiol.*
sed quæ ex conuenienti materia corpus ei simile fingere valet à quo duxit originem. Hæc si desit adulto, semen quodcunque irritũ esse oportet: aut certe eo ex quo profectũ est longè perfectius: quod planè absurdum videtur. Non ergo pereunt, imo neque refranguntur aut hebetescunt, nullamque sui iacturam faciunt animæ cuiusque vires: sed integerrimæ & constantes animam ipsam perpetuò comitantur. Et de facultatum quidem integritate ac permanentia, huc vsque dicta sufficiant.

Supereſt vt spermaticas partes cæteris naturâ calidiores esse ostendamus. Dico, Naturâ, quoniam sanguineæ aliunde petitũ habent calorem, quũ vel ipse sanguis à Corde suum mutuetur. Spermaticæ verò insitum atque genuinum ex prima conformatione plurimũ, fortitæ sunt, quod variis argumentis cõprobare nitemur. Et primum quidẽ ex eo quod semen (illarũ materia) sanguine multò calidius sit. In hoc *Prima ratio.*
enim plus est igneæ substantiæ atque aëreæ, vt docet Galenus: in sanguine verò aqueæ terreæque. Porrò sanguinis ipsius portiones calidiores simul ac humidiores, in adipem magna ex parte abeunt: caro ex frigidioribus siccioribúsque *Lib.1. sanguine.cap.2.*

Universidad de Deusto
Biblioteca

que ac crassioribus gignitur & educatur. Proin de hanc frigidiorem esse opportet solidis partibus, quæ ex semine (sanguinis parte elaboratissima, multo calore & spiritu perfusa) originem ducunt: si verum est illud Galeni dictū, orta attestari suis principiis. Nam & mas iccircò fœmina calidior est, quia ex semine calidiore concipitur: & Cor cæteris partibus magis calet, quoniam ex seminis portione feruidissima constat.

Secunda. Sed & partium conformatio situsve id satis docet, quum ossa, neruos, & cæteras partes spermaticas videamus minutas diligenter atque opertas carnibus: ne, scilicet, insitum illud calidū à frigore circunstante offenderetur. Carnem verò exterius opponi frigoribus, nihil erat incommodi, quum de caloris iactura nō periclitaretur. Quē enim mutuatū habet, singulis mometis resarcire potest. Adde quod solidarum partium calor insitus summo studio conseruari debuit, vt qui sit præcipuū vitæ actionū instrumētum. Quin meritò in his temperamentum stabiliunt, quod vnà cū innato calido, ex primordiis nostræ generationis, in partibus solidis impressum remāserit. Nā ea ratione solidæ, & corporis habitus vocari solent spermaticæ, quod suam temperiem & caloré pertinacissimè retineant.

Tertia. Cæterùm illud maxime cōuincit, naturā calidiores esse partes spermaticas, quod à frigidorum occursu promptè lædantur. Frigidū (inquit Hippocrates) inimicum est ossibus, dentibus, neruis, cerebro, & spinali medullæ: calidū verò

Aph. 18. lib. 5.

verò vtile. Quid ita? Quoniam à contrariis contraria destruuntur, à similibus verò optimè cōseruantur. Ob id sanè cerebrum nudum ab ambientis frigore mox læditur: atque ναὶ μὰ λόον si excidat, necessario putrescit, vt scribit Hippocrates. Nimirum, quum natura sint calida, frigidorum cōmercium non patiuntur. Eadem planè ratione Cordis calor (quē plurimum atque vehementissimum esse cōstat) citius quàm aliarum partium caliditas à frigore extinguitur, vt ipse Galenus demonstrat. Aliter verò accidit iis quæ à naturali temperamento aliquantum declinarunt: nempe vt à similibus suæ intemperiei causis mox efficiantur, iuuentur autem modico contrariorum vsu, quod Galenus abundè mōstrauit. At spermaticæ partes naturā calidæ quū sint, nequeunt citra noxam frigus sentire, quin ceu maxime inimicum atque contrarium prorsus auersantur. Carnosæ verò, quod ad illud propius accedant, nō ita facile læduntur, & frigus aliquandiu sustinere possunt. Quid quod exanguiū spermaticarumve partium plæraque opera, vehentissimi caloris effectus esse, monstrare licet? In vesica lapides gignuntur durissimi: quod non nisi à calore feruentissimo accidere posse videtur. In renibus verò concreti, molliores & friabiliores deprehēduntur. Vnde colligas, acutiorem esse membranarum quàm partium carnosarum, vt renum, calorem. Nam & ventriculus ipse ex membranis cōstans, difficillima quæque conficit & elaborat, vt in struthio

Aph. 58. lib. 6.

Cap. 3. de vsu pulſ.

Lib. de arte parua.

Quarta.

Obiectio prima.

camelo etiam ferrum cõcoquere credatur. His si obiicias, Cor nullo refragante omnium viscerum calidissimum est, idémque carnosum: fatebor quidem plurimum carnis superpositum esse illius fibris, quæ sunt propria Cordis substãtia ex semine ortum habens, docente Galeno. Singulæ enim partes ex semine primum effinguntur: deinde quibus carne opus est, ea superinducitur, vt inanes capacitates quæ sunt inter spermaticas fibras, perinde ac stoebe, impleat. In fibris verò Cordis ineſt calor ille præpotens à quo etiam continuò princeps illud viscus agitatur, veluti flamma: eædémque motionis eius perpetuæ sunt instrumenta. Atque vt is calor diutius conseruari posset, caro fuit superposita pro integumento: quemadmodum vbi venæ portæ & cauæ rami conueniunt, περιχύματα illud carneum superinfusum est, ad fouendũ calorem natiuũ venarum, quarum peculiare opus esse ἀμετάπωτον, alibi docuimus. Sed rursum instabis: Nemo dat quod nõ habet. Si fibrę Cordis, & venæ hepatis ex carne superpositа magis incalescunt (nam ea nudatæ frigerent) inde sequitur carnem esse calidiorem subiectis partibus spermaticis. Respondeo, carnem superinductam non alio modo fouere calorem, quam vestimẽta quibus vtimur aduersus frigora. Hæc verò nullum calorem nobis impartiuntur, cùm nõ sint calida suapte naturâ: neque aliud quàm caloris nostri dissipationem prohibent, & ne ab externo frigore ipsi lædamur, sua crassitie atque

Solutio.

Lib. 1. de semine cap. 11.

Parad. 4. lect. 1.

atque densitate impediunt. Quod si calida sentiantur nobis superposita, vel recens spoliata, id à nobis accepêre: ideóque mox eum calorem amittunt. Non aliter sanè caro ipsa tepet, vel etiam calida sentitur, calore ab iis concepto quę inuoluit.

SOLA SVBSTANTIÆ similitudine attractionem, minime voluntariam fieri: non dolore, calore, fuga vacui, aut siccitate. Ad illustriss. Iurecons. D. BENEDICTVM PERRINVM, virum integerrimum.

PARADOXVM VIII.

EXPLICARE non possum, PERRINE doctissime, quàm sit mihi iucunda synceritatis tuæ, ac in me beneuolentię recordatio: in qua etiam occurrit mira in me redamando propensitas. Taceo animi dotes præcipuas, eruditionem variam, & in rebus agendis sagacitatem, quibus quum te grauissimis quibúsque viris vnicè cómendes, peculiari quadam gratia illustrissimi D. Io. CAMVSÆI, secretioris Regij consilij Scribæ fidissimi, amorem intrinsecum demeruisse potuisti, vt ei velut fidus Achates perpetuò sis à latere. Ea certè conditione vtrunque fœliciss imum esse iudico: illum, qui te præsente fruatur: te verò, quod tanto viro sis addictus, quę non minus prudentia & integritas, quàm sumi honores à principibus viris, principúmque præcipuo Rege nostro accepti, exornant. Iaxit Deus opt. max. vt quantum ambobus ex animo bene cupio, tantum accedat prosperitatis

tia. Sed iam ad id quod instituo. Quia noui te in abditis rerum causis haud segniter inuestigádis voluptatem capere maximã, eóque nomine παράδοξα nostra (quãuis tanto viro indigna) tibi arridere, mihi in mentem venit etiam gratũ fore, si nostræ amicitiæ aliquod consecretur. Ergigitur mitto de attractionis causa haud vulgarem controuersiam, in qua veterum & Græcorũ & Arabum medicorum δόγματα funditus euertere videor: licet tamen ex principiis ab iisdẽ constitutis, quinetiam eorũ sentẽtiis, παράδοξα mea confirmẽ Io. ARGENTERIVS, huiusce tẽporis philosophorũ & medicorũ celeberrimus & eorum qui syncere docent (absit inuidia dicto) facile princeps, istius quã tueor opinionis autor mihi fuit. Sed quod breuibus, & velut obiter (aliud scilicet agens) disserunt ARGENTERIVS ego fusiore disputatione exagitandũ putaui, vt variis à me excogitatis rationibus communem sententiam firmius stabilirem. Quantum verò ipse præstiterim, aliorum esto iudicium. Hæc mihi sat placebunt, si tibi vtcunque grata fuerint.

DOLOREM Attrahere, seu facere attractionem, hactenus dixerunt Medici ferè omnes, nõ animaduertentes quàm impropria locutione vtantur. Alij verò præ dolore, vel ex dolore, seu doloris ratione accidere, vt ad partem male affectam humores trahantur, emendatiùs se loqui putantes, affirmant. Quidam hoc tantum

proferunt, dolorem attractionis esse causam. Cæterùm omnes Attractionis vocabulo hac in re abutuntur, quum nulla sit per dolorem. At quicunque ipsi dolori attractionem cõcedunt, omniũ maximè hallucinantur. Nã, partem dolore tentatã humorum copiã attrahere maiorẽ quàm illi sit ex vsu, absurdum est dicere, vt mox docebimus. Dolori verò ipsi vim trahendi assignare, contra omnẽ philosophiã esse existimo. Id igitur primo loco expendamus, vt deinceps quidnã de hac re statuendũ sit, nobis vel vltrò sese offerat. Eo enim subuerso quod iãdudum fuit decantatum (axiománe an mendacium dicam, ambigo) promptum erit, diligenti facta inquisitione, rei veritatẽ elicere. Porrò dolorem non attrahere, Galeni autoritate initio statim monstrare possumus, vt iis satisfaciamus apud quos illa plurimi est momenti, cum aliàs, tum in hac potissimum propositione, quam ex Galeni monumentis excerptam volunt. Quippe multis in locis à dolore fieri attractionẽ scribit: atque dolorem non aliter quàm cucurbitulam attrahere. Verùm, huic nunquã venisse in mentem, vt dolori vim trahendi concederet, ex iis quæ subiũgam monstrabitur. Quod si quando huiusmodi locutione vsus fuerit, illud obiter ac impropriè dici putandum est, non vt attractionem dolori asserat. aut certe mentis impos, dictorumque immemor, sibiipsi apertè contradicit. Attamen excusatione dignus videri

videri potest, quod cùm plurima commentetur, nequeat vbique accurata dicendi forma vti. Id satis esse debet, si cum de industria, ex professo, & suo loco aliquid tractat, diligenter atque exacte illud excutiat. Atque ex talibus locis Galeni sententiæ mihi vsurpabuntur, quibus rei veritas confirmetur. Non enim sunt ea in medium afferenda, quæ variis in libris aliud agens scripsit, propriam locutionem negligens. Vt igitur Galenum huius nostræ opinionis fautorem (nisi etiam autorem) habeamus, quum de Attractione sit disputatio, quam de facultatibus naturalibus vnam esse constat (hic enim de voluntaria non agimus) quid ille de ea statuat, ex libris super hac re scriptis, non aliunde, proferendum examinandumque iudico. In his siquidem attractionis modos ac species definitè proponit, inquiens. Sed illud minime ignorandum est, duo esse tractionum genera: Vnum quod successione ad id quod vacuatur contingit: alterum quod qualitatis conuenientia fit. Hic nũllam vides fieri mentionem doloris, quem (opinor) minime omisisset, si existimasset ab eo quippiam trahi. At (dices) ex negatiuis per autoritatem argumentum nihil concludit. Quippe ex eo quod Galenus dolorem tacuerit, non sequitur hunc attractionis modum aliquem nõ constituere. Scilicet, id nondum infero: sed tantum Galeni sententiam minime fuisse, vt doloris vires trahendi assignaret, quum tale genus tractionis omiserit, vbi ex professo de hac re disserit,

Lib. 3. de fac. nat. c. 14. & 15.

Galeni autoritas

Universidad de Deusto
Biblioteca

serit, eademque sæpius reperit. Et (quæso) si hoc aliquando voluit Galenus, qua ratione probauit? A tota substantia, seu temperamento, & familiaritate quadam, vel (vt citato loco dicit) qualitatis conuenientia, partes nostri corporis omnes sibi congruum alimentum allicere, concedimus atque recipimus. Trahendi facultatem à Natura datam esse viuentium omnibus particulis, assentimur: eamque in primarijs nostri corporis partibus, quæ toti functionem communem obeunt, villorum seu staminum rectitudine exerceri: in alijs verò, quibus minor vis sufficiebat, solum temperamentum calore natiuo impulsum, satis fuisse ad faciendam similium attractionem. Ab hac diuersa non est, quæ in magnete & succino apparet vis, quorum alterum paleas, alterum ferrum ad se trahere, nó alio instrumento quàm insito calore, proprioq; temperamento valet. Porrò eiusmodi attractionis speciem nemo non admittit, quum vel experientia constet. Attractionem verò propriè dici eam actionem, manifestissimum est: siquidem motio est rei alicuius ad id quod violentius est. Eam autem vim seu violentiam habet quodcunque trahit, ab insita sibi facultate, quæ à forma (vnde principium motus) manare videtur. Proinde sanè attractionem propriè non dicas, vbi quippiã loco mouetur, & ab alio transfertur, nisi eius actionis quispiam finis constituatur. Nam in rerum natura nihil frustra fit, sed alicuius gratia fiunt omnia: vnde mirabili prouidentia regi deprehenduntur. Eum verò finem Galenus elegantissimè explicat, dum inquit: Nihil est in rerum natura quod trahat, δι' αὐτὸ τὸ ἕλκειν, id est propter ipsum trahi, siue trahendi functionem, imò vt eo cuius per tractum fit compos fruatur. Quæ sententia notatu est dignissima, vt circa quam tota hæc quæstio vertatur. Neque enim recipimus attractionem propriè dictam iis competere, quæ non fruendi quadam necessitate aut desiderio, aliquid mouere, & veluti allicere creduntur. Quid enim concedam calorem multum sanguinis ad partem inflammatam attrahere: cum neque vtendi, neque fruendi gratia id possit efficere? Quomodo ex sanguinis copia reficitur calor extraneus, qui est præter naturam? Eadem ratione profecto neque vacuum propriè attractionem facit, (quamuis à Galeno vnum ex attractionis generibus constituatur) quum affluente humore non fruatur, vt neq; siccitas, vel aliud quoduis accidens. Quis enim dicat substantiæ alicuius desiderio teneri, dolorem, calorem, vacuum, aut siccitatem, quum nulla sit inter hæc conuenientia? Neque verò est quod respondeas: non ipsa accidentia, sed iis subiectas substantias, horum occasione facere attractionem. Quippe (vt Galeni fundamento insistamus) si nihil trahit nisi quod attracti appetitione fertur, eoque præsente frui potest, cur pars dolore aut calore lacessita humoris tantum colligit? Nunquid pars calefacta, vel dolens multum sanguinis

Idem quod succinum præstant gemmæ omnes diaphanæ, vt experti sumus.

Lib. 3. de fac. nat. ca. 6.

Universidad de Deusto
Biblioteca

guinis appetit ad vsum vel fruitionem? Quin potius contra accidit, vt vitiata ex morbo temperatura facultates imbecillius agant. Temperamentum siquidem facultatis naturalis adeò conueniens est instrumentum, vt ex eo robur actionum pendere, illiúsque perfectio harum bonitatem atque excellentiam facere, dicatur. Contra omnis dyscrasia aliquam ex facultatibus, tandemque omnes, labefactare videtur. Quamobrem absurdissimum est, vim tractricem valentiorem fieri asserere, dum calor præter naturam adauctus est. Idem sentiendum de dolore, qui partem diuexans, illius facultatibus insigniter obest, si quid aliud. Vnde membra dolorem perpetientia, nec satis attrahunt, nec retinent, neque alimentum conficere possunt, neque superflua excernere: sed languent, perperamque nutrita sensim contabescunt. Affluit quidem per dolorem humoris copia, sed non trahitur: atque ob id non nutrimento, sed oneri & impedimento maximo esse deprehenditur. Nam vt substantiæ deperditæ fiat instauratio, humorem exiguis admodum portionibus, & longo tractu ad partem allici oportet, nó ἀθρόως & abundantius ferri: vt triplicis substantiæ dissipationi, quæ pedetentim ac insensiliter accidit, respondeat. Non est igitur trahentis particulæ actio, tantus humoris impetus, qui præ dolore & calore commoueri solet, quum in eo statu langueat magis quàm valeat trahendi facultas. Et vt suprapositio axiomate istud fulciamus, si nihil

nihil attrahit nisi vt attracta re perfruatur, cur tantum humoris pars dolore vel calore tentata accersit? Nunquid tunc copiosiore indiget alimento, quàm per sanitatem? Haud equidem id recipiemus, cum pars ægra minus rectè quàm sana concoquere valeat, proindeque partiore sit contenta cibo. Neque enim potest solitam quantitatem conficere, tantum abest vt maiorem desideret. Idem planè accidit partibus afflictis, quod imbecillo corpori, vt vestimentorum ac stragulorum pondus assuetũ ferre nequeat. Sic ventriculus imbecillior factus ab ea ciborum copia maximè grauatur, qua multó maiorem sanus expostulabat. Quippe dum sunt imbecillæ partes, ne quod iustum est ferunt, vt de vulneratis scripsit Galenus. Ideoque vasa inanire, & totum corpus emaciare inediâ cogimur, ne solita sanguinis quantitas parti affectæ concedatur à reliquis. Atque id pro parte dolente tantum responsum esto. Nam forte calorem seorsim istud efficere, affirmabis. Dum enim (dices) perpetuò absumit & dissipat quod influit, quandam necessitatem adfert particulæ vt copiosius alimẽtum trahat. Verùm quia non tantum humoris consumere valet, quantum cuiusque partis robur exoluit, nulla fieri potest huius ratione solito maior attractio. Supersunt duo enucleanda, siccitas videlicet, & fuga vacui. Quod ad illam attinet, per absurdum videtur siccitati vim trahendi concedere, quam calori denegauimus. Hunc siquidem verisimilius

Lib. 3 met. med. cap. 4.

SICCITAS.

est

Universidad de Deusto
Biblioteca

est ad adtractionem pertinere, quàm aliam quamuis qualitatem: quum experientia monstret ἐπισπαστικὰ (vt vocant) medicamenta esse calida, & καθαρτικὰ omnia non obscuro calore prædita sentiantur, quo attractionem iuuari, si nonperfici, omnes putant. Adde quod ignis ex linteis madentibus humorem extrahere videtur. Quæ omnia in calore vim attrahendi conspicuam magis esse, quàm in nuda siccitate, demonstrant. Porrò, si ei quod magis inesse videtur, non ineſt, neque ei cui multo minus verum istud mox discutietur, num (inquam) siccitas partis alicuius vim tractricem ad vehementius opus, necessitate inducta possit excitare. Est siquidem naturalis appetentia viuentium partibus singulis donata, quæ facultatem ad agendum promouere solet. Siccitas verò ex ἀτροφίᾳ sequitur. Vnde fit vt coniiciamus, particulas necessitate quam inducit nimia exiccatio adactas, ad maiorem attractionem irritari. Sed quum siccitatem immodicam, seu præter naturam adauctam, hic proponamus, omnis verò intemperies nata sit facultates (quæ integræ & perfectæ subsistunt in quàm exacta temperie) labefactare, iccircò à siccitate fieri valentiorem attractionem non admittimus. Quid quod in plærisque inanimatorum exercere videas hanc quam illi vocitant attractionem, vt in terra & lapidibus exiccatis? Etenim videas fluuiorum ripam supra aquæ altitudinem madere, quamuis paulò ante non fuerit eminentior vnda. Et in

in hortorum riuulis aqua transfluens, ab circumiacentibus terræ partibus exugitur. Eodem pertinet tritrici exemplū à Galeno propositū, quod humorem in se per fictilia trahere dicit. *Lib. 1 fac. nat. ca. 14.* Quæ quum ita sint, hoc alia ratione accidat oportet, quàm vi tractrice: siquidem eam vitæ expertibus non concedimus, si excipias quam substantiæ similitudo facit, qualis magneti succino que insidet.

Supereſt vnica vacui fuga, quæ Galeni testimonio attractionem facere videtur: cui opinioni ratio aliqua ex parte suffragatur. Cùm. n. pars inanita fuerit, & seu benigno, seu inutili humore priuata, alium confestim succedere par est: sin minus, aërem, aut aliam denique materiam, quæ vacuum fieri prohibeat. Ob id quoque vis attractrix concitari videtur, vt quod exhaustum fuit impleatur. Ex quibus inferas, esse verum quod paulò ante ex Galeno citauimus, vnum ex tractionum generibus esse, quod successione ad id quod vacuatur contingit. Atqui facile istud redargui potest: quum si humorum solito maior fiat affluxus quoniam trahuntur, sit necesse aliquid vim trahendi auxisse. Quî. n. plus attrahet, nisi trahendi facultas valentior euasit? Ast omnis euacuatio præter naturam facta, solet vires exoluere: tantum abest vt attractricem reddat efficaciorem inanitio. ac proinde consequutio ad id quod vacuatum est, attractionem non efficiet. Sed cur attrahet, si attracto non perfruatur? eò. n. perpetuo nobis est FVGA VACVI

est redeundum. Dices, facta inanitione membrum sibi attrahere, vt restituat quale fuit deperditum, vtaturque materia in locum inanitum succedente. Quam interpretationem licet admittam, non tamen inde concluditur, quandam attractionem fieri fuga vacui. Nam quando humores à parte exhausta, vt expleatur, allici prononciamus, id ex proprietate illa recondita (quam substantiæ familiaritatem vocant) perfici putamus. Ea.n. dotatæ partes singulæ alimẽtũ ad se trahere maximè propriè dicuntur: atq; in hoc Attractionis appellationem admittere soleo. Vnde colligas, partes non idcircò trahere vt vacuum præoccupetur, quum ratione prorsus careant, nec sint de Naturæ prouidentia vsque adeo sollicitæ, vt vacuum effugere cupiant. Ipsæ sibi attrahunt inanitæ, vtendi & fruendi causa, scilicet, non vt inane præueniant. Quamobrem vacui fuga attractionem minime efficit, neque trahendi vim excitat, sed tantum sensus ille inanitionis à natura insitus, quo etiã plantæ sunt donatæ. Ad vacuatum autem spacium corpus aliud ex necessitate succedit: atque verius succedit, quàm trahatur, vt paulò post fusius explicabitur. Quinimo fugam vacui non facere attractionem, manifeste probat sequens experimentum. In cyphum aquæ plenum tubus aut fistula in arcum vel angulum flexa altero extremo immittatur, ex altero incluſus aër sucku extrahatur: illico profluet aqua, nec fluere cessabit donec vas sit inanitum. Eiusmodi vacuationem

Hinc dissi se videtur Plato, sinsu præditas esse plãtas.

tionem fieri fuga vacui, rectè dicũr. Nam quum exhausto aëri succedat aqua, neq; ea possit pendula in fistulæ declivo sisti, continuo excidat necesse est: & quia Natura vacuum nõ patitur, alia mox sequitur. Sed à quo (quæso) traheretur, quum vacui fuga sit veluti quædam priuatio, & nullibi existat. Quod verò non est, quid agere potest? Itaque successio potius dicatur ea continuatio. Attamen cum ore sugitur aër, attractio quædã esse videtur, sed re vera nõ est: liquidem inspiratio fit aëre in dilatatos pulmones subeũte, ne detur vacuũ, vbi musculorum thoracis opera factum est amplius spacium. Proinde si aëris ingressum per nares atque os fieri solitum, prohibeas, neque torax dilatari, neque pulmones expandi poterunt. Quinetiã confosso thorace, vbi par vulnus aër libere subintrat, pulmones quiescunt, nulla expansionis necessitate. Cæterùm non semper est necesse, vacuatu locum aliud sua consequutione replere. Si.n. considat vas, & lateribus vtrinque prematur, spacium à parciore quàm prius materiæ quantitate sufficienter occupabitur, vnde fit, vt nonnunquam citra vllum vacui periculum, sistatur fluxus eius materiæ, quæ consequutione quadam euacuabatur. Ex his manifestũ esse puto quàm impropriè fluxum omnem attractionis effectum esse censeant: quasi nihil moueri queat, quod non trahatur. Atqui plurima excerni solent, quæ à nullo trahuntur, vt lotium à vesica, & bilis in intestina deiicitur. Quid quod materiæ quædã

ex sese tantum mouentur, neque attractæ, neque expulsæ, vt vapores? A seipsis ad motũ insurgunt excrementa, inquit Galenus, si vel calefiant, vel extenuentur, vel in spiritũ degenerẽt.

Lib 2. de caus symp cap.7.

Sufficere opinor, quę de vacui fuga diximus, ab ea minimè fieri attractionẽ docentes, & qui fiat vt per quasdam innanitiones, humorũ confluxus accidat. Iam itaque aliorum effectuũ causas inquiramus, vt explicemus cuiusnã ratione pars dolens, vel impensius calefacta, fluxiones commouere dicatur: & cur præ siccitate largior excipiatur humiditas. Siccitatem.n. non attrahere in superioribus dictum fuit: quod etiam confirmat experientia. Partes siquidem tabidę multò infelicius quàm molles & succulentæ attrahunt: qua ratione fit vt seniores pessimè, infantes verò lautissimè nutrimento perfruantur.

SICCITAS.

« Optimè enim aluntur calida & humida corpora, inquit Galenus, quando quidem celeriter alterant, & alliciunt ad sese alimentũ, mox in intimis partibus reponunt, deinde assimilant. Pessimè omnium frigida & sicca. Neque enim alterare possunt, neque suscipere, neque apponere, neque assimilare. Ast in vitæ expertibus, quæ non attrahendo, sed tantum excipiẽdo humectãtur, euidentius erit siccitatis opus, vel passio, vt verius loquar. Terra siquidem aut lapis, multum ex vicino liquore madescit, non quia traxit, sed admisit duntaxat. Valdè.n. sicca rariora sunt, quoniam ea carent humiditate quæ prius densiora efficiebat. Ideóque accidit, vt terra etiã lon

Lib.3. de symp. caus. cap.3.

longius dissita ab aquæ riuulo, madeat, quod illam ex facili permeet humor raritate exceptus, qui sese insinuãs quaquauersum illabitur. Cùm verò maduerit terræ pars vicinior alueo, quæ proxime ad illam sequitur humoris portionem aliquam inde mutuatur: idque deinceps ad certam vsque distãtiam fieri perseuerat, nõ ad infinitum procedit. Cùm enim diluræ admodum fuerint terræ partes quæ canalẽ attingunt, deinceps non absorbitur humor, sed totus per canalem vlterius defertur, neque hac, neque illac diffluens. Eadem ratione fit vt lapides quicunque sicciores fuerint, humoris plurimum excipiant. Sicciores verò mihi dicuntur, non qui duritie præstare videntur, sed qui friabiles ac tenero deprehenduntur. Tales enim sunt, quibus parum ineſt humoris viscidi terrenas partes agglutinantis. Eiusmodi est etiam calx, quæ in puluerem facilè reducitur, & humoris multum ebibere videtur. Duriora verò vt marmora & gemmæ, non parum habent viscidi & crassi humoris, quo aridæ partes mutuò coalescunt, & tenacissimè agglutinantur. Vnde compacta admodum & densa, liquorem alluentem non admittunt. Sit fluuij ripa ex marmoribus cõstructa: madebit quidem ea superficies quæ humorem attingit, interiora verò non subibit humiditas. At lapis mollior seu tenerior, (qui verè siccior est, vt prædiximus, haud aliter quàm vsus lapis non vsto) præ raritate liquorem multum suscipit. Hic enim sua sponte inania spatia

Universidad de Deusto
Biblioteca

(quæ aëre tantum plena sunt, ita vocari solent) aëre fugato subit. Madefacta verò iam parte vna, quæ illi continua est facilè à simili qualitate afficitur. His hoc modo explicatis, obiectio præ occupatur: quî fiat vt, si aqua sponte per raritates illabitur, nonunquam madeat ripa ad duos vel tres palmos supra vndæ altitudinem. Nó enim sursum grauia feruntur citra violentiã, quæ aut fuga vacui, aut attractione accidere solet. Aſt in re proposita nullum est vacui periculum: siquidem aëre plena fuerunt spacia, quæ nunc occupat humor. Nulla verò necessitas illum cedere coëgit, sed sola aquæ impulsio. Sola igitur vis attractrix in siccitate pollens eo humorem promouit. Cui dubitationi vt satisfaciamus, repetendum quod initio fuit propositum ἀξίωμα: nihil in rerum natura trahere, nisi vt fruatur eo quod attraxit. Verum quænam fruitio esse potest, eius quod planè contrarium & inimicum existit, vt humiditas siccitati? Quod si corpus siccius redditum valde attrahat, id facit qua ratione appetentia magis afficitur: allicit verò, nõ siccitate ipsa vtens, sed similitudinis fauore quodã & iure amicitiæ. In iis autem quæ non trahunt, humor etiam partes superiores permeare videtur, quum in proximis concepta humiditas, cæteris vndiquaque ex contactu communicetur. Ergo sicciora corpora humoris plurimum excipere, at non siccitatis ratione attrahere, possunt. Calor verò quid præstet, dum attractionem efficere falsò creditur, non difficile est asse qui,

CALOR.

qui, ab externis rebus inita ratione. Solem aqueas humiditates in vaporem attenuatione conuersas, ad se trahere sursum versus, indéque pluuiam gigni, dicũt philosophi ad vnũ ferè omnes: quorũ nonnulli, qui alimento egere astra putarũt, sibi eiusmodi materias allicere dicere non sunt veriti: aſt talis opinio iandudum à Peripateticis fuit refutata. Sed neque ij loquuntur propriè, qui dicunt Solem vapores attrahere, quum sponte sua sursum ferantur, præ leuitate. Sol autem non nisi vapores ipsos suscitat, calefaciens attenuánsque: haud aliter quàm ignis leberi suppositus multos vapores ex contento liquore nõ extrahit, sed producit. Si enim traheret, deorsum vbi est ignis ferrẽtur. Et cum madidi panni exiccantur, non ignem versus lateráliter promouentur vapores, sed recta sursum veluti pannum lambentes. Eadem propemodum ratio est de iis medicamentis quæ ἐπισπαστικὰ vocitantur, quasi attractionis aliquam vim haberent. Ea verò sunt de resoluentium siue discutientium (Græci διαφορητικὰ appellant) genere, valentissima: vt quę non modo poros suo calore maximè dilatent, sed etiam humores dissoluant & in vapores halitúsque cõmutent, hi verò insita leuitate per ampliores factos meatus in sublime feruntur, iunguntúrque ambienti. Succedunt verò exhaustis humoribus alij, ne detur vacuum, quandiu vis medicamenti valdè calfaciẽtis, partẽ rarefacere, & poros magis atque magis dilatare perseuerat. Vnde ex alto cor

Universidad de Deusto
Biblioteca

pore extracti videntur, qui sponte eo cõtinua successione perueniũt: Huic simile nõ est (quod tamen quis fortè existimet) successionis genus coactũ à medicæ cucurbitulę vsu: cuius euentus causam eiusmodi assignant. Quia incluſi aëris aliquam portionẽ absumpsit flamma, ne vacuũ accidat cogitur etiam caro illi succedere. Quòd si ea ratione fieret, nõ sensim, vti videmus, sed affatim spatiũ occuparentur. alioqui vacuũ aliquanto temporis curriculo interueniret. Siquidẽ momento fere à flãma aër fuit depopulatus: caro autẽ lentè admodũ succedit. An potius dicendũ, vaporẽ in vase incluſum istius successionis causam esse præcipuã? Quũ. n. paulatim in aquã conerescit ad cucurbitæ latera, quę tenuibus guttulis perfusa videntur, incluſi aëris magna fit consumptio. Multũ enim vaporis, in pauca humoris copiã degenerat: quũ aër decuplo tenuior & laxior aqua cõstituatur. Dũ illud sensim fiat, sensim quoq; succedit caro, & vacuum præoccupat.

DOLOR. Reliquũ est, vt quem admodum à calore, siccitate, & fuga vacui humores locũ mutare, non tamen attrahi, docuimus, & qua id ratione fiat explicauimus, postremo etiã quo modo præ dolore humorum defluxiones frequentissimę excitentur (quod experiẽtia docet) expendamus. Plærique omnes transmissionis huius causam statuunt, naturæ irritamentũ, quo ad partẽ dolore lacessitam vndequaque humores (potissimum verò sanguinẽ) cum spiritu & calore mandat, velut auxiliares copias, ad rei molestãtis expulsionẽ, ac membri solatiũ. Hæc enim est quędam ratio cõmunis (inquit Galenus) in quibus natura aliquid violenter excernit, vt eò sanguis & spiritus impetu ferantur: quibus duobus veluti instrumentis natura vtens, ea quæ infestant per vim expellit. Hac ratione igitur & dolentibus partibus inflãmationes adueniunt, natura excernere atque expellere causam doloris properante: vt verò hoc faciat, sanguine & spiritu locum impléte. Verum, quid iuuare potest, quod morbũ adauget & exasperat, tensionẽ facit maiorẽ, & φλόγωσιν accẽdit magis, omniq; ex parte intensiorẽ dolorem excitat? Aut quare medici per initia morborũ, defluentes materias omninò repellere conãtur, si parti dolore affectę illæ sunt profuturæ? Quinimò nisi prohibeatur ac coërceatur sanguinis irruentis copia, nõ tardè phlegmoni succedit gangręna, & (quæ extrema est corruptio partis) sphacelos? Dices, partiũ eam esse conditionẽ, vt cum nulla ratione vtantur, natiuo tamen quodã incitamento aliæ aliis prodesse studeant. Proinde non mirum, si dum ignaræ cæteras iuuare cupiũt, obsint. Atquinõ ratione tantũ, sed optimo etiã iudicio prædictas esse oporteret, si mutua amicitia deuinctę forẽt. Equidẽ singulæ nostri corporis partes, quod sibi cõueniẽs est à natura didicere: aliis verò vtilia nesciũt, neq; φιλίαν (moralẽ virtutẽ dignissimã) exercẽt, qua tamẽ prędictas esse deceret, si aliarũ cura tenerẽtur. Fateor naturã sic partes omnes instruxisse, vt quũ ratione nulla vtantur, videantur omnia ratione quadã efficere. Aſt hic

Com. in aph. 53. lib. 5.

Universidad de Deusto
Biblioteca

nulla est transmissi humoris cõmoditas, quin potius noxa, quum & grauiora succedant ſymptomata, καὶ τὸν τελευτῶντα immineat periculum. Non igitur eo mittuntur humores, vt dolenti parti auxilium ferant: aut non modo frustra, sed prorsus temerè id Natura instituit. An potius dicendum, à partibus ipsis dum sese contrahunt ad rei noxiæ expulsionem, humores excidere, atque partem versus in quam propellunt, transmitti. Ea fuisse videtur Galeni sententia, dum inquit: Vna est naturę facultas, quam excretoriam dicimus. Ea suo munere tum fungitur, cũ « triste aliquid sentit. Vnum verò quiddam est, ex « iis quæ eam contristant, ipsa quæ dolorem excitat causa, quæcunque ea sit. Hanc igitur eiicere « dum properat, phlegmonem interdum in parti- « cula cõcitat. Cùm enim primis suis conatibus « nihil profecit, vehementius agressa quod infe- « stat expellere, sanguinis aliquid & spiritus ex « superpositis partibus in afflictam simul exprimit. Atq; hinc fit, quod ex dolore particula pro « portione confluentis in eam humoris, in tumo « rem attollitur. Scilicet dũ particulæ seipsas colligunt, vt in causam doloris impetum faciant, in uitis elabuntur sanguis & spiritus, nõ ab iis ad partem ipsam dolẽtem ex industria mittuntur. Id magis conspicuum est in partibus quæ fibrarum opera suas facultates exercẽt. Per transuersas enim, quibus expellunt, coarctatis, dũ angustiores fiũt, materiæ contentæ solent excidere. Haud aliter quę solo temperamento ad omnes facultates vtuntur, expulsionem seipsas colligentes & veluti compressæ, absoluunt. Hinc quoties humorem defluentem repellere volumus, astringentia solemus adhibere, quibus coacta pars multo efficaciùs à se nocentia reiicit. Non enim medicamentorum, sed Naturæ medicamentis adiutæ, opus est repercussio. Dum itaque partes, ceu collectis viribus sese contrahunt, quæcunque fluxilia iis obuiam fiunt, etiam profutura, deiiciunt: quin potius excidunt & elabuntur, quæ nec qualitate, nec quantitate alioqui facultatẽ lassebant. Quamque minimum momentum vim expultricem huc vel illuc impellat, vt inquit Galenus, facillimè in partem præcipuè affectam vniuersi confluunt humores. Quippe à superioribus vndiquaque transmissio fit, remotioribus quoque ex consensu affectis, atque dolorem patientibus. Iis verò quos iam continebant effluxis humoribus, alij succedunt: qui quandiu perseuerat dolor, assiduo particularum nixu in ægrotantem locum exprimuntur. Est quidem inanis ac irritus expeliendi conatus, quum quæ dolorem infert causa (seu intemperies, seu continui solutio fuerit) ea ratione tolli nequeat: sed quod agere natæ sunt partes, nullo præditæ iudicio, id satagunt. Ad hunc fere modum ex incisis venis elabitur excernitúrve (non, vt vulgo dici solet, extrahitur) sanguis. Quum enim vulnus dolorem inferat, compressæ multum sanguinem effundunt, quia multum continent. Venas autem

Lib. 13. meth. cap. 3.

Lib. 3. facult. nat. cap. 13.

Universidad de Deusto
Biblioteca

Lib.1.de loc.aff.cap. 2.

& arterias dolorem sentire, Galenus apertè innuit, scribens, Quando ingens in hepate inflammatio oritur, aut vbi ipsum est induratum, dolor qui tunc iugulum in dextra parte infestat, « cauæ venæ magis quam membranarum tensionem sequitur. Et paulò post: Proprius arteriæ « venæque dolor, extensæ secundum longitudinem corporis veluti chordæ cuiusdam, speciem

Lib.de imæq.intemp.cap. 3.

« reffert, nullam grauitatem inducens. Et alibi: In phlegmone (inquit) omnes particulæ, & omni ex parte incalescunt, humore perfusæ: ante om« nes arteriæ & venæ, quæ scilicet primæ & præ« ter cætera vario dolore afficiuntur. Hanc sententiam confirmare videtur, quod febricitantes permulti sentiunt, præter totius corporis lassitudinem (quæ phlegmonodes dici queat) etiam lumborum dolorem molestissimum: ex venæ maioris distentione, opinor, quam vapores copiosi ex callefacto sanguine geniti efficiunt. Ast

Lib.16. cap.12.

Galenus sibiipsi palam contradicit, quum in lib. de vsu partium doceat, venas & arterias cuiusque partis sensus omninò expertes esse, siue illas frangere velis, siue vrere, siue incidere, siue laqueis excipere. Quæ si vera sunt, profusionis sanguinis alia quærenda est causa. An licet dolore minime afficiantur, compressa tamen vasa in vulnus materias suas emittunt? Siquidem omnigenis villis donata, vt ἀνάδεσμα strenuè perficiant, transuersos (quibus valent maximè) potissimum exercent: dumque materias contentas arctiùs complectuntur, & circa eas sese constrin

stringunt, si quæ via patefiat, inde mox erumpit humor: neque is fluere cessat, donec maiore ex parte inanitum vas, contentam materiam amplius non premat. Hinc chirurgi in phlebotomia vinculis vti didicere: quæ initio quidem vt venæ turgentes magis appareant, conueniunt: deinceps verò, vt adaucta compressione sanguis effundatur. Quippe si ligaturam penitus soluas, illico sistitur, nisi longè maxima fuerit vasorum repletio. Simili modo arteriæ persysto len duntaxat (quæ illarum est contractio) sanguinem eiaculantur, & per vulnus exprimunt. nempe dum strictiùs contentum humorem premunt, is qua data porta ruit.

Ex his manifestum esse arbitror, dolorem neque trahere, neque attractionis causam esse: quum quod præ dolore accidit, expulsio magis dici mereatur. Galenus dum accuratiùs loqui studet, omnem dolorem fluxiones commouere scribit: & nihil magis quam dolorem profluuia proritare, phlegmonásque augere: nec non dolorem inflammata exacuëre & irritare, fluxionibúsque occasionem præbere. Quæ quibus modis accidant, nobis est abunde explicatum. Igitur, quum neque dolor, neque calor, nec siccitas, nec vacui fuga trahendi vim habeant, aut tractionis alicuius sint causæ, vti demonstrauimus, vnica supereſt totius substantiæ similitudo seu familiaritas, quæ sibi conuenientia potest allicere, vt iis tandem perfruatur. Is.n. est attractionis finis, quo res naturâ constantes

Lib.artin medic. cap. 95.
Lib.5.met. med.cap.
Lib.1.de comp.med. ac.3.

ad

ad attractionem mouentur: quum nihil sit in ea rum natura (vt veriſſimè pronunciauit Galenus) quod trahat δι' ἀυτὸ τὸ ἕλκειν, ſed vt eo fruatur vtaturve, cuius per attractionem compos euaſit.

ME

MEDICAMENTA CATHARTICA humores è corporibus noſtris minimè attrahere, ſed potius fugare & expellere, atque ἀντιπαθείας verius quàm συμπαθείας opus ſuum perficere: eodem modo & plæraque alexiteriorum, quæ venena extrahere falsò dicuntur: nec eſſe quæ ſurculos, aliáve corporibus infixa extrahere poſſint: Ad D. HIERONYMVM CHAMBONEM, *Medicum, & Philoſophum perſpicaciſſimum.*

PARADOXVM IX.

IACIAM VT ROGAS, CHAMBON amiciſſime, nuper excogitatam de medicamentorum actione παραδοξωτάτην opinionem meam, in lucem, prima quaque occaſione emittam: quæ ſi periclitetur, in te omnem culpam ipſa reiiciat. Equidem nolim tibi, viro humaniſſimo & mei amantiſſimo, in adeò leui honeſtáque petitione abnuëre, cui quantum debeam lubens agnoſco. Verùm, ſi quis illam parum elaboratam atque fulcitam aggrediatur, erunt tuæ partes velut clientem defendere. Huius enim eius totum in te transfero: quo nomine (certo ſcio) mihi ſum

Universidad de Deusto
Biblioteca

ſummam gratiam eſt habitura. Nam quid illi poterat fœlicius contingere, quàm omnium fauore deſtitutæ, tantum nãſciſci patronum, ſi cui animus ſit illam oppugnandi? Sed ne videar longiore proœmio, vel ingratum donum nimia quadam ſolicitudine velle commendare, aut etiam exprobrare, en ſtatim ad rem ipſam venio: præfatus, hoc, ſi non aliud conferat, ſaltem amicitiæ noſtræ perpetuum fore monumentum.

MEDICAMENTA purgantia, humores naturæ ſuæ conuenientes, ſubſtantiæ quadam ſimilitudine attrahere volunt. Ego verò contra, diſſimilitudine ἀντιπαθείας efficiente fugare & abigere, contendo. Si enim naturarum conformitas in iis attractionem facit, quæcunque maiore vi purgabunt, ea magis familiaria cẽſebuntur. Quid ergo obſtabit quo minus alimenta euadant, quum ad humorum conditionem proximè accedant, humoribus verò ipſis nutriamur? Atqui contrarium accidit, vt imbecilliora quæque ſi à corpore noſtro vincantur, nec purgare poſſint, fieri alimenta credantur. Fortiora vero, in iuſta ſaltem quantitate, alendo corpori non cedunt, quum tamen ſub maiore copia ſimilis qualitatis plus ineſſe debeat. Quid quod alimenti & medicamenti nullum erit diſcrimen, ſi medicamentum humoribus quos trahit ſimile ſtatuatur: niſi forte velis, naturalibus quidem humoribus alimenta, depraua-tis verò medicamenta eſſe ſimilia. Aſt hic quæſo: nun-

Ratio prima.

Secunda.

nunquid ex cibis praui humores immediatè gigni queunt, vt ex oleribus porracea bilis, & ex cucumeribus excrementitia pituita? Sic enim non minus cum prauis, quàm cum laudatis humoribus, cibis conueniat. Vnde colligas, medicamenta quoque, ſi iiſdem prauis humoribus ſimilia ſunt, non multum diſtare ab alimentis. Nam quæ in tertio conueniunt, inuicem conuenire dicuntur. Præterea, ſi medicamenta humores trahunt, iiſdem fruantur oportet: atque vel nutriantur, vel delectentur ſaltem, quum nihil in rerum natura trahat δι' αὐτὸ τὸ ἕλκειν, ſed vt eo fruatur cuius per attractionem fit compos, vel autore Galeno. Atqui humoribus noſtris minime ali χάρμακα certum eſt, quum nihil quod vita careat nutriatur. Quod ſi delectari poſſint, quemadmodum ferro magnes, & feſtucis electrum, in quibus iſta diutius ſeruantur integra (quaſi iis præſentibus multò minor fieret illorum ſubſtantiæ diſſipatio) ſcammonium bile immergendum eſſet, & agaricus pituita obruẽdus, nec non aloë (quæ ἐκκοπρωτικὴ dicitur) ſtercoribus inuoluenda, vt ad plures annos eorum vis illæſa conſeruetur. Quæ ſi prorſus inepta, atque inaudita videantur, mirum eſſe deſinat (ne dicã abſurdũ) quod nos aſſerimus, nullam medicamẽtis purgantibus eſſe cum illis humoribus ſimilitudinẽ. Nam quod aliquis poſſet obiicere, à veſica fellea bilem, & ab vrinaria ſerum attrahi, quibus minime perfruantur, aut nutriantur, vt volũt, alio paradoxo abũde explicauimus.

Tertia.

Lib. 3. de facult. nat. cap. 6.

Universidad de Deusto
Biblioteca

Quarta. mus. His adde, quod si medicamentum attrahit, humores ad sese alliciet, vt eò rectà ferantur vbi est φάρμακον. At sæpe obseruauimus, à pilulis assumptis purgationem per inferiora eximiam fieri, cùm tamen pilulæ à ventriculo non discessissent. quippe tandem integræ vomitu reiectæ visæ sunt. Et non rarò potiones haustæ paulò post euomuntur: neque tamem purgatio sit irrita, aut sursum feruntur humores, sed quàm plurima deiiciuntur. Atqui totam euacuationem per os fieri oporteret, si trahit medicamẽtum, vt ipsum trahens sequantur humores. Quid igitur de hac re statuendum nobis est? An quod initio proposuimus, καθαρτικὰ certis humoribus prorsus inimica, eos ἀντιπαθίας quadam persequi: vt eo nomine generi humano salutaria, θεῶν χάρμα nuncupari meruerint. Sunt enim eiusdem naturæ cum ἀλεξιφαρμάκοις, quæ (vt ipse Galenus docet) mediam conditionem sortiuntur inter corpus & venenum: ita vt quæ ad nostram naturam propiùs accedunt, imbecilliora sint: quæ verò magis ab ea recedunt, fortiora & nocentiora. Est enim planè eadem ratio purgantium medicamentorum: siquidem nonnulla sunt adeò imbecilla, vt in ipsos humores nonnunquam degenerare credantur: scilicet cum purgatio ab iis non perficitur. Valentiora autem non multum à deleteriis absunt: vt quæ habentur validissima, venenosam qualitatem sapiant. Hinc illud Mesuei: Quantò medicamentum est temperamento hominis medio pro

Lib. 5. simp cap. 18.

Cap. 1. lib. canonum.

propinquius, tantò salubrius: quantò remotius, tantò malignius. Quod si qualitatibus his à media hominis temperatura extremè recedat, venenum potius est dicendum quàm medicamentum. Sit igitur φάρμακον generis nomen, ipsumque velut medium quoddã inter nocens venenum & corpus, aut (si mauis) alimentum obtineat. Eius differentiæ plures occurrunt: & primum quidem illæ duæ, quarũ altera est eorum quæ venenis, obsistunt, vel ea de corpore fugãt. altera eorum quæ humores duntaxat expellere valent. Rursus istorum nõnulla bili, quædam pituitæ, alia melancholico humori aduersantur: non secus ac illorum quædã phalangiis, nõnulla scorpionibus, alia fungis, aconito, dryopteri, aut cæteris venenis sese opponunt. Eã ob rem communi appellatione ἀντιδώτα comprehendi omnia solent, tã quæ depraua tos humores (ex quibus diuturni & κακοχυμίαι morbi oriuntur) fugant & expellunt, quàm quæ venenis peculiariter opponuntur, vt Galenus docet. Iam quomodo pharmaca expurgationẽ efficiant, & qua ratione humores noxios à singulis partibus expellant, dicere aggrediamur. Quod & euidentius & certius euadet, si vniuersim quid de ea protrusione statuẽdum videatur, proposuerimus. Nulla corpori salutaris actio intrinsecus obiri potest, cuius exercendæ facultatem quãpiam sortitũ non sit animal. Itaque si foras noxia propellere est salubre, aliquã ex iis quas animantis corpori facultates Natura indidit, eius

Initio lib. 1. de antidotis.

1 expul-

Universidad de Deusto
Biblioteca

expulsionis autorẽ esse oportet. Iam verò, seu ſi niendis morbis, ſeu eliminandis eorundẽ cauſis, duæ duntaxat ex facultatibus naturalibus ſuas operas conferunt, nempe coctrix & expultrix. Quid enim magis incogitáter dici poteſt, quàm ſi quis aſſerat, in procuranda rerum expellendarum amotione, eam vim exerceri cuius finis ſit retẽtio? Quippe nemo neſcit, attractionem poſtremã ſui partem habere nõ modo τὴ ἴσχυν, ſed & contentionẽ ipſam: quibus duobus & terminis, & efficientibus cauſis, inſuper & fine, ſeu τῷ διά τι, penitus contraria eſt expulſio. Noſtra verò hæc ſiquis eludere arbitratus, dixerit: medicamentũ ſuas vires exercere, illa vi tractrice etiamnum feriante: ſtatim obiiciemus cadauer, in quod φλεγμάγωγον aut χολάγωγον iniectum nihil pituitæ aut bilis coaceruet. Quòd ſi reſpondeat, iſtud euenire quoniã à cadauere calor abeſt: hinc ſequetur, calorẽ eſſe cauſam tractionis præcipuam: ac proinde maximum circa Cor fieri prouentum excrementorũ, ipſorúmque ſentinã eſſe pectus: quo quid abſurdius vel dici vel excogitari poteſt? Nam quod calorẽ eſſe cauſam inſtrumentariam duntaxat cauilletur quis, nihil eſt. Si quidem in recalefacto cadauere, nihil amplius quàm in rigido τὸ καθαρτικὸν exhibitione efficias. His ita conſtitutis, reliquũ eſſe video vt ſtatuamus, expultricẽ facultatem eſſe ablationis rerũ noxiarum autorem: tantum abeſt vt ibidem cogitanda veniat tractio vlla. Nunc verò quatenus purgãtia iuuent eã expulſionem,

ſionem, quidve ad ipſam obeundã conferant, paucis explanandũ. Qua in re, variis diſtinctionibus erit nobis vtendũ, quòd à diuerſis partibus non ſimili omninò ratione reiiciantur humores: ſintque diſſimiles eius auxilij quod καθαρτικὰ conferunt modi. Ordiemur verò ab inferiore ventre, qui & primus occurrit medicamẽtis, & plurima continere ſolet excrementa, vt is præcipuè purgationẽ requirere videatur. Eſt enim cloaca totius corporis, in quã cæteræ partes dum robore præſtant, ſua deponunt ſuperflua. Quod etſi non facerent, ille tamen ſuapte natura pluribus ſcatet, niſi quis accuratiſſima victus ratione vtatur. Nam crudi prauique humores ex deprauato victu copioſiores proueniunt & quoniam eos reliquę partes hepate ſuperiores negligunt, quandiu meliores conceduntur in venæ portæ ramis & viſceribus ad quæ illi perueniũt, errant & vagãtur. Atque ij ſunt quos aſſumptum φάρμακον primo loco aggreditur: ſcilicet, humores excrementitios oppugnans, qui in viis cõmunibus vocatis, primiſque vaſis, hoc eſt venæ portę ramis occurrũt. Cùm enim à vena porta ad ventriculum ſex, vt minimũ, ſurculi mittantur priuſquã eiuſdem venæ rami ad lienem & inteſtina perueniant: medicamentũ purgans dum ventriculo continetur, ſeu vapore ſublato, ſeu vi aliter cõmunicata maioribus venæ portæ ramis, inde ad inteſtinorũ capacitatẽ vſque ab intermediis ſpatiis vndique humores, quos ἀντικλάδας proſequitur, expellit. Porrò nõ

Modus primus.

Universidad de Deusto
Biblioteca

ſolũ medicamentũ id opus perficere, ſed maximè partiũ vim expultricẽ à medicamẽto adiutã & excitatã agnoſcimus: quæ cùm prius velut ſopita maneret, iã cum medicamẽto ſuas operas cõiungens, maiore conatu in expellendum humorẽ inſurgit. Neq; verò eſt quod quis ex eo inferat vnico ſatis eſſe medicamẽto ad quoſcunque humores deturbãdos, nec vlla opus fore χρείας φαρμάκων ἀντιπαθίας: quando quidẽ ex ea quã proponimus medicamẽti ſimul & facultatis virium cõnexione, id minimè ſequitur incõmodum, ſi quis attẽtiùs rẽ conſideret. Poteſt etiã facultas ſolã medicamẽti (quòd Naturę noſtrę nõ minus aduerſatur q̃ prauus humor) qualitate irritari, atq; ita cõcitari vt maiore conatu actionẽ ſuã perficiat. Hinc fit vt clyſteribus quoq; iectis venter inferior purgari valeat, quãuis ſupernè ad venæ portæ ramos grãdiores vis medicamẽti nõ veniat. Vix enim ad ieiunũ vſque aſcendere poſſunt, vt teſtis eſt Galenus. Purgãt tamen ſed leuiter omninò, vt eiuſdẽ medicamẽti multò minor doſis ore ſumpta, longè efficacior deprehẽdatur. Quid enim aliud poſſunt clyſteres, q̃ excretricẽ vim ſollicitare, dũ venarũ meſaraicarũ oſcula in ipſo tranſitu titillãt, quin potius vellicant, vt ex eo irritatę ſuperiores partes non multò poſt noxios humores (quos ægrè cõtinebant) in inteſtina eructẽt & quaſi euomãt: non ſecus ac ventriculus œſophagi parte ſuperiore, aut penna aut digito laceſſita, quod in eius fundo cõtinetur abijcit? Clyſteris ſanè primum apposeſt, fæces craſſas liquore ſuo diſſoluere, vt facilius

Secundus.

Lib. 13. meth. med. cap. 15.

cilius effluãt, atque ita lauentur inteſtina, quod κλυσῆρες vel κλύσματος appellatio innuit. Quibus ſi purgantiũ medicamẽtorum nõnihil cõtineatur, etiã humorum qui primis vaſis includuntur aliqua fiet expurgatio, vti prædiximus. Verum (inquies) ſi medicamẽta humores abigere certum eſt, nunquid per anum infuſa illos ad ſuperiores partes, vẽtriculum, iecur, & lienẽ propellent? Minimè vero: quoniã forma ex naturæ inſtituto ſuis facultatibus vſa, noxiorum expulſionem molitur permeatus ad eam rẽ fabrefactos, quò etiã facillimè deferuntur, vel nutu ſuo vergunt. Ex iis enim quæ fieri poſſunt, Natura ſemper quod melius eſt exequitur, vt tòties repetit Ariſtoteles. Accedit & prædictarũ partiũ robur, quo munitæ quum ſtrenuè propria excremẽta explodere valeant, multo facilius ab alienis admittendis ſeſe tuẽtur. vndecunq; verò laceſſitæ fuerint, eò ſua protrudunt ſuperflua, quò ſpõte vergunt: ad inferiora ſcilicet loca, necnõ ad partes naturã ignobiliores, quibus idcirco minus eſt viriũ. Quum itaq; vis medicamẽti à partium ſuperiorum robore ſuperetur, nec humores natura graues facile ſurſũ protrudi queãt, ſed magis ad inteſtinorum cauitatẽ inclinẽt, nihil aliud quàm irritare & partium excretricẽ facultatem inuitare poteſt: niſi tamẽ effrænis fuerit medicamenti efficacia, & viſcerum robur valde exolutũ. Tunc ſiquidẽ magno corporis malo ſurſum propelli humores, viſcera maximè grauaturos, nõ dubito: quũ ſæpenumero ab ignobilioribus in partes principes (ſed tunc tẽporis imbecillas

Universidad de Deusto
Biblioteca

im. excremẽta reiici deprehẽdamus. Quod ad vniuerſalẽ totius corporis euacuationẽ attinet (per quã nõ modo vẽter inferior, & quæ à vena porta ramos accipiũt viſcera, ſed etiã vena caua, & partes ad quas illa peruenit, purgãtur) quanam ratione fiat, ex iis apertè docebimus, quę Galenus ipſe demõſtrauit. Nẽpe iiſdẽ viis & canalibus à toto corpore ad vẽtrem inferiorẽ tranſmitti ac reiici excremẽta, quibus alimẽtum fuerat attractũ, & diſtributum. Id quod manifeſtè docẽt criſes morborum factę humoris copioſi deiectione per aluũ, & ſpõtinæ Diarrhœæ per quas ab vniuerſo corpore ad inteſtina feruntur humores. Eſt enim maxima facultatis expulſoriæ violẽtia vehemẽtiaq;, vt mirum nõ ſit ab vltima corporis parte vſque ad inteſtina aliquid trãſlatũ peruenire. Quippe minimũ momentũ expultricẽ vim huc vel illuc impellit, vt quę per trãſuerſas fibras functionẽ ſuã obeat, ocyſſimẽque ab eo vnde primũ eſt, ad eum q cõtra poſitus eſt, finẽ tradatur: quẽadmodũ ſuſiſſimè probat Galenus. Cæterùm aſſumpto medicamẽto, poſtea q̃ inferior venter, in quo excrementorũ maior erat copia, fuerit expurgatus, reliquę corporis partes gradatim eò ſua excremẽta reiicere ac trãſmittere incipiũt, vt ſeſe exonerẽt. Antea enĩ minus facile iſtud prẽſtare poterãt, cùm locus deeſſet quo illa excipierẽtur. Adde quod, medicamentũ (vt prẽmonuimus) vaſorũ oſcula prætereũ, dũ cõtinuo gradu à vẽtriculo ad ſedẽ ꝓgreditur, expultricẽ vim exuſcitare poteſt. vnde fit, vt irritamẽto ad ſuperiora vſq; peruenięte, iccur etiã expurgetur, & ſimul cum eo partes

Lib. 3. de fac. nat. cap. 13.

Lib. 3. de fac. nat. cap. 13.

ſuperiores, à quib⁹ excremẽta ad inferiorẽ ventrẽ cõtinuo progreſſu irrũpunt. Hic duo potiſſimum obiiciẽtur. Primũ eſt, ad ſuperiora potius aſcẽſuros humores, ſi purgãtia medicamẽta eos nõ attrahũt, ſed fugãt. Cui argumẽto nos paulò ante ſatisfeciſſe putamus, cùm de infuſis mẽtio fieret. Quibus addere licet, vim medicamẽti eſſe magna ex parte refractã, dũ à vẽtre inferiore excremẽta ſibi inimica ꝓpulſauit, vt deinceps nequeat venas maſaraïcas attingẽs, in ſuperioribus cõſtitutos humores agitare, præterquã ſola facultatis expultricis irritatione. Quin ſi poſſet, nõ tamen cederẽt partes ſuperiores, quæ iis ſuppoſita cloaca longè præſtantiores ac robuſtiores ſunt. Proinde ſi quando medicamẽtum id præſtet, vt ſurſum agat humores, vel ex eo magis irritata facultas expultrix, ſubito ac maiore conatu inſurgit vt ad inteſtina humores ꝓfluere cogat: nec modo aduẽtãtes explodit, ſed etiam prius quieſcẽtes, quicunque ad agitatorum conditionem accedunt. Altera obiectio eſt nihil referre quocunque medicamenti genere vtamur: ſaltem nulla medicamẽti habita ratione, ſinẽque delectu, humores qui ſupra hepar continentur excerni, quicunque ſunt ſequi paratiores: quemadmodum fieri ſolet in ὑπερκαθάρσει, id eſt purgatione ſuperflua & excedente. An ſufficit ventrem inferiorem à medicamento expurgari, vt excrementis quæ à ſuperioribus propelluntur viæ pateant, & locus ſit quo excipiantur. In vaſis etenim plærunque humores iam excremẽtitij corrumpuntur, vel in-

habitum corporis transmissi efficiunt tumores præter naturã, aut vlcera, ob id quia superfluis humoribus saburrata sentina alienos minimè recipit. Hac ergo inanita, incipiunt reliquæ partes in cõuenientiorẽ & à natura destinatũ locum sua mittere excremẽta, nisi tamẽ ea iã multo tẽpore assueuerint in aliã deferri partẽ, quæ morbi ratione cæteris imbecillior iãdudum euaserit. Illinc enim vix tandẽ materiæ cursum auertes: quod fieri debet frequẽti irritatione, & infernarum partiũ inanitione. Quippe ad hanc sequitur, vicinos humores eò recurrere, cùm Natura vacuum nõ patiatur. Hinc fieri posse videtur, vt mutua ea translatione tandẽ proximè ad locum affectum perueniẽte, sensim retrahatur humor. Ergo citra delectũ humores quicunq; erunt sequi paratiores deiiciẽtur, inquies. Nam demus purgãdum esse humore melãcholicum: quando huic aduersarium medicamẽtum à vẽtre inferiore totã melancholici humoris superfluitatẽ excluserit, qua ratione alius à superioribus ad ventrẽ confluet, quantumuis excretricẽ vim sollicitet medicamẽtum? An natura necessãriis omnibus facultatibus affabrè instructa, quæcunq; animalibus necessaria sunt nouit, sublatisq; à medico (eiusdẽ ministro) impedimentis, certo cum delectu humores noxios & morbum cõmittentes ipsa reiicit: adeò vt corporis purgatio cõueniens Naturæ potissimũ referẽda sit accepta, quum sola sæpius id præstet, & quãdo nõ potest, lõgè melius tamen quàm Medicus quid sit opus reiicere cognitum habet. Ideóq; si vel pauxillũ detur auxilij, quo impedimenta modo

tollãtur, reliquũ omne ipsa natura strenuè perficit. Instabis rursus: Non igitur curandũ esse, vt medicamentum aduersetur humori qui in aliis partibus morbũ facit, sed iis tantum quos venter cõtinet. Hoc enim exonerato, nocẽtes humores facto delectu Natura satis expurgabit. Et quis pharmacorũ ἀντιπαθίαν est cum excernẽdis humoribus, quum & viarum communium excrementis, & ipso medicamento, iam foras propulsis, nihilominus purgatio fieri perseueret? An ventris, & cæterarum partium humores specie similes adeò sunt, vt ex vno reliquos discere possimus? Quum enim partes iecore superiores, ab inferioribus tanquam radicibus suos trahant succos, ex impuro quidem ventre impurus hauritur sanguis, isque eius generis vitio præditus quo venter abundat. Hinc sequitur, vt etiam prauo humori qui partes superiores infestat sit inimicum quodcunque φάρμακον turgenti in ventre inferiore excremento aduersatur: & proinde vt illam quoque abiiciat expultricem facultatem distinctè sollicitat. Verum (inquies) diuersus esse potest humor reliquum corpus occupans, ab eo qui ventre continetur. Cur enim copiosior bilis non erit in toto corporis habitu, ventre inferiore solum cruda pituita referto ac infestato? Id sanè video, non tamen sententiam nostram euerti. Nam quoties diuersi humores sunt expurgandi, ea permiscentur medicamenta quæ vtrisque aduersantur. Atque in proposito affectu, pharmacum pituitæ inimicum primò suum opus exercebit, quia

Universidad de Deusto
Biblioteca

prior occurrit pituita: mox bilis deiicietur, altero medicamento in illam suas vires intendente, quam propulsatam quum nolint partes superiores (vt iam sæpe inculcatum est) admittere, ex eo magis irritatæ facto impetu protrudunt. Adde quod animantis ipsius forma connatam gerit speciem simultatum earum quæ sunt inter φάρμακα, & distinctos humores. Atque inde compertum habens, quàm noxius sit futurus eorum congressus, expultricem vim ad vtriusque reiectionem adhibet. Sic & facultas expultrix huiusce actionis autor præcipuus esse deprehenditur: & interim medicamentorum ἀντιπαθίαι retinetur, minime frustra à nobis constituta, quum non parum ad eandem actionem contulisse videatur. Cæterùm quod in animantibus actionum causa sit, species ea quæ nusquam sensibus obuia occurrit, plena est animalium historia. Medici tamen omnium pene effectionum causas ad materiam, aut materiæ qualitates referunt: vt nonnunquàm parum absit, quin primarum qualitatum κράσις animantis formam esse profiteantur: vnde Galenus toties inconstantiam in humana forma asserenda prodit. Sed quæ (obsecro) statui potest causa, quamobrem infans mammis labra potius quàm pedem vel manum admoueat, nisi quia ἀπὸ τῦ φαντάσματος speciei congenitæ iam compertum habet, quid māma, quid item lac sit, nunquam tamen adhuc sensu vllo vsurpata? Quid equus depascens? nonne ex mille plantis quas auidè carpet, vnam prætermittet, ne

ne gustatam quidem? Cur pullus gallinaceus haud ita pridem ab ouo exclusus, milui supernolarum attendit & horret, nisi quod à phantasmate speciei quam secum gerit, hostilem aduentum agnoscit? Ex his tandem perspicuum fieri arbitror, quorundam generum contrarias esse differentias, ex quibus inimicæ species oriantur, quæ licet contrariæ species non habeantur, sunt tamen principia indiuiduorum ad contrarias actiones perpetrandas. Iam eius generis differentiam aliquam inter φάρμακον & humorem, formæ animantis esse perspectam, vt pote sibi connatam, quid obstat? Nihil super- *Quartum.*
esse video, nisi vt doceamus quanam ratione ex cruribus ad intestina ferantur humores, si non trahuntur. Quum enim à superioribus ad inferiora excretio sit expedita, humores sursum nō facile remeant, sed violentia facta, quam vel attractio, vel fuga vacui inferre videntur. Ast eum qui probè nouit, ab omnibus partibus ad omnes sursum atque deorsum impelli humores, nec modò crassam pituitam vomitione reddi, sed etiam melancholicum humorem omnium maxime tardum & grauem, ad partes superiores male affectas (atque adeò imbecillas) crebro transmitti, dubium hoc nihil morabitur. Quin & pro naturæ modo sese habentibus humores citra vim vllam superiora petunt, non minus ab infernis partibus expulsi, quàm illinc attracti. Illud tamen posset scrupulum iniicere, quod si medicamenta humores fugant, quum qui in cruribus sunt, & sua grauitate, & situs ratione facile

facile possit vlterius ferri, verendum sit ne ad extremos pedes, potius quàm versus intestina, perueniant: præsertim verò pedibus male affectis, & ea ratione imbecilis. An partes intermediæ, quas sanas esse supponimus, supernè profligarum humorem non admittunt, sed ex eo irritatæ magis obsistunt atque repellunt? Quod si velis crura quoque esse imbecilla, & vel ex tumore vel vlcere laborare, quamuis præstarent excrementa vomitu excitato retrahere, non tamen multum refert etiamsi deiectorio φαρμάκῳ vtaris. Nam quum id primo loco inferiorem ventrem expurget, nec crurum venæ medicamenti vim prius sentire possint, quàm hepati propinquior vena causa ab eo sit affecta: si hæc non admittit quos medicamentum propellit humores, sed potius irritata suos in ventrem excernit, quæ deinceps sequuntur partes simili motu sua reiiciunt. Vnde fit, vt affecta etiam crura tandem ex eo leuamen sentiant. Quod si hepar, & venæ cauæ truncus, protrusa excrementa reciperent, non dubito quin crurum affectus inde plurimum irritaretur. Postremò rogabit aliquis: si non trahit, sed potius fugat & expellit medicamentum, qua ratione ab extremis partibus, ipsisque articulis, reuelluntur humores? An satis est assiduè confluentis materiæ (quam antecedentem appellat) cursum impediri: quod partes loco affecto superiores tunc facere incipiunt, cùm venter est inanitus. Humor siquidem morbum efficiens (qui continens causa dicitur)

Quintus.

titur) in venas regredi amplius non potest. Quinimo nec ei proximus in capillaribus venis contentus, calore natiuo à medicamentis facto acutiore, discuti ac resolui magna ex parte solet. Superatis omnibus his difficultatibus, iam nihil obstare video quo minus tandem constanter asseramus, medicamenta non attrahere, sed tantum expellere quos ἀντισπᾶσθαι prosequuntur humores. Hanc verò nostram opinionem Mesueus confirmare videtur, quum à vulgari discedens inquit: Absurdum fuerit existimare, à simili trahi simile: absurdius à contrario. Contraria enim mutuo se expellunt, non attrahunt. Et paulò post: Ipsa humorum euacuatio Naturæ est opus, sed per medicamentum ipsius naturæ artificis instrumentum. Scio tamen nunquam Mesueo in mentem venisse, quantum ex illius scriptis colligimus, vt censeret medicamenta humores ἀντισπᾶσθαι ratione expellere.

Eiusdem conditionis esse putamus quæ vocant ἀλεξιτήρια, sub φαρμάκων genere nuper comprehensa: quorum natura est, venenis obsistere, vel ea prorsus è corporibus nostris eliminare. Atqui Galenus ab his, non fugari, sed potius trahi venena, existimat, quum super ipsis medicamentis iacentia liquidò visa scribit: Vnde non odium, sed amicitiam facile colligas. An virulentam saniem quam à venenatis animalibus vulnerarię partes eructant, quæque summotis emplastris adhæret, venenum appellat eo loco Galenus cum vulgo: etsi propriè venenum aliud insit,

A quibusdam alexiteriis potius fugari, quam trahi, venena. Lib. 1 de facult. nat. cap. 14.

Universidad de Deusto
Biblioteca

insit, quod ab animali particulę impressum eam sic afficit, vt corrupta temperie eiusmodi saniem emittat? Id verò non tam medicamenti appositi ratione fit, quàm facultatis expultricis, cuius est vlcerum sordes collectas reiicere. Porrò vt quid de hac re sentire debeamus, certius inueniatur, Alexiteriorum naturam paucis examinare præstabit. Ea propriè ἀλεξητήρια dicuntur Galeno, quæ punctionibus vel morsibus animalium medentur. Ἀλεξιφάρμακα verò, quæ medicamentis deleteriis obsistunt. Verum ista non rarò confunduntur, vt indifferanter omnia vocentur ἀλεξιφάρμακα, ἀλεξητήρια ἀλεξίπαγα, ἀντίδοτοι, ἀντιφάρμακα, & Latinis amuleta. Hoc tamen obseruato discrimine, vt ea sola Antidoti nuncupationem mereantur, quæ duntaxat intus assumuntur. Reliquæ enim appelationes non minus admouendis quàm assumendis conueniunt, vt ex Galeni verbis colligimus. Facit verò duas Alexiteriorum & Alexipharmacorum species: vnam eorum quæ venenum aut deleterium medicamentum ex patiente corpore euacuant. Secundam eorum quæ alterant. Et alterantium quidem non obscura est ratio, quum omnibus constet frigida calidis, humentiaque siccis, & contrariorum cætera contrariis amoueri. Sed neque omnium quę euacuant latens est occasio: siquidem nonnulla id præstare dicuntur sola partium tenuium caliditate, quam ἀντισπαστικὴν appellatis Galenus attribuit. Ast non esse veram attractionem quæ à tali-

Lib. 5. fac simpl. med. ca. 18.

Initio lib. 1. de antidotis.

Lib. 5. sim.

Lib. 5 fac. simpl. med. cap. 17.

à talibus fieri creditur, asserimus paradoxo quo demonstramus, nec dolorem, nec calorem, nec fugam vacui attractionem efficere, vel attractionis causam esse, sed solam naturæ similitudinem. Cuius quidem ratione quædam ex Alexipharmacis & Alexiteriis euacuantia esse fatemur, de quibus statim agemus, posteaquàm alterantium conditiones explicare absoluerimus. Quippe etiam nonnulla alterare tota substantia dicuntur. Sunt verò eiusmodi, quæcunque medij cuiusdem temperamenti fauore, venenorum ac deleteriorum malitiam frangunt & obtundunt, vel (vt Galenus docet) quæ mediam naturam inter corpus nostrum & venenum sortita, huic sese opponunt. Quæ sane experientiâ cognita esse oportet, quum pro diuersis venenis diuersa sit eius medij proportio. Hæc non è corporibus nostris venena eiicere, sed in ipsis extinguere duntaxat videntur. Ad quæ nonnulla referimus ab humana temperie tam longè dissidentia, vt nisi aduersarium venenum occurrat, plurimum obsint corporibus nostris: quemadmodum Plinius de aconito narrat. Ea est natura (inquit) vt hominem occidat, nisi inueniat quod in homine perimat. Cùm eo solo colluctatur, velut pari intus inuento. Sola hæc pugna est, cùm venenum in visceribus reperit. Mirumque, exitialia ambo quum fiant, duo venena in homine commoriuntur, vt homo supersit. Idem planè & catharticis medicamentis accidit, vt hac etiam ratione cum Alexiteriis

Lib. 5. de facul. med. cap. 18.

Lib. 27. cap. 2.

Universidad de Deusto
Biblioteca

xiteriis consentiant. Nisi enim aduersarium sibi humorem in corpore offendant, grauem noxam & maximos cruciatus concitant. Vnde illud Hippocratis: Qui sani sunt corpore, non facile ferunt medicamẽta: quin potius ab iis exoluuntur & pessime habent. Restant ex Alexiteriis & Alexipharmacis, quę euacuantia censentur, eo quod venenum aut deleterium è corporibus nostris reiicere, siue admota, siue assumpta, videntur. Quod attinet ad propriè vocata Alexiteria, eorum quædam solum admouentur, alia tantum assumuntur, nonnulla vtroque modo. actionem suam perficiunt, vt theriaca. Quæ non nisi admota iuuant, ea aut proprium virus extrahunt, aut quadam naturæ similitudine venenum ad sese alliciunt, quo ipsa delectantur. Assumenda verò prosunt, quæcunque venenum id odio prosequuntur, & ad vulnus vnde venit strenuè propellunt. Quæ vtroque modo iuuant, vtrunq; præstare posse creduntur: atque si eorum pars assumatur, pars vulneri applicetur, venenũ media via interceptũ facilius extinguitur. Neq; verò ipsa veneni excretio manifesta expectari debet, quum quod à venenatis bestiis eiaculatur, plærunq; sit spiritus quidam, vel tenuis humiditas, vt refert Galenus. Proinde curationis finis est, venenosæ qualitatis extinctio, simptomatumque correctio, non euidens reiectio alicuius substantiæ quam extrahi oporteat. Alexipharmaca verò assumi tantum, solita, non etiam apponi, plæraque nocentem ma-

Aph. 30. & 37. lib. 2.

Lib. 6. de loci affect. cap. 5.

teriã vomitu reiicere coguntur: alia per aluum vrinas, aut sudorem, assumptum deleterium vacuant. Qui effectus, non attractione, similitudinis ergo fiunt (quæ enim cõtrariorum similitudo & amicitia esse potest?) sed ἀντιπαθίᾳ quadã vt de purgantibus monstratum à nobis est.

Neque infixa corporibus extrahi à medicamentis.

